




PAULUS ELUCIDATUS

Sive

COMMENTARIUS PARAPHRASTICUS

IN

OMNES EPISTOLAS D. PAULI GENTIUM APOSTOLI.

AUCTORE P. ANTONIO REMY, Societatis JEſu.

CUM APPROBATIONE SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VIND. & RATISBONÆ,
Sumptibus Strötter, & Feſenmayr.
Typis Anton. Maximil. Heiſs, Reverendiſ. & Celſiſ. Princip. & Epiſcopi Conſtant. Typogr. Aulici. 1739.

REVERENDISSIMO,
ILLUSTRISSIMO,
Et
EXCELLENTISSIMO
DOMINO, DOMINO
FRANCISCO,
Congregationis S. Blasii, Ord.
S. Benedicti Abbati, Domino Imper.
Dynastiæ *in Bonndorff*, Gurthvveil, Oberried,
Stauffen, & Kirchhoffen &c. S. C. & R. C. M.
Consiliario Intimo Actuali, Ejusdémque in Provincia A. A. Archi-Capellano Hæreditario. Sac. Pal. Cæsar. Comiti &c. Statûs Ecclesiastici
Anterioris Austriæ
Præsidi Perpetuo,
Reverendissimis, Illustrissimis,
Perillustribus, ac Generosis,
Prænobilibus, atque Amplissimis, ejusdem Inclyti Statûs
Assessoribus, & Commembris
DOMINIS GRATIOSIS.



Nexſpectatum, nec non ſupervacaneum fors nonnullis videbitur hoc lucubrandi genus à Scriptore Germano ſuſceptum in tantâ, ut de SS. PP. tum Latinis, tum Græcis nil memorem, Hiſpanorum, Luſitanorum, Italorum, Gallorum, & Belgarum copiâ, qui eruditiſſimos in Sacras paginas, atque has ipſas divino Spiritu, zelóque Apoſtolico plenas Doctoris Gentium Epiſtolas commentarios in lucem dederunt; ego verò ut inſtituti mei rationem vel excuſationem exhibeam, eam ipſam ob copiam tum præſentis ſæculi faſtidio oneroſam, tum vitæ humanæ brevitati incommodam poſt traditas 32. annis è ſuperiori loco altiores diſciplinas requiem aliquam ac reſpirationem denique nactus tempus reli-

quum

quum optimè collocandum censui, si magnorum virorum exemplo me sacrarum litterarum studio addicerem, ac præsertim istarum Epistolarum satis per se obscurarum intelligentiæ, ut quæ toties per annum tum in sacrosancto Missæ sacrificio, tum in horis Canonicis legendæ ab Ecclesiâ proponuntur, tanquam aurifodinæ reconditæ, & non nisi ingenti labore ac industriâ detegendæ, atque formandæ nostræ pietati in lucem publicam proferendæ. Rem itaque aggressus utut difficilem, divinò tamen præsidio suffultus in id unum incubui, ut genuinum litteralem sensum tanquam fundamentalem, primóque intentum facili claráque Paraphrasi exponerem, obscura explicarem, & singulorum tum capitum, tum versuum aptam ordinatámque connexionem ostenderem, quæ una est, meo quidem judicio, ex præcipuis in sacrorum Voluminum explanatione difficultatibus, atque ita tum intellectum legentium discussâ caligine illustratum recrearem, tum voluntatem piorum affectuum scintillis, quas liberaliter suppeditant, ingerúntque, saluberrima hujus Apostoli monita ad omne virtutis studium accenderem. Ut autem consilii mei, & suscepti laboris ratio non lubricis ingenii proprii conjectu-

ris, sed solidiori fundamento inniteretur, paraphrasin hanc ex SS. PP. & probatissimis sacrarum litterarum expositoribus concinnavi, quos passim allegare supervacaneum duxi, tum ne opus nimiùm excresceret, tum quòd conglobatæ ejusmodi allegationes Lectorem remorentur, & siquidem is paulò curiosior sit, & incredulus, in prolixioribus commentariis inveniri facilè possint.

Porrò circumspicienti mihi, cujus præcipuè patrocinio has meas lucubrationis sanctioris primitias dedicarem, primò & ante omnes occurrit Statûs Vestri Ecclesiastici ac Religiosi dignitas atque auctoritas Amplissima, cujus nimirum est de hujusmodi argumentis & scriptionibus sacris pro vestrâ sapientiâ & multiplici experientiâ judicium ferre, dein Ejusdem in minimam Societatem nostram & Collegium nostrum Friburgense benevolentia ac beneficentia tot favoribus contestata, & in novissima apotheosi sancti nostri Joannis Francisci Regis luculentissimè comprobata.

Admittite itaque Reverendissime, Illustrissime, Excellentissime Domine Præses, cæterique Reverendissimi, Religiosissimi, Perillu-

illustres, & Gratiosi Domini pro tantis acceptis beneficiis levidense hoc, ac tenue grati animi memnosynon, & indulgete, ut in nobilissimis ac selectissimis vestris Bibliothecis locum aliquem habeat hoc volumen, & inter tot egregia monumenta, quæ viri sanctissimi ac doctissimi ex Religiosis vestris Ordinibus sæculis omnibus posteritati reliquêre, se gaudeat esse collocatum, atque ex tam illustri consortio splendidiorem lucem, ex tam præpotenti verò gratiosóque *patrocinio immunitatem* acquirat, ac securitatem publicam.


Reverendiss. Excellentiss.

Perillustri. Prænobilium Gratios.
Dominationum Vestrarum

Devotissimus & Infimus

ANTONIUS REMY
Soc. JEsu.

FACUL-



FACULTAS
R.P. PROVINCIALIS
CUM
PRIVILEGIO CÆSAREO.

Cùm DD. Franciſcus Antonius Strötter, & Joannes Antonius Feſenmayr Cives, & Bibliopolæ Auguſtani, Librum, cui Titulus: PAULUS ELUCIDATUS &c. à P. Antonio Remy Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum, Typis vulgare deſiderent: Ego RUDOLPHUS BURCKHART Societatis JESU, per Germaniam ſuperiorem præpoſitus PROVINCIALIS, poteſtate ab Admodum R. P. FRANCISCO RETZ Societatis noſtræ præpoſito GENERALI, mihi conceſſa, Eisdem ad hanc primam duntaxat editionem impertio facultatem, ſimúlque communico Privilegium Cæſareum, quô aliis Bibliopolis, & Typographis interdicitur, ne dictum Librum citra conſenſum Superiorum vel recudere, vel intra fines Imperii, & hæreditarias S. C. MAJESTATIS Provincias inferre præſumant. In cujus confirmationem has Litteras Chirographo meo, & conſuetô Officii Sigillô munitas dedi.

Landſpergæ 22. Octobris Anni 1738.

(L. S.)

RUDOLPHUS BURCKHART.

COM-



PRÆFATIO.

Quod non Oratoribus modò, ſed etiam inſignioribus ſcriptoribus in more poſitum eſt, ut ab *initio* auditores vel lectores ſuos attentos, dociles, & benevolos ſibi reddere ſtudeant, id in præſenti quoque commentario faciendum mihi non abs re judico; ne autem prolixiori præfatione faſtidium potiùs, quàm orexin excitem, paucis rem expediam. Attentionem jure optimo ſibi poſtulat præſtantia Auctoris harum epiſtolarum, docilitatem earum utilitas, benevolentiam conatus à commentatore non perfunctoriè ſed ſolerter adhibitus ad obſcuritatem dilucidâ & ordinatâ paraphraſi removendam. Auctorem quod attinet, qualis, quantúsque fuerit, non tantùm ex prölemio Cornelii à Lapide, & Benedicti Juſtiniani de prærogativis illius, nec non ex Actibus Apoſtolorum, ex ipſis epiſtolis, ex ſanctis Patribus, Divo præſertim Chryſoſtomo, qui in ejus laudes eloquentiſſimè, ubicunque ſe occaſio offert, effunditur, ex Eccleſiæ univerſæ veneratione luculenter patet, ſed etiam ex conſideratione & obſervatione aliquarum præcellentiarum, quibûs inſigne hoc vas electionis præ aliis Apoſtolis, Sanctis, & Doctoribus totidem veluti gemmîs mirum in modum reſplendet. Et inprimis quidem illuſtris planè & extraordinaria fuit ejus vocatio ad Apoſtolatum; ipſe enim à Chriſto immortali & glorioſo è cœlis vocatus eſt, cùm alii Apoſtoli à Chriſto mortali in terris vocati ſint, quaſi ſatis non fuerit Apoſtolicum

Collegium pro converſione orbis univerſi ab ipſo Veritatis ac Sanctitatis Magiſtro per triennium & ultra inſtrui, & à Spiritu ſancto poſtmodum abundantiùs illuſtrari, accendi, ac confirmari, niſi columna hæc, fax, & tuba Evangelica accederet, & ultimam perfectionem adderet. Deinde ſi magna feciſſe ac pertuliſſe argumentum minimè dubium eſt eximiæ ſanctitatis, quis in laboribus pluribus, quis in carceribus abundantiùs, quis in crucibus & plagis majoribus, quis in periculis adeò intrepidus, quis in arduis tam generoſus & excelſus, quis in ærumnis adeò cordatus, & exultabundus, quis in amore & imitatione JEſu Chriſti, & quidem crucifixi ardentior, quis in zelo animarum flagrantior, adeò ut pro fratribus ſuis obſtinatis, nempe Judæis, optaret anathema eſſe à Chriſto, ſive ejus gloriâ æternùm excidere, modò illos lucrifacere & convertere poſſet, quis tanta non dicam moliri, ſed & cogitare auſus fuit, quanta molitus eſt, fecit, & confecit Paulus? Quare mirum non eſt, totam Eccleſiam Paulum tanquam ſuum totiúsque orbis doctorem colere & indigitare, atque per antonomaſiam Apoſtolum ac Doctorem gentium nuncupare, unde in Collectâ de eo ita precatur: DEus qui univerſum mundum S. Pauli Apoſtoli prædicatione docuiſti. S. quoque Chryſoſtomus homil. 4. de ejus laudibus paucîs multa complectitur: etenim, inquit, homo ignobilis, (Paulus) abjectus & circumforaneus, qui artem exercebat in pellibus, in tantùm virtute progreſſus eſt, ut vix 30. annorum ſpatiô Romanos, & Perſas, & Parthos, & Medos, & Indos, & Scythas, & Æthiopes, & Sauromatas & Saracenos, & omne prorſus humanum genus ſub jugum mitteret veritatis. Hæc ille, ut taceam, quid in Græciâ, in Illyrico, in Hiſpaniâ, in Italiâ, & alibi præſtiterit, ſolis inſtar univerſam terram luſtrans, ſapientiâ ſuâ illuminans, & ardore divini ſpiritûs inflammans. Unde idem citatus D. Chryſoſtomus homil 8. de ejus laudibus eò denique rerum ab eo geſtarum gloriam extollit, ut univerſos Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Sanctóſque omnes antecelluiſſe aſſeveret. Cui, inquit, te ô ſancte Paule, juſtorum Veteris aut Novi Teſtamenti audeam comparare? omnium quippe virtutem quaſi in arcâ quadam ſed cum multo prorſus cumulo condidiſti. Denique etiamſi totum contra te aliquis ſigillatim juſtorum appendat chorum, inveniet trutinam virtutum ponderibûs à tuâ parte depreſſam. Tum poſt factam ſingillatim comparationem S. Apoſtoli cum præſtantiſſimis, V. ac N. Teſta-

ſtamenti Sanctis concludit: Etiamſi Angelorum, etiamſi juſtorum hominum circumvolem choros, non invenio comparationem, cui non cumulo meritorum Paulus occurrat.

Denique ſi cœleſtem & divinam Pauli ſapientiam conſiderare velimus, eam non in terrenâ, ſed cœleſti ſcholâ & curiâ cœli empyrei, ad quod raptus fuit, hauſit, ibidem quaſi creatus & conſecratus Magiſter Evangelii, doctorque orbis, ibi arcana verba audivit, myſteria ſcilicet abſcondita à conſtitutione mundi, atque ita profundè percepit, ut ipſos angelos nonnulla pleniùs edocuerit, uti obſervat Corn. à Lapide in ſuo prœmio cap. 3. allegans illud Apoſtoli Eph. 3. mihi omnium Sanctorum minimo data eſt hæc gratia, in gentibus evangelizare, ut innoteſcat principibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam (puta per me Eccleſiæ Doctorem) multiformis ſapientia DEi ſecundùm prædefinitionem ſæculorum, quam fecit in Chriſto JEſu Domino noſtro. Ex hac ſublimi ac profundiſſimâ ſapientiâ divino ſpiritu & ardore quaſi ſeraphico inflammatâ provenit, quòd utraque hæc ita mixtim & glomeratim eructet & convolvat, verba ſunt ejuſdem Cornelii, ut ſeipſe capere, ſuámque vim exponere non poſſe videatur; ac velut baliſtæ noſtræ nitrato ac ſulphureo pulvere gravidæ eo accenſo ingentes ferri, æris, lapidum globos fulminum inſtar, flammis eluctantibus cum horrendo fragore & ſumi convolutione contorquent, ita incenſum Pauli pectus ſapientiâ æquè ac ſpiritu gravidum & turgidum, cùm denſas utriusque flammas expromere & ejaculari nititur, quaſi fumô intermicantia fulgura & crebra tonitrua verborum & ſententiarum vomit, & conglobat, eáque de cauſâ menti audientium & legentium nebulam non rarò offundit, quæ deinde ſi à doctore elucidetur & clareſcat, in magnum doctrinæ & charitatis incendium flammeſcit. Hæc ille. Sublimitas nempe myſteriorum, & abundantia divinarum illuſtrationum, & anguſtiæ temporis ad ſcribendum conceſſi tot inter labores non invenerunt verba & phraſes ſatis emphaticas, dignitati rerum proportionatas, ſimúlque dilucidas; quod enim auris non audivit, nec in cor hominis aſcendit, multò minùs humana lingua ſat expeditè, ordinatè & clarè eloqui poteſt ad aliorum captum, quibus divina myſteria non niſi per obſcuram fidem innotuere. Unde Apoſtolus ipſe 1. Cor. 2. inquit: prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritûs & virtutis, ut fides veſtra non ſit in

ſapientiâ hominum, ſed in virtute DEi. Sapientiam autem loquimur inter perfectos, ſapientiam verò non hujus ſæculi neque principem hujus ſæculi, ſed loquimur DEi ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt &c. Apoſtolus ergò, dum hanc abſconditam, adeóque obſcuram, & reconditam ſapientiam nos edocere vult, ſenſu rebúsque turgidus ad verba, ſyntaxin, ordinem & connexionem non æquè reſpicit, ſed multa commiſcet, inſerit, incidit, mutilat, divaricat, abſorbet, ad quam obſcuritatem non parùm contribuunt phraſes græcæ & hebraicæ paſſim occurrentes, & non ita perſpectæ latinæ duntaxat linguæ peritis.

De præſtantiâ porrò & utilitate ipſarum epiſtolarum ut etiam aliquid dicamus, tanta eſt, ut earum lectioni converſionis ſuæ magnam partem ingens illud Eccleſiæ & Africæ lumen Auguſtinus adſcripſerit lib. 7. confeſſ. cap. 21. S. Chryſoſtomus præfat. in D. Pauli epiſtolas, ſcientiam ac eloquentiam ſuam illis attribuit: neque enim nos, ait, quæ ſcimus, ſi quid ſcimus, ab ingenii bonitate atque acumine, ſed quòd erga hunc virum impensè affecti ab illius lectione nunquam diſcedimus. Quapropter ſi & vos quoque lectioni diligenter attendere volueritis, nihil aliud vobis erit requirendum. Hæc ille. Doctor Angelicus epiſtolarum iſtarum meditationi plurimùm addictus ampliſſimos ex eâ fructus referebat, recreatus etiam apparitione & inſtructione magni hujus Apoſtoli, ſi quando difficultas abſtruſa occurreret, unde Eccleſia in ejusdem officio canit: ſcholas Thomæ Paulus ingreditur, ſacra ſimul ſantur myſteria.

Inſiſtebat nimirum veſtigiis ſanctiſſimi ſui Patriarchæ, de quo Joan. Ant. Flaminius ſcribit, cùm cerneret Romæ, quotidie occupatis cum Pontifice Cardinalibûs, eorum miniſtros in aulâ variis deambulationibûs & nugis tempus terere, indoluiſſe, & Pontificem adiiſſe, ac dixiſſe, turpe & damnoſum eſſe, tempus à tantâ multitudine incaſſum teri, ſibi videri utile futurum, ſi tantisper, dum Cardinales cum eo in negotiis Eccleſiæ occupantur, quispiam doctus utile aliquid publicè interpretetur. Placuit admodum Honorio Papæ conſilium, & ipſi, qui conſilium dederat, S. Dominico id negotium dedit, quod libenter ille ſuſcepit, & quotidie Pauli Apoſtoli in magno auditorum conſeſſu & attentione interpretari epiſtolas cæpit.

Atque adeo res placuit, ut deinceps inſtitutum ſit, ut ex ordine

Præ-

Prædicatorum ad ejusmodi munus aliquis semper eligeretur & dignitatis ille titulo, qui delectus fuisset, sacri Magister Palatii diceretur. Hucusque Flaminius. Ex istis porrò Magistris S. Palatii plurimi ad sacram Purpuram evecti sunt.

Et sanè epistolæ istæ tanto auctore & Magistro dignissimæ medullam continent fidei, religionis ac perfectionis Christianæ. De gratia enim, de prædestinatione, de Christi redemptione, de vocatione gentium, de matrimonio, & jure conjugum, de cœlibatu, de muniis Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, totóque ordine hierarchico, de Ven. Sacramento, & sacrificio, de 9. ordinibus Angelorum, nullus ita graviter, exactè, ac sapienter disseruit ac Paulus: Virtutes porrò tum theologicas tum morales cum saluberrimis monitis in suis epistolis quasi in horto quodam deliciarum ita luculentè inseruit, & expressit, ut si Paulum non aliunde, certè ex scriptis suis agnoscas, & admireris, quin & in teipso persentiscas. Sicut enim in sole diutiùs inambulantes calorem inde sibi cum colore conciliant vel nescientes nec advertentes, ita fieri non potest, ut qui non obiter, sed pensiculatè & sedulò Paulum versat, Pauli sensu non affletur ac spiritu, uti Corn. à Lapide observat & loquitur.

Unica fors nonnullos absterret obscuritas, quam ipse D. Petrus suo tempore jam agnovit & cap. 3. epist. suæ 2dæ. prævidit hæreticis aliquando servituram pro latibulo, quo errores suos contegant, imò & defendant, prout novissimis hisce temporibus per Jasenii asseclas contigit. Hæc ipsa obscuritas maximum illud Ecclesiæ sidus, & ingenii prodigium D. Augustinum, qui ipsum Aristotelem ùtùt obscurissimum nullo magistrô, sed propriô studio intellexerat, retardavit à continuando, quem jam inchoaverat, commentario in epist. ad Romanos, uti de se fatetur lib. 1. retract. cap. 25. Porrò hæc difficultas plurimùm nunc complanata est per alios SS. Patres atque Doctores, Divum præsertim Chrysostomum, & Doctorem Angelicum, ut alios quamplurimos taceam, qui feliciori ausu huic profundo mari se commiserunt; *dies enim diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam*, psal. 18. & secundùm parœmiam Publii apud Gellium discipulus est prioris posterior dies, paulatim nimirum uti fit motus, ita & disciplinæ incrementa sua capiunt, & quæ primò videbantur difficilia, accedente improbo plurium studiô planiora evadunt, ac faciliora, quem in finem ordinata tex-

tûs connexio, & clara expoſitio ex probatiſſimis Auctoribus concinnata cum nonnullis obſervationibus ac quæſtionum ſuborientium reſolutionibus adjumenti plurimum, uti ſpero, conferet.

Quòd ſi nondum omnis caligo diſcuſſa, nondum omnis difficultas ſoluta videatur, audiamus, quid Chriſtus præcipiat Matth. 7. petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulſate, & aperietur vobis, hoc eſt, ut Doctor Angelicus exponit, petite orando, quærite ſtudendo, pulſate operando: aliqua obtinentur humiliter petendo, alia inveniuntur ſolerter inquirendo, alia demum impetrantur importunè pulſando. Me quod attinet, lucem ſaltem aliquam unde unde emendicatam affundere conatus ſum hiſce epiſtolis, ſi conatui eventus optatus reſpondeat, DEo mecum meritiſſimas grates repende, benevole lector, à quo tanquam ſole ſplendidiſſimo lumen omne in angelicas humanáſque intelligentias diffunditur.



QUÆS-



QUÆSTIUNCULÆ PRÆLIMINARES IN EPISTOLAM S. PAULI AD ROMANOS.

Q. 1. Quo loco, ordine, & tempore ſcriptæ ſint epiſtolæ S. Pauli? R. Secundùm Baronium, Cornelium & Tirinum alióſque. Primam ad Theſſalonicenſes Corinthi ſcripſit annô à partu Virginis 52. poſteriorem ad eoſdem annô ſequenti ibidem: annô 57. priorem ad Corinthios Epheſi, uti 1mam. ad Timotheum in Macedoniâ. Annô 58. 2dam. ad Corinthios Nicopoli, nec non ad Galatas & Titum, uti & ad Romanos, è portu Cenchrenſi prope Corinthum. Annô 59. Romæ ſecundum Baronium alteram ad Timotheum, quamvis alii annô ſequenti ſcriptam putent, pauló ante mortem in carcere; eodem annô 59. Romæ ſcripſit ad Epheſios, ſequenti ad Philippenſes, Coloſſenſes, ad Philemonem, & denique ad Hebræos, quæ 6. ultimæ epiſtolæ è vinculis Romanis ſcriptæ, & paulò ante martyrium ſingulari DEi Spiritu & fervore plenæ ſunt.

Q. 2. Quare ergò epistola ad Romanos 1. locô collocatur, cùm eam præcesserint aliæ? R. partim ob præeminentiam Sedis Romanæ Ecclesiæ, ut Catharinus existimat, vel etiam ipsius Urbis in Imperio Romano, ut alii, partim ob exactam omnis generis doctrinam, inquit Theodoretus, partim, quia gratiam fidei, quæ caput est & fundamentum Christianismi, maximè commendat & inculcat, secundùm D. Augustinum, partim quia de gratiâ, cui vocationem & justificationem tam gentilium, quàm Hebræorum attribuit, profundissimè disputat juxta Paciuchellium, partim quia in illâ contra primum peccatum, quod est superbia, agit, quandoquidem Romæ degebant & inter se contendebant de dignitate tam ex Hebræâ, quàm Romanâ gente ad fidem conversi Christiani existimantes se propriis meritis salvandos, quam eorum elationem ut comprimeret, ostendit, totum id, quod boni habent, gratiæ DEi deputandum: non verò circumcisioni & observationibus legis Mosaicæ, uti nec præcedentibus meritis vitæ laudabiliter actæ à Romanis, & Græcis.

Q. 3. Cur S. Paulus ad Romanos scribens nullam S. Petri, qui prior Romam venerat, mentionem fecerit, saltem eum cum aliis salutando? R. Quia tum temporis S. Petrus Româ jam abierat in Britanniam, unde mirum non est salutem tunc absenti non misisse, magnopere autem zelus illius commendatione est dignissimus, quòd Romanos tunc suo Pastore destitutos, & inter se periculosè altercantes ac discrepantes in concordiam redigere, & pleniùs edocere studuerit suæ ad Christianam religionem ac veritatem vocationis originem ac causam.

Q. 4. Quâ linguâ conscripta sit hæc epistola. R. plerosque interpretes in eâ sententiâ esse excepto Salmerone, quòd eâdem,

eâdem, quâ reliquæ, exceptâ illâ ad Hebræos, nempe græcâ linguâ exarata sit, cùm Romani hujus linguæ essent peritissimi, & ipse Apostolus eidem jam assuevisset; unde plena est hellenismis; paulò post verò à Tertio, vel alio quodam amanuensi ac interprete in linguam latinam non adeo feliciter & clarè esse versam. De Tertio ex Diodoro Tarsensi ita scribit Sixtus Senensis in suâ Bibliothecâ lib. 2. Is, cùm esset, parùm sermone peritus, nec satis in scribendo exercitatus, epistolam, quæ propter multitudinem ac sublimitatem quæstionum cæteris Pauli epistolis obscurior est, longè reddidit obscurissimam, dum sensus & cogitationes Pauli elocutionibus interdum confusis, & inabsolutis sententiis ac transpositâ nonnunquam ordinis serie conatus est explicare.

Q. 5. Quodnam argumentum sit epistolarum Paulinarum? R. Sinceram fidei, morúmque Christianis convenientium expositionem, & priore quidem parte, quæ fidei sunt, traduntur, tum stabiliendæ, tum contra Judæorum in suâ lege ùtùt jam abrogatâ pertinaciam, tum contra insurgentium hæresum perversitatem propugnandæ; posteriore verò parte mores componuntur. Ut autem in specie veniamus ad explanationem epistolæ ad Romanos omnium confessione perobscuræ, ejus intelligentia, & complanatio omnium difficultatum ex illius sententiis suborientium pendet magnam partem ex notitiâ motivi, quod hunc sanctum Apostolum ad eam exarandam impulit.

Q. 6. De nomine Pauli? R. Apostolus priùs hebræo nomine Saul dictus vel Saulus, hoc nomen retinuit, usquedum Act. 12. cum Barnabâ segregatus & designatus Apostolus Gentium Sergium Paulum Proconsulem Cypri Romanum ad fidem Christianam convertit, in hujus & aliorum Romanorum gratiam tanquam civis pariter Romanus levi

mutatione unius litteræ assumpsit postmodum nomen Romanum Pauli, ea etiam de causâ, quòd hoc nomen pusillum, parvúmque denotet, suæque tum demissioni tum staturæ modicæ videretur aptè convenire. Ita S. August. in Ps. 72. Paulus, inquit, primò Saulus, postea Paulus, id est, primò superbus, postea humilis; Saul enim, unde dictum est nomen Sauli, nôstis, quia rex superbus & infrœnis fuit, non quasi aliquâ jactantiâ nomen sibi mutaverit Apostolus, sed ex Saulo factus est Paulus, ex superbo modicus: paulùm enim modicum est. Et lib. 1. de verb. Domini serm. 13. Tu es ipse Paulus in te parvus, in Domino magnus, in te infirmus, in Domino firmissimus. Eris exaltatus, quia non es ingratus. Denique serm. 25. de sanctis: Patitur, inquit, Paulus, quod fecerat Saulus: Saulus lapidavit, Paulus lapidatus est: Saulus Christianos iniquè affecit; Paulus pro Christo quinquies quadragenas unâ minùs accepit: Saulus persecutus est Ecclesiam Dei, Paulus submissus est in sportâ: Saulus vinxit, Paulus vinctus est, & dum Saulus sæviens quærit minuere numerum Christianorum, etiam ipse accessit ad numerum Confessorum.

Q. 7. Cur servum se JEsu Christi primo locô nuncupet? R. partim ex animi modestiâ, juxta illud: Luc. 17. dicite, servi inutiles sumus, partim, ut indicet se esse Christo penitus addictum; servus enim, quidquid est, Domini sui totus est. Partim ut ex hoc ipso prædicato auctoritatem sibi conciliaret; ut enim observat S. Chrysost. hom. 9. in epist. ad Ephes. Paulus cùm scriberet urbi adeo magnæ, orbis videlicet dominium gerenti, & de magnis dignitatibus glorianti ac superbienti, tanquam quod ad illius dignitatem responderet, imò quod multò esset majus incomparabiliter, & consulatum excederet, & regnum, & orbis principatum, hoc posuit nempe Paulus servus JEsu Christi. Quamquam enim

ser-

servitus, quâ homo homini servit, ignobilis sit & misera, ea tamen, quâ JEsu Christo Domino ac Redemptori nostro obstricti sumus, illustris est, & gloriosa. Ita David ps. 115. ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ: & Christus ipse ut homo, & humanæ libertatis auctor apud Isaiam non semel dicitur servus, & ipsa SS. DEi Genitrix & Angelorum Regina se ancillam Domini humillimè professa est: rectè autem dixit Philo Hebræus lib. de Cherubin, nihil purificatam mentem majori afficit lætitiâ, quàm quod dominum habet, quem agnoscit regem regum omnium. Nam servire DEo maxima est gloriatio non modò libertate major, sed & divitiis, & principatu, & omnibus rebûs, quas mortales mirantur, pretiosior. Notâsse hic juverit triplicem esse servitutem, servitutem peccati, quâ homo dæmoni, mundo & carni sive concupiscentiæ suæ ad peccatum incitanti obsequitur: servitutem humanam, quâ homo immediatè alteri homini subjectus est: servitutem DEi, quâ solius DEi obsequio totum se addixit, & ex ipsius nutu omnia agit. Prima omnino miserrima est, & indigna homine ad majora nato: secunda admodum laboriosa est & plerumque malè compensata, nunquam non exigui fructûs: postrema beatissima est, quippe conjuncta cum libertate Christianâ, & adoptione filiorum DEi. At verò hîc objicit D. Anselmus: cùm Dominus electis discipulis dicat: jam non dicam vos servos, sed amicos. Joan. 15. quomodo iste est servus? Respondet ipse, duo genera esse servitutis, quâ nempe DEo servimus, unum timoris, alterum dilectionis, unum timentium servorum, alterum diligentium & placentium filiorum. Electi ergò discipuli non sunt servi secundùm servitutem timoris, quem perfecta dilectio foràs mittit, sed secundùm servitutem casti timoris, quem perfecta charitas gignit. Paulus itaque servus est non

ex servili timore, sed ex casto amore serviens DEo. Observo ulteriùs Paulum, antequam gloriosum Apostoli nomen ac prædicatum assumeret, nuncupasse se servum JEsu Christi, hoc enim ad illud vel maximè præsupponitur; debet enim Apostolus & quivis nostrûm meminisse semper, qualiscunque quantúsque demum sit, se servum esse & quidem JEsu Christi, natum & factum ad omnia facienda & perferenda in obsequium Domini sui, contentum quocunque gradu & locô etiam novissimo. Humilitas nempe veræ & Apostolicæ sanctitatis fundamentum est.

Q. 8. Quid significent verba illa: *vocatus Apostolus?* R. Non tantùm significare Paulum ad Apostolatum vocatum fuisse, divinâ nempe voluntate ac beneplacito, non autem intrusum sive proprio, sive aliorum studiô ac operâ, uti faciunt pseudoapostoli ac hæretici, sed etiam vocatum seu nuncupatum fuisse Apostolum nempe ab aliis, ad designandam humilitatem, ut sit sensus: non audeo me dicere Apostolum, sed homines me ita vocant: non sum dignus vocari Apostolus 1. Cor. 15. neque enim omnino novum est, quòd eadem sententia Scripturæ ex ipsâ Spiritûs sancti intentione plures litterales sensus admittat, quemadmodum eadem herba v.g. multiplicem virtutem ac efficaciam habere potest: quare necesse non est ex pluribus interpretationibus omnes semper rejicere, præter unicam litteralem, uti faciunt nonnulli expositores. Sensus ergò est, si mea merita considerem, indignus sum tantâ dignitate & appellatione, si DEi benignitatem, sum planè, uti etiam vocor, Apostolus.

Hunc titulum professionis ac dignitatis suæ præponit Apostolus pene ubique initiô epistolarum suarum, ut nimirum majorem sibi conciliet attentionem & authoritatem, quod & Principes facere solent in suis ad subditos mandatis: nos v.g. Carolus DEi gratiâ Imperator Romanus &c. Ad-

Addit porrò se segregatum in Evangelium DEi, nempe ubique inter gentes prædicandum, se, inquam, segregatum, vel per conversionem ab infidelibus, vel per singularem perfectionem ac prærogativam ab aliis discipulis, non enim tantùm ex tenebris infidelitatis suæ, sed etiam supra alios fideles, imò & discipulos Christi assumptus & elevatus fuit divinitus ad hanc dignitatem, quæ prima est in Ecclesiâ secundùm illud 1. Cor. 12. Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesiâ, primùm Apostolos. Evangelium porrò DEi faustum lætúmque nuntium significat homini de DEo, nempe ejus cum illo conjunctionem arctissimam, primam per gratiam unionis seu Incarnationis Dominicæ, alteram per gratiam adoptionis in filium, tertiam per gratiam fruitionis seu Visionis beatificæ. Quid optatius? Quid grandius?

Q. 9. Quænam fuerint Apostolorum propria munera? R. Duo præcipuè, nempe Christo adesse tanquam laboris socios, vitæ ac miraculorum testes, cum illo tanquàm familiares & domesticos vivere, deinde Evangelicam doctrinam tradere, & Christi adventum populo promulgare tanquam ejus legatos in universam terram missos, hoc enim sibi vult nomen Apostoli. Utrumque officium describit Marcus cap. 3. dicens: fecit, ut essent duodecim cum illo, & ut mitteret eos prædicare. Tertium porrò munus remittendi peccata, & justificandi impios aliis quoque discipulis & Sanctis commune fuit, licèt Apostolis cum majori amplitudine ac potestate concessum fuerit, uti & virtus patrandi miracula in confirmationem suæ doctrinæ. Imò Apostoli, ut cæteris præcellerent, constituti sunt Ecclesiæ pastores, atque Episcopi, orbísque Magistri cum supremâ quadam in omnem Ecclesiam potestate totidem numerô, quot in Veteri testamento Patriarchæ, nempe duodecim. Quemadmodum enim à 12.

 illis

illis Patriarchis tota Judæorum natio propagata, ita universa fidelium multitudo prædicatione Apostolicâ spiritualiter genita & educata est: unde viginti illi quatuor seniores, qui sedere dicuntur ante thronum DEi, 12. Apostolos ac totidem Veteris Testamenti Patriarchas quodammodo indicant. Paulus ipse de Apostolis loquens Eph. 2. eos vocat Ecclesiæ fundamentum: superædificati, inquit, super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo JEsu; quibus verbis significat, summum quidem Ecclesiæ fundamentum esse Christum, Apostolos verò esse veluti primos lapides, qui in fundamento jaciuntur; id quod explicans Joannes, Apoc. cap. 21. murus, inquit, civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina 12. Apostolorum: ibidem etiam portæ nuncupantur, portæ nempe triumphantis Ecclesiæ, quia eorum doctrina aditum præbet ad cœlestem patriam; fundamenta verò militantis; quia totum hujus ædificium spirituale eorum prædicatione nititur, & quasi sustentatur.

Q. 10. Quando, & quomodo Paulus extra numerum & ordinem 12. Apostolorum ad eandem dignitatem & officium vocatus & assumptus fuerit? R. Id contigisse, quando Paulus unà cum Barnabâ erat Antiochiæ. Ministrantibus enim illis (nempe Simone Nigro, Lucio Cyrenensi, & Manahen collactaneo Herodis Episcopis ac Prophetis) & jejunantibus dixit Spiritus Sanctus: segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes & orantes, imponentésque eis manus dimiserunt illos Act. 13. nempe ad prædicandum Gentibus Evangelium, id quod contigit annô à Christi morte 13, paulò postquam Paulus raptus esset in tertium cœlum, & Petrus Romam profectus esset. Volebat enim Spiritus Sanctus sub idem tempus idololatriam

in

in Occidente per Petrum, in Oriente per Paulum unanimiter convelli, uti obſervat Tirinus noſter. Præcepit itaque Spiritus Sanctus, ut Paulus & Barnabas jam ab æterno ad converſionem gentium & Apoſtolicam dignitatem deſtinati tunc temporis à cæteris ſegregentur, hoc eſt; ſeligantur, ſeparentur, ac ſecernantur, ſive tanquam anathemata & vaſa ſpecialiter DEo dicata ac conſervata, ſive tanquam præcipui DEi Miniſtri, quibus nihil cum reliquo vulgo debeat eſſe commune, quíque ab omnibus aliis curis vacui huic uni miniſterio divino debeant eſſe intenti, ut Paulus ipſe docuit 2. Tim. 2. nemo militans DEo implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit. Contigit hæc electio & ſegregatio, paulò poſtquam Apoſtoli 12. factâ diviſione in diverſas orbis partes conceſſiſſent ad prædicandum Evangelium.

Q. 11. An Paulus æqualem cum aliis Apoſtolis poteſtatem, an etiam æqualem cum D. Petro dignitatem habuerit? R. Ad 1mum. Apoſtolos omnes ratione muneris ſui æqualem habuiſſe poteſtatem, atque adeo ubique locorum ac gentium apoſtolicas functiones exercere, Evangelium promulgare, Sacramenta conferre, miracula patrare, leges etiam condere potuiſſe, ita tamen, ut eorum leges Auctoritati Petri ſubeſſent, ab eóque revocari, corrigi, mutari, denique abrogari poſſent, quem D. Petri principatum ac primatum SS. PP. & DD. pluribûs demonſtrant. Unde Leo Magnus Pontifex cùm Serm. 3. de anniverſario ſuæ aſſumptionis de Petro ageret, verè ſcripſit: de toto mundo unus eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctíſque Eccleſiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo DEi multi Sacerdotes ſint, multíque paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter

re-

regit & Christus. Unde patet R. ad 2dum. Petrum & Paulum, uti & reliquos Apostolos, executione & genericâ, ut ita loquar, potestate Apostolicâ à Christo immediatè acceptâ pares fuisse; Petrum tamen auctoritate regiminis etiam in suos successores continuandâ superiorem eò fermè modo, quo Episcopi Vicarius agendi potestate Episcopo est æqualis, quippe unum cum ipso tribunal habens, sed auctoritate longè inferior; imò Petrus magìs propriè ratione universalitatis & successionis Christi Vicarius fuit, quàm reliqui Apostoli, cùm eorum auctoritas, potestas, & fidei constantia ac puritas nequaquam in eorum successoribus duraverit. Neque obstat 1mo. quòd Gal. 2. Paulus de Petro & Apostolo loquens majorem in iis potestatem non videatur agnoscere, cùm dicat: quibus neque ad horam cessimus subjectione, & mox: meâ nihil refert, quales fuerint, qui aliquid esse videbantur: itemque: qui videbantur esse aliquid, nulla mihi mandata dederunt. Rursus, nihil mihi contulerunt. Denique: dexteram dederunt mihi societatis: nam hæc omnia spectant ad referendam æmulorum suorum calumniam, qui Paulum infrà reliquos Apostolos longè volebant deprimere, quòd illi ab ipso Christo electi fuerint; ipse verò non nisi ab Apostolis admissus quasi in socium & adjutorem. Protestatur enim se non ab hominibus fuisse in Apostolum assumptum, neque subesse velle pseudoapostolis, qui ipsum cæterósque fideles legis veteris cæremoniis adstringere etiamnum volebant: cæterùm socium se profitetur Apostolicorum laborum, nequaquam autem prærogativam ac præeminentiam sibi arrogat in regimine Ecclesiæ. Quin ad Galatas 1. scribit, se ascendisse Hierosolymam, ut Petrum conveniret; in quem locum S. Ambr. Chrysost. Theodor. & Oecumenius commentantur, id eum fecisse, ut eum tanquam

ma-

majorem, & primum, & principem Apoſtolorum inviſeret, & honoraret. Neque obſtat 2do. quòd Paulus ſimpliciter dicatur Apoſtolus, quaſi antonomaſticè; id enim exinde provenit, quòd ut ait D. Aug. lib. 4. ad Bonif. c. 3. quia pluribus eſt epiſtolis notior, & plus omnibus aliis laboravit. Neque obſtat 3tiò, quòd ſigilla pontificiorum diplomatum Paulum à dextris exhibeant quaſi digniori locô; id enim neque ſemper factitatum, neque dextera ſemper dignior eſt, & fortè Eccleſia non tam dignitatis, quàm meritorum & laborum rationem habet, quod ipſum cernere eſt in cultu plurimorum SS.orum, quos ipſa ſolenniori cultu proſequitur, quàm Romanos Pontifices. Adde, quòd cùm Paulus Gentium Apoſtolus, Petrus verò Judæorum ſit conſtitutus, eò Pauli honor referatur, ut intelligamus Gentiles Judaico populo præferri, quódque Paulus fuerit ex tribu Benjamin, quem filium dextræ interpretantur. Cæterùm Pauli poteſtas fuit tantùm extraordinaria, Petri ordinaria, adeóque major in ſuo genere, & ſtabilior, cùm ſupra Petrum ejúsque ſucceſſores fundata ſit Chriſti Eccleſia, ipſi nominatim datæ claves, ipſe paſtor non tantùm agnorum, ſed & ovium univerſalis conſtitutus, adeóque & ipſorum Apoſtolorum & Epiſcoporum Princeps, quos debeat juxta Chriſti promiſſionem in fide confirmare &c. Ipſi uni conceſſum eſt; ut quemadmodum Aaroni in Veteri Eccleſiâ ſeu Synagogâ perpetui ſucceſſores cum ordinariâ poteſtate ſupremâ ſucceſſerunt: ita & ipſi in Chriſti Eccleſiâ usque ad conſummationem ſæculi duraturâ legitimi ſucceſſores, iíque in fide ſtabiles, ac ſupremo Eccleſiæ regimine nunquam defuturi ſint; cæteri verò Apoſtoli, Paulô excepto, qui nullum ſucceſſorem habuit, cùm nulli Eccleſiæ fuerit adſtrictus, habuêre quidem ſucceſſo-

res in privatis ſuis Eccleſiis, quas gubernârunt, ſaltem ad tempus, nullos autem in Apoſtolatu ſeu univerſali Eccleſiæ regimine, quippe quod in ſolâ Petri Sede Romanâ hæſit, & ad ejus ſucceſſores transmiſſum eſt, & in iis durabit usque ad mundi finem ſecundùm Chriſti promiſſionem.



AR-



ARGUMENTUM EPISTOLÆ AD ROMANOS.

SUb id tempus, quô Roma acceptaverat legem Evangelicam, AngelusSatanæ dominationem idololatriæ ruinæ proximam animadvertens duobus ſtratagematis ad eam ſervandam firmandámque uſus eſt. Primum erat, ut impediret eos, qui necdum religioni Chriſtianæ nomen dederant, quò minùs eam amplecterentur, alterum, ut eâ initiatos ad execrandam apoſtaſiam impelleret. Ad prius illud executioni dandum Simonem adhibuit tanquam fidum cumprimis & peropportunum Miniſtrum; cùm enim nomine Chriſtiani inſignitus eſſet, ſimúlque deditus abominandis Magiæ ſuperſtitionibus, anſam dedit communi famæ, dicam, an infamiæ, quòd Chriſtiani omnes Magiâ contaminati ſint, neque aliquid in actis Martyrum frequentiùs occurrit, quàm exprobratio hujus deteſtabilis flagitii. Poſteaquam humani generis, Chriſtianíque nominis hoſtis peſtilentem hanc ideam animis illorum impreſſerat, quibus Religionis noſtræ veritas atque integritas minùs explorata erat, animum operámque adjecit ad turbandam naſcentis Eccleſiæ tranquillitatem ſubortâ arrogantiâ & obſtinatione Judæorum recentiſſimè ad eam converſorum: hi enim non ſolùm volebant inſiſtere

 mor-

mordicùs obſervantiæ quarundam cæremoniarum legalium, nempe abſtinentiæ à certo ciborum genere, & celebrationis quorundam feſtorum, ſed etiam iniquè ferebant, Romanos inde eximi, & ùtùt ante inſanos idolorum cultores ad agnitionem tamen veritatis perinde ùt ipſos, vocatos fuiſſe & admiſſos. Exprobrabant illis infanda præteritæ vitæ flagitia, dictitantes, nequaquam ipſos concernere promiſſa ſuis, nempe Hebræorum progenitoribus facta. Gloriabantur ſe eſſe illum electum, & dilectum DEi populum, credebántque auſpicatiſſimum Evangelii lumen ſibi unis deberi in compenſationem exactæ legis ſuæ obſervantiæ. Romani contrà replicabant, gratiam JEſu Chriſti quod attineret, eâ illos omnino indignos ſe reddidiſſe inſigni ſuâ perfidiâ, quandoquidem Dominum gloriæ, quem ut DEi filium, verúmque Meſſiam agnoſcere ac venerari debuerant, per ſummam impietatem in crucem egiſſent, & legem ſuam, quam profitebantur, identidem violâſſent, ſe verò absque eâ lege vitam planè ſceleribûs immunem, moribúsque innocentem duxiſſe, quod DEum meritò permoverit ad eos beatiſſimâ Evangelii ſui luce colluſtrandos. Ab his criminationibus progreſſi erant ad Judæos paſſim deſpiciendos & pro natione maledictâ ac à DEo reprobatâ habendos, de ſuâ verò electione captandam inanem gloriam plausúmque.

Divus Paulus abſente tum Paſtore ordinario de periculoſo hoc ſchiſmate certior redditus hanc ſcripſit epiſtolam. In primâ parte, quæ dogmatica eſt, & usque ad Caput 12. excurrit, ejus intentio univerſim eò collimat, ut frœnum injiciat temerariæ Judæorum ac Romanorum arrogantiæ oſtendendo, & hos, & illos in profundam immanium flagitiorum abyſſum ruiſſe præcipites, unde ſolâ JEſu Chriſti miſeratione & clementiâ erepti ſurrexerint, per opera legis tam moralia,

quàm

quàm cæremonialia solis naturæ legísque viribûs facta Judæos minimè justificari posse, neque iis ullâ ratione permotum supremum Numen, ut eos ad sui Nominis agnitionem vocaret. Quod autem ad gentiles attinet, solidè demonstrat, neque eorum in speciem præclarè gesta plus valoris ac momenti habuisse ad promerendam eis gratiam justificantem, sed omnes sine discrimine eam consecutos solâ DEi miserentis benignitate ac fide in JEsum Christum, Gentiles Judæis antehabitos, quòd ita Divinæ Majestati placuerit, neque idcirco de istorum salute conclamatum, neque omnes universim reprobatos, avulsos quidem fuisse ex florenti olivâ tanquam ramos inutiles, illi tamen denuo implantandos, si seriò se ad DEum converterint. In posteriore epistolæ parte, quæ ethica est, fideles instruit, quales se exhibere debeant erga DEum, erga fratres suos, erga inimicos, erga principes, & erga semetipsos. Absolvit eam saluberrimis monitis circa usum ciborum permissorum, aut vetitorum lege Mosaicâ, & celebrationem certarum solennitatum.

Capite primo Apostolus ante omnia attentionem sibi conciliat, docilitatem & benevolentiam Romanorum, ad quos scribit: attentionem, nuncupando & profitendo se Apostolum esse JEsu Christi, unde consequitur, sibi commissam Evangelii prædicandi provinciam, adeóque pronis auribûs excipiendum; docilitatem, asserendo, annuntiare se ejusmodi Evangelium, quod summam commendationem meretur tum ex antiquissimis sacrorum vatum promissionibus, tum ex argumento, de quo agit, nempe de Filio DEi; benevolentiam, declarando, missionem suam Apostolicam ad omnes ac singulos dirigi, commendando eos à firmitate fidei, certósque reddendo, quòd assiduum pro eis intercessorem agat apud Divinam Majestatem, nec non promittendo, brevì se

ad eos invisurum non ex merâ curiositate, sed ad majorem illorum in spiritu profectum, hactenus remoram profectioni suæ injectam ex variis negotiis, & obstaculis Ministerii sui. Demum rationem subjungit, cur minimè vereatur prædicare Evangelium, proponítque argumentum primarium, de quo agere velit per totam epistolam, nempe de justificatione per fidem. Argumentatur autem in hunc fere modum.

Judæi perinde ac Gentiles justificari debent vel ex operibus, vel ex fide; ex operibus nequeunt, ergo debent ex fide. Minorem probat primò de gentilibus usque ad caput secundum: qui DEum ad iracundiam suis flagitiis provocârunt, non possunt justificari ex operibus, atqui gentiles, qui delinquunt contra propriam conscientiam, & delinquentibus consentiunt, provocârunt DEum ad indignationem & vindictam, quandoquidem cùm DEum notitiâ non operosâ, neque obscurâ cognovissent, aut cognoscere potuissent, non sicut DEum ter Optimum Maximum religioso cultu glorificârunt, quin imò se omni flagitiorum genere contaminârunt, uti ostendit satis prolixo eorum catalogô, itaque gentiles ex suis operibus justificari nequeunt.

Capite 2do. de Judæis idipsum probat sequenti discursu: qui se ipsos condemnant, non possunt DEum arguere, quasi injuriam ipsis faceret eos pariter condemnando, cùm minimè præsumendum sit, velle aliquem contra seipsum iniquè procedere, atqui Judæi condemnant seipsos, ergo &c. Minorem ita demonstrat: qui in aliis damnant, quod ipsi perpetrant, seipsos unâ eadémque sententiâ reos pronuntiant, at verò Judæi in gentilibus damnant, quod ipsi perpetrant, ergo &c. Postmodum refellit opinionem eorum, qui ad perseverandum in sordibus suis allegabant immensam DEi bonitatem, denuntians, eos sibi hac vivendi ratione thesaurum

iræ

iræ & indignationis divinæ accumulare, addendo nempe identidem sceleribus scelera, quamobrem à DEo denique derelicti debitas pro meritis pœnas daturi sint in tremendo illo supremi judicii die, quo DEus unicuique reddet secundùm opera ejus tam Judæo quàm gentili. Docet præterea, nequaquam sufficere professionem Legis, ut quis justificetur, sed requiri ejus observantiam, illósque solummodo justos esse coram Deo, qui legis præcepta custodiunt. Propositioni huic illud poterat opponi: Ais, eos solùm justificandos, qui legem observant, atqui gentiles nunquam legem Moysis servârunt, ergò non justificabuntur, id est, justi coram DEo habebuntur, verbum enim *justificationis* in hoc textu sic accipiendum est. Respondet, si illi, ad quorum notitiam lex non pervenit, sive ante sive post ejus promulgationem extiterint, vitam tamen naturaliter agant, videlicet secundùm naturæ instinctum, ac præcepta moralia, id est, absque Magistro, qui eos perinde ut Judæos oretenus doceat, quid licitum necne, talibus naturæ lumen ac dictamen esse pro lege scriptâ, non ita tamen, ut ipsum solum sufficiat ad observantiam legis naturalis, útque per illam justi valeant coram Deo haberi: hac enim voculâ *naturaliter* præcisè exclusa vult auxilia exteriora promissionum & comminationum legis, non verò auxilium gratiæ interioris, sine quo neque lex integrè observari, neque perfecta justitia, qualem Deus requirit, obtineri potest. Illud etiam hîc notâsse juverit, prædictum textum non intelligendum de gentilibus idola colentibus, sed de iis, qui legem scriptô non acceperunt, qui omnes à Judæis nuncupantur gentiles. Expeditâ hac objectione convertitur ad Judæos, & eloquenti enumeratione prærogativorum, quibûs supra Gentes gloriantur, ostendit tantò graviorem esse ipsorum ingratitudinem, tantóque minùs

nùs esse excusabiles. Concludit demum, non illum esse verum Israëlitam, qui exteriùs tantummodo Judaicam profitetur religionem, sed qui cor habet circumcisum, id est, qui nullo affectu terrenis rebus adhæreſcit, qui DEum unicè quærit, qui non hæret in cortice litteræ, quæ occidit, sed in medullâ, & spiritu, qui vivificat.

Cap. 3. ex præcedentibus colligit, omnes tam Judæos, quàm gentiles sub peccato esse, adeóque indigere fide & gratiâ Christi Redemptoris ad salutem consequendam. Illam tamen prærogativam Judæis tribuit, ne eos videatur contemnere, quòd ipsis factæ sint divinæ promissiones, quarum subin firmitatem ac certitudinem allegatis duobus ex Davide textibûs adstruit: quandoquidem verò ex posteriori, qui habetur psalmô 50mo. nonnulli profligatæ mentis, & nullius religionis homines geminas abominandas sequelas deducebant, 1mo. quasi DEus injustè ageret eos puniendo, quorum infidelitate tanquam instrumentô uteretur ad manifestationem suæ gloriæ, 2do. licitum esse operari malum, si exinde quid boni resultet. Ad istas calumnias respondet inprimis eas tanquam blasphemias cum stomacho rejiciens, postmodum hoc argumento eas retundit: quos DEus condemnat, justè condemnat, atqui peccatores condemnabit, ùtùt ex eorum flagitiis occasionem sumat manifestandi clementiam aut justitiam suam, ergo &c. Cæterùm ad deprimendam rursus Judæorum de hac ipsâ prærogativâ Legis, circumcisionis, promissionum &c. jactantiam immeritò eos gloriari docet, cùm & ipsi innummeris iisque gravissimis peccatis oppressi sint, uti probat diversis scripturæ textibûs ex Lege desumptis, puta ex Psalmis & Prophetis, qui non tam gentilibus, quàm qui in lege sunt, id est, Judæis loquuntur, eorúmque vitia redarguunt. Postea rationem dat, cur DEus

us tam fœdos eorum lapſus permiſerit, & concludit, neminem juſtificari poſſe ex operibus Legis, idque ob eam rationem, quòd Lex ex ſe tantùm producat notitiam peccati, atqui juſtificatio non conſiſtit in ſolâ peccati notitiâ, ſed in ejus remiſſione, ac proin in infuſione gratiæ, ergò &c. Huic concluſioni negativæ addit affirmativam; nempe, quòd homo juſtus reddatur ſeu vivat ex fide, & in hujus rei confirmationem exponit omnes cauſas juſtificationis: omnes, inquit, ad eam obtinendam indigent gratiâ, cùm omnes deliquerint nullo exceptô, & DEus absque perſonarum acceptione & diſcrimine univerſim ſit Dominus omnium hominum. Poſtremò iis, à quibus arguebatur, quòd Legem videatur deſtruere, & abolere, reſpondet, ſe illam potiùs firmare atque perficere, exemplô nempe Chriſti Domini, qui non venit legem ſolvere, ſed adimplere. Matth. 5. Atquomodo id factum? Reſpondet D. Auguſtinus, & Chryſoſtomus, quia gratiam nobis attulit, quâ eam adimplere poſſimus. Nam lex jubebat, ſed non juvabat, poſt Chriſtum & jubet, & juvat. Tertullianus: quia, quæ in lege promiſſa erant, exhibuit, quæ cæremoniis & figuris obumbrata, repræſentavit. D. Thomas: quia implevit primò moralia charitatis dulcedine condiendo, ſecundò cæremonialia figurarum velamen detegendo, tertiò prophetias in ſe completas oſtendendo, quartò promiſſiones confirmando, quintò judicialia per miſericordiam temperando, ſextò conſilia addendo, ſeptimò promiſſiones ei factas de Spiritûs Sancti miſſione & Filii incarnatione perſolvendo. Eleganter S. Proſper in ſententiis excerptis ex S. Auguſtino, quæ habentur in fine tomi 3tii. S. Aug. n. 44. lex, ait, data eſt, ut gratia quæreretur, gratia data eſt, ut lex impleretur. Neque enim ſuo vitiô non implebatur, ſed vitiô prudentiæ carnis, quod vitium per

legem demonſtrandum, per gratiam ſanandum fuit. Denique notatione digna ſunt Gloſſæ verba: lex non deſtruitur, cùm eſt impleta ſecundùm ſpiritum, licèt ceſſet ſecundùm litteram: imò legis ſtatus firmatur, quia myſtica & cæremonialia ſpiritualiter implentur, & quod minùs in moralibus continebat, in Evangelio additur, & quod lex verborum promittebat, fides Evangelii jam adveniſſe teſtatur. Myſtica ergò & promittentia in Evangelio impleta ſunt ſecundùm ſpiritualem intelligentiam, littera autem occidens tollitur.

Cap. 4. probare pergit exemplô Abrahæ, non per opera Legis aut naturæ, ſed per fidem Chriſti omnes juſtificari. Notandum autem hîc probè, non agere Apoſtolum de naturâ, per gratiam Chriſti ſanatâ, ſed de illâ in ſtatu ſuæ corruptionis conſideratâ, quæ propriis viribus, ùtùt Moſaicæ Legis adjutoriô fultis non poteſt aliquid facere, quod ſit perfectè & abſolutè bonum & juſtum coram DEo, ſeu meritorium gratiæ aut gloriæ de condigno ac congruo. Deinde per fidem ſeu legem fidei non excludit ſpem, timorem, pœnitentiam, charitatem, & bona opera, ſed præcisè opera antiquæ legis ſine fide & gratiâ Chriſti facta, adeóque fidem accipit, prout opponitur operibus puræ legis Moſaicæ, vel naturæ corruptæ ſibi relictæ; quòd autem de ſolâ fide hîc expreſſam mentionem faciat, inde provenit 1mò. quia eâ maximè indigebant tum Judæi, tum gentiles tanquam 1ma. radice totius juſtificationis, 2dò. quia fides viva, de quâ intelligendus Apoſtolus, alias virtutes vel præſupponit, vel includit, vel poſt ſe trahit adjuvante gratiâ.

Probatio porrò Apoſtoli ad hanc ferme argumentationem reducitur: omnes Abrahæ filii eo modô juſtificari debent, quo juſtificatus eſt eorum progenitor, at verò Abrahamus juſtificatus eſt ex fide, non verò è ſuis operibus, ergò fideles, qui ab eo deſcendunt, juſtificari opor-

oportet ex fide, non verò ex suis actionibus. Minorem ita demonstrat: si Abraham justificatus est ex suis operibus, tunc justus non fuit coram Domino, justitia enim operum est præcisè extrinseca, quæ hominem neutiquam DEo amabilem veréque gratum reddit, præterea DEum non ritè glorificavit, quandoquidem mercedem operibus honestis debitam recepit, non verò donum aliquod gratiæ, atqui justus fuit coram Domino, ipsúmque glorificavit tanquam auctorem gratiæ ac justitiæ, &c. Ad probandum eam ipsam propositionem minorem adducit textum Genesis, quo dicitur, fidem ejus reputatam illi esse in justitiam, quasi diceret, justificatum esse ex fide suâ. Tertia probatio sic habet: merces datur operanti tanquam res debita, atqui justitia non fuit Abrahamo concessa ex debito, aliàs Scriptura non dixisset, fidem ejus in justitiam ei reputatam fuisse secundùm propositum gratiæ DEi, ergò justitia non fuit ei concessa ratione operum. Huic Abrahami exemplo subjungit sententiam, quâ David absque ullâ mentione operum beatos illos pronuntiat, quorum tecta sunt peccata, id est, deleta; DEus enim minimè contentus inflictum vulnus fasciâ suæ miserationis præcisè contexisse, illud adeo perfectè sanat, ut ne quidem cicatrix, vel ullum ejus vestigium remaneat. Quandoquidem autem replicare quis poterat, justificationem hanc gratuitam Judæos tantùm concernere, ostendit, gentiles quoque in ejus partem admitti eâ de causâ, quòd gentiles justificari possint in eodem statu, in quo Abrahamus erat, cùm justificaretur, tunc autem circumcisus non erat, &c. Postmodum rationem reddit, quare justificatus sit Abraham, cùm etiamnum haberet præputium, docétque illum fuisse patrem omnium credentium, & hæreditatem illius fidei eximiæ adpromissam, iísque, qui eam pariter imitarentur, non verò

illis, qui præcisè legem obſervarent. Sic enim diſcurrit: Fides Abrahæ inutilis eſt, & promiſſio divina inanis ſeu nulla, ſi hæreditas debetur obſervationibus legis, hoc verò abſque blaſphemiâ dici nequit. Probatio majoris habetur in paraphraſi hujus capitis. Adducit novam rationem: quòd iram DEi provocat, non poteſt reddere juſtum, juſtitia enim noſtra conſiſtit in pace cum DEo, atqui lex provocat, ſeu operatur iram DEi, nempe per accidens ratione infirmitatis & fragilitatis humanæ, quia ſine fide & gratiâ nimiùm difficilis eſt ejus obſervantia: Deinde extollit paternitatem Abrahæ, demonſtrans eam divinæ eſſe perſimilem (pro eo enim quod in vulgatâ dicitur *ante DEum*, ſecutus ſum pro clariori intelligentiâ in paraphraſi textum græcum originalem, *ad inſtar DEi*) obſervat, & enucleat ſingulas fidei circumſtantias in hoc Patriarcha, & ad illius magnitudinem declarandam aſſerit, Moyſen illius meminiſſe in ſuis libris, ut notum faceret, juſtificandos & nos ejus exemplô, ſi in JEſum Chriſtum crederemus, qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.

Poſtquam Paulus hactenus ad oculum demonſtravit, noſtram juſtificationem non haberi ex lege, ſed ex fide & gratia Chriſti, nunc oſtendit quanta ſit tum excellentia tum utilitas hujus juſtitiæ per fidem Chriſti obtentæ, & ex oppoſito damna per peccatum originale invecta. Capite 5to. ergò agit de effectibus juſtificationis, qui ſunt vel intra nos, videlicet pax cum DEo, tranquillitas conſcientiæ, & ſpes firma hæreditatis ſupernæ, vel exteriùs ſe produnt, nempe patientia in adverſis. Spem porrò Chriſtiano nomine gloriantium malè fundatam non eſſe compluribus argumentis comprobat. Inprimis, credere oportet, quidquid Spiritus Sanctus nobis interiùs ſuggerit, ac pro certo revelat, atqui nos interiùs certos red-

reddit (certitudine aliquâ morali, saltem latè tali) nos esse filios DEi, & hæredes regni cœlestis &c. 2do. si Pater æternus nobis plus contulit, quam hæreditatem supernam, neque istam nobis denegabit, atqui nobis Filium suum unigenitum dedit longè utique cœlis omnibus præferendum, ergò nobis hæreditatem supernam minimè denegabit. 3tiò Si DEus nos dilexit, cùm essemus ejus inimici, adeo ut Filium suum dilectissimum morti traderet amore nostri, longè certiùs nobis in gratiam receptis dabit & gloriam. Inde progreditur Apostolus ad discurrendum de officio JEsu Christi tanquam Mediatoris, cúmque illud consistat in exterminatione ac deletione peccati, ascendit ad fontem seu originem maculæ originalis, quæ in orbem introducta fuit per Adamum, non imitatione, uti delirabat Pelagius, sed propagatione. Postquam asseruerat, peccâsse omnes in Adamo, eò quòd omnium hominum voluntates ejus voluntati alligatæ essent tanquam Capitis humanæ naturæ, opponi poterat, mortem singulos incurrere in pœnam delictorum suorum personalium sive actualium, respondet, mortem temporalem non fuisse statutam in pœnam peccati, nisi primùm post legis institutionem, & nihilominus jam ante eam obiisse homines mortem, eósque non solùm adultos, sed etiam infantes, de quibus utique dici nequit, quòd actualem primi sui parentis prævaricationem imitati fuerint, cùm rationis usu caruerint, unde arguit mortem supplicium esse peccati originalis in omnes diffusi, non verò peccatorum actualium. Inde comparationem instituit inter peccatum Adami, & gratiam JEsu Christi, eámque differentiam cumprimìs observat, quòd ex illo non tot mala in nos redundârint, quot bona ex istâ postmodum accepimus. Legem autem Moysis quod attinet, neque illam omnino fuisse inutilem notat, primô quod ea in peccati notitiam nos perduxerit, ostendendo videlicet multa, quæ

aliàs credebantur licita, habenda pro flagitiis prægrandibus, peccatíque essentiam ac malitiam in eo propriè consistere, quòd rebellis homo DEo non obtemperet, sed ab hoc primo sui rerúmque omnium principio sese avertens ad creaturam toto cordis affectu convertat. Deinde cùm lex occasio fuisset plurium transgressionum ob suas difficultates, inde magìs inclaruit excellentia & abundantia gratiarum, quas nobis attulit illam subsecuta suavissima lex Evangelii.

Capite 6to. statim subinfert, nequaquam licitum esse in peccato persistere, ut exinde superabundet gratia, quod nonnulli maléferiati deducere volebant ex præcedenti ejus discursu. Probat id inprimis ex absurditate talis propositionis: deinde quòd Christiani peccato sint mortui, ac proin peccato non ampliùs vivere debeant, atqui vivere peccato ex mente Apostoli est habere commercium seu familiarem consuetudinem cum pecato, illud committere, ejus mancipium esse, quemadmodum vicissim peccato esse mortuum significat nullum habere commercium cum peccato, uti nec mortui habent cum viventibus, peccatum non ampliùs committere, quemadmodum mortui nihil agere possunt. Quòd autem fideles peccato sint mortui, exinde probat, quòd baptismò abluti sint, sicut enim immersione, quæ fiebat, & adhuc fieri potest in baptismo, configuramur Christo mortuo ac sepulto, ita vicissim emersione ex aquis baptismi configuramur Christo resurgenti. Addit resurrectionem Christi secundùm carnem figuram quoque esse resurrectionis spiritualis animæ nostræ: quemadmodum ergò illam præcessit mors corporis, ita pariter nostram resurrectionem in spiritu præcedere debet interitus peccati, ut deinceps peccato commortui in novitate vitæ ambulemus, sicut Christus semel mortuus ad novam vitam non amplius moriturus resurrexit. Reponit post-

mo-

modum iis, qui pro excusatione allegare poterant depravatas à multo jam tempore suas inclinationes, veterem hominem, qui eos ad peccatum instigabat, affixum fuisse cruci, ut intelligeremus, Filium DEi, si morte suâ fomitem concupiscentiæ (quæ in omni hac ratiocinatione peccatum appellatur, tanquam causa, occasio, effectus & pœna peccati) non extinxerit penitus, ejus saltem ardorem mitigâsse, convenientia remedia ad eam subjugandam attulisse. Hinc Apostolus non desiderat, ut peccatum in hoc sensu non sit, sed ut non ampliùs regnet in vobis. Subin ostendit, hoc non esse adeo difficile, esse insuper honestum, & maximè proficuum, non difficile; eò quòd non amplius sub Lege sint auxiliis destitutâ, sed sub Evangelio, quod vires suppeditat exequendi quod præcipit; *honestum insuper*, quoniam *servire justitiæ*, eíque conservandæ & augendæ impensè studere honorificum est laudéque dignissimum; proficuum denique, quia mors est stipendium & fructus peccati, vita autem supernaturalis fructus bonorum operum.

Cap. 7mo. demonstrat, quod paulò ante dixerat, homines non ampliùs Legi obnoxios esse, ídque similitudine aliquâ ex ipsa Lege petitâ, quam in paraphrasi satis supérque explico. Tum sibimet objicit: ergò lex est causa peccati. Respondet sequelam hanc absonam esse 1mò. quia lex peccati tantùm notitiam gignit, 2dò. quia ad mortem eum condemnat, qui peccatum perpetrat, atqui nulla causa effectum suum destruit: fatetur tamen non levem ex Lege occasionem delinquendi præbitam ob hominum perversitatem, quibus ipsa præcepta imposita pro materiâ transgressionum servierunt; postmodum tamen ne sibi contradicere videatur asserendo legem esse sanctam, & ex illâ mortem provenire, rationem dat, quare & quomodo ad peccatum exciter, quod isthoc

capi-

capite regi præpotenti, armato, qui mortem inferre possit, æquiparat. Deinde ad subtrahendam Christianis omnem materiam inanis gloriæ, nec non desidiæ, eò quòd pro regulâ vivendi habeant legem ex omni parte perfectam, ponit ob oculos bellum intestinum animæ inter rationem & appetitum concupiscibilem, útque planiùs & apertiùs loquatur, faciliúsque percipiatur, non in alienâ personâ peccatoris v. g. sub lege adhuc gementis, sed in propriâ hominis justi, & sub lege gratiæ viventis discurrit, ne ad quos scribebat, sibi fors imaginarentur, ejus ratiocinationem ad ipsos minimè pertinere tanquam Legi Antiquæ non ampliùs obnoxios. Volebat nimirum indicare, se utut jam à lege liberum & sub gratiâ constitutum totque privilegiis à DEo condecoratum tantos tamen concupiscentiæ stimulos & incitamenta in malum sentire ut instar servi emptitii *sub peccato venundatus* sæpius cogatur invitus illi parère, ejúsque motus ac impetus velit nolit sentire, licèt procul esset à consensu, uti pluribus dolenter prosequitur. Atque hanc sententiam & explicationem de statu Evangelii prætuli, licèt Græci propè omnes hæc Apostoli suspiria de statu Legis antiquæ acciperent. Divus Augustinus ipsis quidem per suam interpretationem accesserat in tractatu, quo aliquas propositiones epistolæ ad Romanos explicat, subortâ verò hæresi Pelagianorum majori à DEo luce collustratus in materiâ de gratiâ primam suam opinionem retractavit, eámque amplexus est ut veriorem, quam modò proposui & secutus sum.

Capite 8vo. ut eos consoletur, quos præcedenti discursu de infirmitate Legis & tyrannide concupiscentiæ perculerat, describit jam vires spiritûs & gratiæ Christi, atque tametsi motus rebellis concupiscentiæ intra se persentiscant, propterea tamen non damnatum iri, modò per fidem & gratiam

JE-

JEſu Chriſto ſint inſiti, ac tentationi aſſenſum non præbeant. Probat aſſumptum cum ſuâ priori reſtrictione 1mò. quia per Evangelium certi reddimur, JEſum Chriſtum nos exemiſſe à lege mortis & peccati. 2dò. quia is ex deſtinato venit ad efficiendum, quod lex præſtare non poterat, nempe ad nos juſtificandos. Progreditur dein ad poſteriorem limitationem ſignificans, eos, qui ſunt inimici DEi, indignos eſſe conſolatione divinâ, atqui qui ambulant ſecundùm carnem, inimici ſunt DEi, ergò &c. Tum argumentum ſuum applicat gentilibus recèns converſis, aſſeritque, ſi ſpiritum JEſu Chriſti habeant, nempe Spiritum ſanctum, pertinere omnino ad JEſum Chriſtum, neque ampliùs ambulare ſecundùm carnem. Præter vitæ porrò præſentis ſanctimoniam addit Spiritum ſanctum in ipſis habitantem eorum quoque corpora reſuſcitaturum, ubi eorum animabus vitam gratiæ impertitus fuerit. Inde occaſionem ſumit hortandi eos, ut à peccando deſiſtant impoſterum. Rationes affert ſequentes. 1mò. Fidelitatem à vobis repoſcit DEus, quibus tot beneficia contulit, eam porrò præſtare non valetis, ſi ambuletis ſecundùm carnem, ergò ab hoc vobis impoſterum cavendum eſt quàm diligentiſſimè. 2dò. Id omne vobis fugiendum eſt, unde malum pullulat, id econtrà præſtandum, quod vobis proficuum & rationi eſt conſentaneum, ſed vivere ſecundùm carnis deſideria & illicia cedit in perniciem animæ, vivere autem ſecundùm ſpiritum in æternam remunerationem &c. Probat minorem quoad remunerationem in hunc modum: fratres adoptivi JEſu Chriſti jus pariter cum eo habent ad cœleſtem hæreditatem, tales vos eſtis. Poſtmodum eos animat ad patientiam in adverſis 1mò. quia qui iſta æquo animô ferunt, ſocii ſunt JEſu Chriſti, quos tanquam dux noſter, longè graviſſimâ cruce onuſtus præivit ad

montem Calvariæ, imò & in cœlum. 2dò. quia merces, quæ tolerantiam ſequitur, permagna eſt, 3tio. imò longè maxima in comparatione illius. 4tò. Ex conſideratione rerum ſenſu carentium, quæ conſummationem hujus ſæculi præſtolantur, ut tandem à lege corruptionis eximantur, cui poſt Adami lapſum ſunt obnoxiæ. 5. Ex internis illis dictaminibus ac deſideriis immortalitatis, quæ à Spiritu ſancto in nobis excitantur non utique in vanum. 6. Ex naturâ & indole fiduciæ, cujus eſt patienter expectare. 7mò. Ex ſolatiis, quibûs perfundimur à Spiritu Sancto. 8vo. Ex bonis, quæ in nos redundant per adverſa quæque ſive in genere, ſive in particulari. Ultimâ parte hujus capitis oſtendit, mercedem hanc à DEo ſuis electis promiſſam eſſe omnino certiſſimam. Inde colligit, fidelibus nihil admodum metuendum eſſe, ſive tentatione infeſtentur, ſive adverſitate premantur, quandoquidem amoris, quo DEus illos complectitur fovétque, incendium res nulla valet extinguere.

Cap. 9no. priusquàm ordiatur diſcurſum de reprobatione Judæorum, ſeriò illis candidéque aſſeverat, dolere ſe, angíque animò vehementiſſimè, quòd illis prærogativîs non ampliùs gaudeant, quæ ipſos unicè concernere videbantur, cuperéque ſincerè anathema eſſe pro illis. Interpretes diverſiſſimo ſenſu hoc deſiderium votúmque exponunt, & Cardinalis Toletus, qui in hanc epiſtolam doctiſſimum ac ſolidiſſimum commentarium ſcripſit, enumerat eorum opiniones, à quibus allegandis abſtineo, ne longior ſim, & moleſtus. Dicam ſolummodò, verbum anathema in divinis Scripturis propriè ſignificare rem DEo conſecratam, non tantùm, ut ſervetur pendula ex tholo templi, aut ab uſibus profanis ſegregata, quemadmodum dictio græca innuit, ſed perſæpe, ut ex integro deſtruatur. Sic urbs Jericho, & nonnullæ aliæ

Cha-

Chananæorum dictæ sunt anathemata, quòd DEus jusserit eas solo æquari. Sic lib. 1. Machab. cap. 5. legimus Judam, cùm in ejus memoriam rediisset perversitas filiorum Bean, qui Israëlitas infestabant, eos turribus suis inclusisse, & anathematizasse, id est concrematos penitus exterminâsse. Sic cap. 21. Numer. nomen anathematis impositum est loco, ubi Arad rex Chananæorum mactatus est, & omnibus ejus civitatibus. Quando ergò Apostolus dicit, cupere se anathema fieri à Christo, aliud significare non intendit, nisi quòd, si jacturâ cœlestis gloriæ sibi obventuræ redimere & servare potuisset fratres suos Judæos, perlibenter eam incurrisset, qui affectus haud dubiè ex præcellenti amoris motivo erga DEum, suúmque proximum proveniebat & intelligendus est duntaxat de possessione JEsu Christi per gloriam, non verò per gratiam. D. Chrysostomus hunc textum, uti & reliquos omnes pro more suo admirabili eloquentiâ illustrat, qui consuli poterit à studioso lectore. Hoc ita notatô prosequor analysin hujus capitis.

Apostolus ergò factâ suæ in Judæos benevolæ properfionis contestatione, eò quòd fratres ejus sint, quòd populus DEi electus, quòd JEsus Christus ex eorum Majoribus originem duxerit, sibi ipsi hanc proponit objectionem: Deus repudiavit à se Judæos, quibus tam præclara promissa dederat, ergò mendax est & mutabilis. Respondet tametsi Judæi ejus benedictionibûs non ampliùs perfruantur, illius tamen promissa integrè & ad unguem esse adimpleta, quoniam non omnes, qui ab Abrahamo descendunt, veri sunt Israëlitæ, sed illi tantummodo, qui semen ejus in Scripturis appellantur, nempe qui fidem ejus sectantur. Quòd autem Gentiles nunc præferantur Judæis, ejus rei figuram jam olim fuisse Isaacum Ismaeli, & Jacobum Esau antehabitum. Inde progreditur

ad causam declarandam, cur minor natu electus fuerit, primogenitus autem reprobatus, eámque in solum DEi pro potestate suâ ita volentis beneplacitum refert. Illud tamen hìc animadversione dignum existimo, hanc electionem & reprobationem intelligendam esse de benedictionibus temporalibus, & executioni datam in eorum posteris, non autem in personâ ipsorum antecessorum: neque enim constat Esau unquam Jacobo paruisse, neque absque temeritate dici potest, illum æternam incurrisse damnationis sententiam, Apostolus enim non asserit eum reprobatum quoad salutem & gloriam, sed proponit eum tanquam figuram reprobati quoad Evangelii gratiam populi Judaici. Quandoquidem autem ex hoc ipso inæquali modo procedendi nonnemo poterat ansam accipere arguendi DEum cujusdam injustitiæ, respondet, DEum in istorum reprobatione justitiam suam, in electione verò aliorum jure suam manifestare clementiam, quandoquidem dominus est suarum creaturarum, & sicut figulus ex argillâ suâ format, quod sibi libet, ita de hominibus, quos in eadem massâ corruptionis & gratiâ suâ gloriáque æqualiter indignos reperit, disponit, uti potest, liberrimè secundùm suam voluntatem, quæ tametsi nobis non semper perspecta, semper tamen est æquissima, & ratione divinæ originis omnino talis, ut ejus rationem mortalium nullus absque insigni temeritate exposcere valeat.

Pro clausulâ varios affert Scripturæ textus, quibûs comprobat gentiles electos fuisse ad accipiendam gratiam Evangelii, aitque, invenisse eos justitiam, quam non inquirebant, idque eâ de causâ, quòd eam in seipsis non quæsivissent, prout tamen assolebant Judæi. Non ignoro, in materiâ prædestinationis & reprobationis, quæ hoc capite ventilatur, diversas esse scholarum opiniones, neque id mihi arroganter assumo, ut quidquam definire velim in ejusmodi mysterio, quod ado-

rare

rare potiùs, quàm curiosè & contentiosè diſcutere oportet, & de quo S. Paulus ùtùt illuminatiſſimus fatetur, ſe non poſſe penetrare abyſſum ſapientiæ DEi, & profunditatem conſiliorum illius. Quin potiùs curioſitas noſtra cohibenda eſſet intra ſacros limites, quos in hoc textu nobis Apoſtolus poſuit, atque iſthæc provida animi demiſſio multiplicem impediret Chriſtianæ charitatis læſionem, quæ plerumque in hac difficillimâ controverſiâ crudelem in modum laceratur. Ego quidem ſecutus ſum ſententiam Divi Auguſtini ac Doctoris Angelici cum pluribus modernis expoſitoribus, ſpe fretus, tantorum Ducum premendo veſtigia aberrare me haud potuiſſe.

Auſpicatur denuo caput 10mum. declaratione amoris, quo impenſiſſimè Judæos proſequitur, & ſollicitudinis pro eorum ſalute, ad placandos videlicet & pacandos eorum animos, quos verebatur à ſe fors exaſperatos vel ſaltem ſuboffenſos ob ea, quæ ſub finem præcedentis capitis dixerat, cumque eorum opera excuſare non poſſet, zelum, quo inducti deliquerint, aliquâ ratione excuſat: oſtendit nihilominus, eum non fuiſſe ſecundùm ſcientiam, adeóque haud legitimum aut juſtum. 1mo. Quia non caruit omni arrogantiâ. 2do. Quia in contemptum JEſu Chriſti cedebat. Inde pergit ad explanandam juſtitiam legis & juſtitiam fidei in hunc modum diſſerendo: juſtitia, quæ nobis inquirenda eſt, ea ipſa eſt, quam Moyſes & Prophetæ docuerunt ſolam eſſe ac veram juſtitiam, talis eſt juſtitia fidei &c. Min. probat 1mò. quia JEſus Chriſtus eſt finis legis Moſaicæ, & juſtitia fidei eſt juſtitia JEſu Chriſti. 2dò. Vera juſtitia debet vitam tribuere, juſtitia legis hoc non facit &c. 3. Vera juſtitia tranquillam debet reddere conſcientiam, lex eam tantummodo turbat, ergò lex non eſt vera juſtitia. 4. Vera juſtitia debet eſſe

facilis, lex est difficilis &c. 5. Vera justitia debet fundari in re prorsus infallibili, justitia fidei fundatur in JEsu Christo, qui nec fallere, nec falli potest. 6ta. Ratio desumitur ex textu Isaiæ, qui salutem pollicetur omnibus verè credentibus. 7tima. Pendet ex præcedente, & ostendit, omnes egere eâdem gratiâ, & salvandos pariter per invocationem nominis DEi. Pro 8vâ. servit authoritas Prophetæ Joëlis testantis, omnes, qui invocant, salvandos, at verò soli, qui fidem habent, invocant nomen Domini &c.

Postmodum per gradationem exponit media ad consequendam salutem, quorum postrema à prioribus dependent, at non vicissim: invocatio enim non potest esse sine fide, neque fides sine prædicatione, neque ista sine missione, at verò prædicationi non semper habetur fides, uti videre fuit in Judæis, qui audierunt, & non crediderunt potiús ex obstinatione mentis, quàm ex ignorantiâ secundùm prædictiones Moysis & Isaiæ, quibûs Apostolus hoc caput demum absolvit.

Verba porrò, quibûs Isaias cap. 65. in personâ Christi Judæis eorum pertinaciam exprobrat, sunt gravissima, mirè pathetica, & observatu dignissima: *totâ die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem*: quasi diceret, ut cum doctissimo nostro Tirino loquar: Israël, populus tot nominibûs meus, ad quem totâ die expandi ambas manus & ulnas meas, quem instar dilecti primogeniti mei Exod. 4. v. 22. arctissimo affectu semper complexus sum, quem donîs & beneficiis innumeris perpetuò prosecutus sum, cui sine mensura in sinum congessi munera cœlestia, terrestria, & quantas vellent opes, delicias, gloriam, quem ipsemet coram adii, docui, & millenis miraculorum illecebrîs ad me pertrahere conatus sum, ad quem denique etiam corporales has

ma-

manus in ligno crucis expanſas quantâ potui vi & charitate protendi, ut populum illum, etſi tortorem, carnificem & occiſorem meum, pro illo tamen ultrò & patientiſſimè moriens ad ſinum meum pellicerem, imò pertraherem, populus, inquam, hic meus nihil ad hæc omnia attendens, ſed mei, ſui, DEi oblitus incredibili pertinaciâ & obſtinatione permanſit in infidelitate & perfidiâ ſuâ, nolens credere ſeu mihi, ſeu in me, ſeu aliis de me, Et quaſi hoc parum ipſi eſſet, inſuper etiam palam, & ubique mihi, meíſque ſe opponit, & in omnibus contradicit, non modò verbîs ſed & ſœviſſimis ſuppliciis ac tormentîs, quibus me, meósque ſervos ac filios indigniſſimè perſequitur indies. Hæc ejus perfidia & obſtinatio cauſa eſt præſentis incredulitatis, & per conſequens perditionis, & exitii illius.

Ne autem Judæi ſpem omnem ſalutis abjicerent ob ſuam reprobationem, Caput 11mum. eò dirigit, ut & illos aliquâ ex parte conſoletur, & gentiles ſimul moneat, ne Judæorum incredulitati & repulſæ inſultent perperam gloriantes de electione ſuâ ad gratiam Evangelii, ſive quòd ipſis tanquam dignioribus Evangelium ſit annuntiatum, quódque fidem à Judæis repudiatam receperint. Itaque ſibi ipſi hanc objectionem movet: an ergò Judæi omnes penitus reprobati ſunt? Reſpondet negativè, idque ex duplici ratione 1mo. quòd ipſemet Judæus ſit, & tamen ex numero electorum, nempe credentium. 2dò. Quòd DEus ab omni retrò æternitate populum Judæorum dilexerit, quæ dilectio ac benevolentia minimè fallax, futiliſque eſſe valet. Tum ſubinfert exemplum Eliæ hujuſmodi argumentatione. Elias in eâ erat ſententiâ, ſe ſolum ſupereſſe veri Numinis cultorem, quemadmodum vos for-

forſitan autumatis, ô gentiles, me ſolum ex integrâ Judæorum natione eſſe de numero electorum, DEus autem ei revelavit, quòd ſeptem millia hominum ſibi reſervaverit, qui genua coram Baal non curvâſſent: itaque pro certo tenete, eundem Deum ſibi plures reſervâſſe vobis quidem haud cognitos, qui tamen ſint de numero ſervorum ejus. Subjungit poſtmodum, electionem iſtorum revera quidem in comparatione pauculorum ex merâ Dei miſeratione provenire, reprobationem autem reliquorum longè antea, quàm adimpleretur, prædictam per Iſaiam & Davidem, quorum textus adducit. Inde progreſſus, ad punctum principale, nempe ut convinceret gentiles, nequaquam ab iis deſpiciendos Judæos, docet inprimis non ita illos cecidiſſe, ut reſurgere nequeant. 2do. Quòd illorum excluſione patefacta ſit janua gentilibus ad Evangelium. 3. Quòd DEus gentiles elegerit, ut Judæos piâ æmulatione excitet ad ſectandam eorum fidem. 4. Quòd converſione Judæorum gentiles majoribus benedictionibus ac favoribûs cumulandi ſint, quàm illorum reprobatione acceperint. 5. Quòd ſi ipſus, qui ad eos ſcribit, cùm frater præciſè ſit, & conterraneus, adeo tamen impensè eorum ſaluti invigilet, DEum univerſalem eorum parentem longè utique majori ſollicitudine eam curaturum. 6. Quòd ſicut illorum diminutio, ſeu minutus ex Judæorum reliquiis credentium numerus occaſionem præbuit tantò plures gentiles in Eccleſiæ gremium aggregandi, 7timò. ita illorum converſionem ſecutura ſit auſpicata totius mundi renovatio. 8. Quòd illi ex pura & defœcatâ maſſâ originem duxerint, & rami ſint ſanctæ radicis. 9. Gentiles autem oleaſtri ſint eorum locô inſerti. 10. Quòd Judæorum natio radix ſit, cui ipſi gentiles inhæreant, & inde ſuccum trahant. 11. Quòd quemadmodum ſemel avulſi

ſunt,

ſunt, ita denuo poſſint inſeri. 12. Quòd ſi DEus naturalibus ramis non pepercit, multò minùs alienis parcet. 13. Quòd gentiles ex purâ DEi miſerentis bonitate implantati fuerint. 14. Venturum aliquando diem, quo DEus Judæos denuo inſerturus ſit arbori, à quâ revulſi erant. 15. Quòd DEus nequaquam in gentilibus diſſimulaturus ſit inſolentem proterviam, quam in Judæis adeò ſeverè caſtigatam voluit. 16. Gentiles eâ tantùm conditione inſertos eſſe, ut in animi demiſſione conſtanter perſiſterent. 17. Reprobationem Judæorum non fuiſſe univerſalem. 18. Quin imò illos intuitu Majorum ſuorum DEo etiamnum in amoribus eſſe. 19. Quòd quemadmodum gentiles fidem receperunt per incredulitatem obſtinatæ Judæorum nationis, ita iſti eam recuperaturi ſint ſanctâ æmulatione & imitatione fidei Gentilium. Denique poſt conſideratam attentè, & luculenter expoſitam hanc viciſſitudinem & ſucceſſionem mutuam Judæorum & Gentilium in obſequio & Eccleſia DEi, finem imponit Apoſtolus primæ hujus epiſtolæ parti dogmaticæ exclamando cum admiratione: ô altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ DEi &c. Quaſi dicere vellet, plura non eſſe requirenda, cur ita ordinaverit DEus; ſatis nobis eſſe debere, quòd ſupremæ ejus Majeſtati infinitâ ſapientiâ, æquitate, ac bonitate præditæ ita libuerit, cui ſoli debetur gloria, nobiſque unicè relicta eſt obligatio profundiſſimæ venerationis, obſervantiæ ac demiſſionis.

Capite 12mo. progreditur à doctrinâ fidei ad diſciplinam morum hortando fideles ad ſeriam vitæ emendationem, ad offerendos ſe Numini tanquam hoſtiam ſanctam & immaculatam, ad omittendam nimis curioſam divinarum veritatum & ordinationum indaginem, ad utendum gratiis in baptiſmo acceptis in bonum commune Eccleſiæ, ad officia

ſua diligenter obeunda, ad obſequia mutuæ dilectionis ſincerè absque fuco & faſtu præſtanda, ad ferendas æquo animô injurias, & vindictam DEo relinquendam, qui eam ſuo tempore non diſſimulabit, ad cujus probationem allegat textum ex cap. 25. Proverb. quem interpretes diverſimodè explicant. D Auguſtinus, D. Hieronymus & omnes propè Ecclesiæ Latinæ Doctores eum in meliorem partem accipiunt,& per carbones ignis intelligunt amorem, quem accendimus cum tempore in præcordiis adverſarii noſtri, ſi mala & incommoda omnia ab eo illata feramus ſine replicâ. Sententia verò Græcorum, quam amplexus ſum, tenet, per carbones intelligendam vindictam DEi, quæ tamen nequaquam ſervire debeat pro motivo vel fine patientiæ fidelium, utut ſit condignus & ordinarius ejus effectus. Nihil enim occurrit frequentiùs in Pſalmis, quàm imprecationes adversùs impios, & obſecrationes ad DEum ut in eos animadvertat. In Apocalypſi animæ, quæ erant ſubtus altare, DEum rogant, ut ultionem ſumat de iis, qui earum ſanguinem fuderunt. Et Apoſtolus 2. Theſſal. docet, æquum eſſe, ut DEus iis, qui fideles perſecuti ſunt, rependat mala illis inflicta.

Capitis 13tii partem 1mam orditur propoſitione thematis pertractandi, nempe de obedientiâ Superioribus præſtandâ, argumentatur autem in hunc modum : Chriſtiani obtemperare debent ordinationi divinæ, atqui Principes à DEo conſtituti & ordinati ſunt &c. 2do. Id omne ſtudioſè evitandum, quod nobis perniciem creare poteſt, atqui inobedientia eam nobis creare poteſt &c. Min. ita probat: Principes gladium non portant absque causâ & in vanum, id eſt, poteſtatem vitæ & mortis in ſubditos ſuos fruſtra non habent, haberent autem, niſi inobedientiam poſſent pro merito plectere. 3. Præſtandum ultrò & liberè, ad quod aliàs neceſ-

cessitate compellimur, atqui necessariò est parendum. 4. Obtemperandum haud dubiè his, quorum sumus subditi, ad quid enim subjectio sine obedientiâ? atqui subjicimur Principibus &c. hanc minorem ita demonstrat: illis subjicimur ut dominis, quibus tributa jure pendimus, atqui tributa jure & ex debito Principibus pendimus, quoniam ab iis conservamur ac protegimur. 5. Cuique suum, nempe quod debetur, reddere natura universaliter præcipit, atqui obedientia debetur nostris Principibus ac Superioribus &c,

Parte 2dâ hortatur illos denuo ad mutuam dilectionem hisce argumentis: 1mo. Debita vestra vobis persolvenda sunt, atqui inter ista non ultimum locum tenet dilectio mutua. 2dò. Lex à vobis implenda est, at verò qui proximum diligit, legem implevit: min. ita suadet: qui omnia præcepta legis observat, implevit legem, atqui in dilectione mutuâ continentur omnia præcepta legis &c.

Parte 3tiâ urget illos, ut Evangelii luce collustrati de somno peccatorum tandem consurgant, & fugientes opera tenebrarum, gulam, libidinem, ambitionem, induantur Dominum JEsum Christum in novitate vitæ. Quare Apostolus 1ma parte hujus capitis videtur hominem rectè componere per obedientiam erga Superiores, in 2dâ parte per charitatem erga æquales & inferiores, in 3tiâ per temperantiam, continentiam, & modestiam erga seipsum.

Capite 14. ut ostendat, dilectionem proximi debere omnes universim complecti etiam infirmos in fide & charitate, qui Christum necdum plenè induerant, agit de altero controversiæ puncto, quod ipsum induxerat, ut ad Romanos scriberet, nempe de opinionum inter eos diversitate practica circa abstinentiam à cibis lege Mosaicâ prohibitis, & obser-

vantiam certorum festorum; practicâ, inquam, prior enim circa differentiam in causâ & modo justificationis, ab initio epistolæ usque ad cap. 12mum ventilata quodammodo speculativa erat. Primò ergò ponit hanc thesin: vobis, quibus libertas evangelica probè perspecta est, ea notitia minimè permittit turbare pacem Ecclesiæ, tametsi cernatis alios scrupulis agitatos, & sanctæ hujus libertatis ignaros: postmodum has rationes adducit: 1mò. Qui est domesticus DEi, alium non habet judicem, quàm DEum, atqui infirmi (ita eos nuncupat, quia certis cibis abstinebant, ac nonnulla peculiaria festa religiosè observabant) sunt domestici DEi. 2do. Nemo judicium sibi usurpare debet in servos alterius, in quos nullam habet potestatem, sed infirmi sunt servi DEi &c. 3. Charitas non permittit eum condemnari, qui paratus est ad omnem correctionem, at verò infirmi parati sunt ad sese corrigendos, si errorem suum dedoceantur &c. 4. Qui aliquid ad DEi gloriam præstat, damnandus non est, infirmi hoc ipsum, quod in illis redarguis, agunt in gloriam DEi, cùm enim mors & vita hominum sint in manibus & arbitrio DEi tanquam supremi domini ad cujus honorem & obsequium à suis servis referri possunt & debent, cur non & istæ actiones indifferentes, nempe ciborum & dierum observatio aut discretio ad eundem scopum referri poterit absque peccato? 5. Læditur charitas per condemnationem fratris tui, quem potiùs fovere debes, & ignorantem instruere, atqui infirmus non obstante suâ infirmitate adhuc frater tuus est. 6. Non debes involare in officium JEsu Christi idque tibi assumere, atqui judicando infirmos & damnando involas in ejus tanquam supremi omnium Judicis officium. 7. Qui judicandus est, non debet alios judicare, atqui tu ipse judicandus es &c.

Par-

Parte 2.dâ hujus capitis doctiores admonet, ut infirmis fidelibus scandalum ne præbeant manducando ipsis præsentibûs pro suâ libertate etiam ea promiscuè, à quibus illi magnopere abhorrent. 1mò enim usus rei etiam indifferentis illicitus est, si in scandalum proximi cedat, atqui esus carnium potest cedere in scandalum proximi. 2dò. Charitas prohibet scandalum tuorum fratrum, atqui isthoc esu eos scandalizas. 3. Impietatis genus est eos pervertere, pro quibus Redemptor noster mortem oppetiit, atqui hoc ipsum, quod ab aliis liberrimè fieri videant, contra dictamen suum faciendo pervertuntur. 4. Si mortuus est & pro Judæis, longè magìs tibi in eorum gratiam abstinendum est à certis rebus, quibûs facilè carere potes, atqui mortuus est pro eis &c. 5. Abstinendum est ab iis, quæ ansam gentilibus præbent eructandi blasphemias contra Evangelium, atqui talis usus eis hanc ansam præbet, sic enim scandalizantur gentes, & à Christianismo avertuntur, cùm vident Christianos ita inter se contendere de cibis & ciborum delectu. 6. Nullum incurrit periculum, qui abstinet ab eo, in quo regnum DEi non consistit, atqui non consistit in hoc usu, sed in justitia, pace, & gaudio &c. 7. Omni studiô annitendum est, ut pax conservetur, atqui abstinendo à cibis, à quibus infirmi abhorrent, servatur pax &c. 8. Ingens piaculum est imaginem DEi destruere, atqui hic usus eam destruit, cùm infirmos ad peccandum inducat &c. 9. Bonum nunquam non faciendum, atqui bonum est, & laudabile non præbere scandalum suis fratribus &c.

Parte postremâ ut etiam infirmos suâ instructione non destituat, proponit principium generale, nempe quidquid fit contra dictamen interius conscientiæ, quod dictamen fidem

appellat, seu persuasionem aut credulitatem, hoc aut illud esse licitum, quidquid, inquam contra hoc dictamen, fit, esse peccatum, & consequenter eum, qui manducat, quod existimat sibi licere, non peccare, & ex opposito peccare illum, qui manducat id, quod sibi judicat non esse permissum, sive jam hoc judicium sit reipsâ rectum ac veritati conforme, sive erroneum ac falsum.

Capite 15to idem argumentum prosequitur, cur tam Gentes, quàm Judæi ad fidem & Christi gratiam vocati gratias DEo, & pacem invicem debeant non tantùm vitando scandala infirmorum, sed etiam eorum imbecillitates patienter sustinendo, nam 1mò quod officii vestri ratio postulat, id omnino præstandum est, atqui ea postulat, ut vos firmiores sublevetis invalidos, eorúmque languores æquo animô feratis, & pro viribus curare allaboretis. Sicut enim in materiali ædificio eliguntur aliqua firmiora ad sustinendum totum ædificii pondus, quod ex fragiliori materiâ superimponitur, v. g. fundamenta, & columnæ, ita etiam in spirituali Ecclesiæ ædificio non solùm eliguntur, sed efficiuntur aliqui firmiores, ut sustineant pondus aliorum. Vult nimirum DEus Optimus, ut qui vel ingeniô vel prudentiâ, vel scientiâ eminent, ignorantes non aspernentur, vel decipiant, sed cum omni mansuetudine eorum ignorantiam ferant, doctrináque eos, & consiliô juvent. 2dò. Non debemus nobis ipsis placere, sive ea tantùm sectari, quæ nobis grata sunt & utilia, sed etiam aliis morem gerere, condescendere, nos accommodare, at verò condemnando & aspernando infirmos nobis ipsis nimiùm placemus de nostrâ præcellentiâ &c. 3. Æquum omnino est nos insistere vestigiis Christi Domini, hic autem propria commo-

da

da, quietem ac voluntatem non habuit pro regulâ, ſed gloriam DEi, ſimúlque ſalutem humani generis pro quâ vitam ſuam expoſuit, uti probat ex pſalmo 68. ergò & nos proximorum infirmitatibus quâ poſſumus ratione occurrere ac ſuccurrere debemus intuitu amoris & honoris DEi. 4. Imò cùm ipſe infirmitates ac languores tuos æquiſſimo animô pertulerit, idipſum ut pro fratribus tuis Judæis adhuc infirmis facias, æquiſſimo jure poſtulare videtur.

Poſtremâ parte benevolentiam Romanorum mirâ dexteritate captat. 1mò commendat eos. 2dò ſignificat, ad eos ſe ſcribere in hunc præcisè finem, ut memoriam eorum refricet, quæ ipſis jam dudum nota ſunt. 3tiò liberiori ſtylô exaratam hanc epiſtolam, quòd de eorum optimâ ac benevolâ mente eſſet ſatis certus, ſibi enim Apoſtoli munus creditum, ſuíque miniſterii hunc finem eſſe, ut gentiles ſanctos efficiat. Tum enarrat, quid præſtiterit in prædicatione Evangelii, rationémque dat, cur ad eos non inviſerit, quod tamen adhuc facturum ſe certò certius pollicetur in tranſitu cùm in Hiſpaniam excurret, quamprimùm Jeroſolymam venerit cum eleemoſynis Eccleſiarum Macedoniæ & Achaiæ, de quibus mentionem fecit in duabus epiſtolis ad Corinthios. Denique obteſtatur eos ad orandum pro ſe DEum Optimum.


Poſtremum caput complures continet ſalutationes diverſarum perſonarum, quæ non indigent explicatione. Inde colliges humanitatem Apoſtoli hunc morem obſervantis ad finem ſuarum epiſtolarum, benevolentiam, & charitatem paternam in ſingulos, ſimul etiam monet, quos vitare debeant tanquam auctores diſſidiorum ac ſcandalorum, ne

for-

fortè pro ſuâ ſimplicitate & facilitate erga omnes in fraudem inducantur. Denique DEo, qui gentes omnes per Chriſtum & Apoſtolos vocavit ad Evangelium & ſalutem, gratias agit, honoremque omnem attribuendum profitetur ac gloriam ſempiternam.



Pa-



PARAPHRASIS IN EPISTOLAM S. PAULI AD ROMANOS.

CAPUT PRIMUM.

1. PAulus Servus JEſu Chri-
ſti, vocatus ad Apoſto-
latum, & ſegregatus
ac ſelectus à Deo pe-
culiari electione ad
promulgandum hominibus Evan-
gelium, ſeu annuntianda nova feli-
ciſſima de Incarnatione ſui Filii; 2.
Quem à longo jam tempore per
Prophetas in ſacris paginis eis pro-
miſerat: 3. Quique ſecundùm
carnem, ſive naturam humanam, na-
tus

1. Paulus Servus JEſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei.

2. Quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis.

3. De Filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm carnem.

ctus eſt quidem ex Davidis ſobole; 4. Seipſum verò manifeſtavit tanquam ejus Verbum ac Filium unigenitum, tum prodigioſis actionibûs, quamdiu in terris vitam egit, tum plenitudine Spiritûs Sancti in ipſo inhabitantis, quem aliis quoque hominibus ad eos ſanctificandos communicabat, & demum glorioſâ ſuâ reſurrectione. 5. Hic Paulus, inquam, qui ſingulari Dei Beneficiô munus Apoſtoli, gratiámque neceſſariam accepit ad annuntiandum publicè nomen JEſu Chriſti omnibus gentibus. 6. Quas inter & vos vocare dignatus eſt ad ſui notitiam, & ad redigendum in captivitatem & obſequium & ſub jugum fidei earum intellectum. 7. Ex intimis medullis precatur, ut gratia & pax Patris cœleſtis, ac Domini noſtri JEſu Chriſti ſeſe diffundat, creſcátque in cordibus omnium fidelium, qui Romæ ſunt, quíque, cùm dilectorum Dei nomine inſigniti ſint, ſanctíque appellentur, conſentaneam huic nomini vitam, adeóque morum integritate & ſanctitate plenam ducere debent. 8. Exiſtimo autem, me hanc Epiſtolam non poſſe rectiùs ordiri,

4. *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundùm Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum JEſu Chriſti Domini noſtri.*

5. *Per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus.*

6. *In quibus & vos eſtis vocati JEſu Chriſti.*

7. *Omnibus, qui ſunt Romæ, dilectis Dei, vocatis ſanctis: gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino JEſu Chriſto.*

8. *Primùm quidem gratias ago Deo meo per*

ri, quàm demississimâ gratiarum actione, quam reddo Deo meo per JEsum Christum Filium ejus unigenitum, non eam solùm ob causam, quòd vobis fidem largitus sit, sed quòd adeò firmam atque heroicam contulerit, ut ejus fama per universum, quà patet, orbem diffusa sit.

9. Injuriam mihi facitis, si dubitetis de sollicitudine, quam gero salutis vestræ. Deus ter Optimus Maximus, cui liberâ promptâque voluntate servio in Spiritu & collustratione Evangelii sui Filii, Deus, inquam, testis mihi est, 10. an non in orationibus meis quotidie vestri meminerim, illum obsecrans, ut pro suâ bonitate ac clementiâ facultatem & gratiam mihi largiatur feliciter ad vos perveniendi.

11. Ingenti enim desideriô teneor videndi vos, ad impertiendam vobis gratiam aliquam spiritualem, quæ vos magis magisque in veritate & fide susceptâ stabiliat, 12. tum etiam ad mutuam nostram consolationem, ex familiari collocutione, & collatione meæ vestræque fidei, ad animorum nostrorum sensus utrinque aperiendos, nósque reciproco fervore studióque inflammandos ad amorem Domini

JEsum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo.

9. *Testis enim mihi est Deus, cui servio in Spiritu meo in Evangelio Filii ejus, quòd sine intermissione memoriam vestri facio.*

10. *Semper in orationibus meis obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos.*

11. *Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos.*

12. *Id est, simul consolari in vobis per eam, quæ invicem est, fidem vestram atque meam.*

Domini nostri, animandósque ad servandam ei illibatam, perpetuámque fidelitatem.

13. *Nolo autem vos ignorare fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum usque adhuc, ut aliquem fructum habeam & in vobis, sicut & in cæteris gentibus.*

13. Credite mihi, fratres dilectissimi, sæpe sæpiùs me animo destinâsse ad vos invisere, ut doctrina Evangelii uberiores inter vos fructus progigneret, quemadmodum ejus benignitate, non autem propriâ industriâ, inter reliquas gentes protulit; atverò voluntas Dei, quam sequor promptissimè absque ulteriori discussione, remoram hactenus meo injecit proposito.

14. *Græcis ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.*

14 Non ignoro, quid à me exigat Apostolici ratio ministerii, quódque operam & obsequia mea tam barbaris, quàm Græcis, tam illiteratis, quàm doctis debeam.

15. *Ita (quod in me) promptum est & vobis, qui Romæ estis, evangelizare.*

15. Eam in rem, quantum in me est, paratissimus sum proficisci Romam, ad monstrandam vobis Evangelii luce vitæ semitam ac veritatis:

16. *Non enim erubesco Evangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primùm & Græco.*

16. & tametsi humani generis hostis omnem lapidem moveat, vires omnes artésque suas exerat ad eliminandos Evangelii præcones, minimè tamen erubesco ejus professionem ac prædicationem: quamvìs enim videatur esse res exsucca, flaccida, & contemptibilis, est tamen reverà virtus Dei, ejus potentiam conspicuam atque illustrem reddit, & ad salutem om-

ne-

nes perducit, qui firmâ fide illi adhærent. Judæi quidem ejus primitias accepêre, Græcis tamen non nisi temporis prioritate præferendi sunt. Tam hi, quàm illi ex hoc fonte amplissimas possunt haurire gratias, quas cunctis mortalibus attulit. 17. Ipsum est, quod perfectam Dei justitiam manifestavit, minimè sitam in externis actionibus, sed in interiori sanctitate, quam Deus operatur in cordibus, quæque ex verâ fide proveniens quantùm ipsa crescit, tantùm reciprocè auget fidei soliditatem; qui enim fidem tenet, justus est: & scriptura habet, (a) *justum ex fide vivere*, id est, per fidem consequi justitiam, quæ est ipsissima animæ vita; cúmque eodem principio, à quo producitur, conservari debeat, consequens est, omnes ejus actiones animari ac dirigi per fidem. 18. Videtis itaque, quòd sacrum Evangelium detexerit divitias bonitatis divinæ, priùs absconditas, & nunc omni hominum generi patentes atque expositas; ex alterâ verò parte gravissimam simul ejusdem Numinis iram manifestat in impietatem & perversitatem eorum, qui pro eo, quòd in innocentiâ, & verâ

17. *Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: justus autem ex fide vivit.*

18. *Revelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem, & injustitiam hominum eorum, qui Veritatem Dei in injustitiâ detinent.*

(a) *Abacuc cap. 2.*

verâ fide ambulare deberent, longè aliam viam ineunt, dum veritatem Dei in injuſtitiâ detinent, id eſt, notitiam veri Numinis, ſuis cordibus naturaliter impreſſam, quam tanquam ſapientiores & eloquentiores aliis communicare deberent, ſuffocant, & veluti clauſam atque impeditam retinent, ne ſuâ ſe luce prodat, & diffundat ulteriùs; quódque caput eſt; in honeſtas atque laudabiles actiones erumpat.

19. *Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtavit.*

20. *Invisibilia enim ipſius à creaturâ mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles.*

19. Deus enim nemini non manifeſtavit modô quodam ſatìs accommodo perfectiones ſuas inſigniores. 20. Eſt quidem puriſſimus ſpiritus, creaturæ tamen viſibiles, ſunt ſpecula minimè fallacia; in quibus ab orbe condito homines ratione præditi reconditas ejus perfectiones contemplari ac detegere poſſunt, potentiam ejus, quâ creavit omnia, nec non divinitatem, adeò, ut ſint inexcuſabiles, ſi nolint agnoſcere. & quidem prudentiores & doctiores in ejus notitiam veniſſe non diffiteor,

21. *Quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitatio-*

21. honorem tamen ei debitum tanquam ſupremo domino non exhibuerunt, neque gratias, ùt par erat, egerunt pro acceptis beneficiis, ſed ſuperba eorum mens

eva-

evanuit in suis cogitationibus, & nimia præsumptio ac complacentia in præcellentiâ suæ perspicaciæ, densissimis errorum tenebrîs cor eorum insipiens obduxit: omnes eorum speculationes, ratiocinationes, atque subtilitates, debiliores fuerunt araneæ telâ, 22. neque alium fructum ex prætumidâ majoris longè supra alios sapientiæ jactantiâ, retulerunt, quàm ut præ cæteris stulti evaserint, talésque palam se comprobârint. 23. Quid enim stultius aut amentius fingi potest, quàm quòd non solùm eum agnoscere noluerint ac venerari, cujus tamen imaginem menti suæ impressam gerebant, cujus potentiam cœli enarrabant, cæteræque creaturæ laudes præcinebant, sed ad illud impietatis ac cœcitatis fastigium devenerint, ut honorem, soli Deo immortali, bonorum omnium parenti atque auctori jure debitum, idolis tribuerent, hominúmque corruptioni obnoxiorum statuis, vel quod longè deterius, volucrum, serpentum, aliarúmque animantium, ratione carentium simulacris? 24. Creditisne hoc impune illis cessisse? Nequaquam, fratres mei, id in animum inducite. Deus justè

nibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.

22. *Dicentes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt.*

23. *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum.*

24. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contu-*

meliis afficiant corpora sua in seipsis.

justè adversùs eos exasperatus, eo modo illos excepit, quô cum ipso egerant; neglectus enim ab eis, & immundis creaturis posthabitus, neglexit pariter illos, permisitque pravis cupiditatibûs fascinatos, in omne genus impuritatis turpissimè labi, & sua ipsorum corpora nefariâ libidine fœdare,

25. *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & servierunt creaturæ potiùs, quàm creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen.*

25. in pœnam videlicet, quòd unius verique Numinis notitiam animô excusserint, impio scelestóque mendacio, nempe idololatriæ addicti, rebúsque creatis divinum cultum atque adorationem potiùs præbuerint, quàm summo rerum omnium Conditori, cui in omnem æternitatem laus, honor & gloria debetur ab omnibus.

26. *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ; nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam.*

26. Indignatio illius processit ulteriùs: æqualiter voluit utrumque sexum plectere, permittendo, ut tam masculi quàm fœminæ inciderent in sordes execrandas, & infamiâ plenas, fœminæ enim communem naturæ ordinem inverterunt, sectantes alium corporum usum, qui naturæ fines excederet, aut etiam perverteret,

27. *Similiter autem & masculi, relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in mascu-*

27. masculi quoque fastidiô legitimæ uxoris in transversum acti, ac libidine propudiosâ in sese mutuò flagrantes, fœdis abominan-

minandísque modis contaminârunt corruperúntque propria corpora, ut adeò hæc naturæ legibus repugnantia flagitia in justissimam vindictam & compensationem cesserint illius cœcitatis voluntariæ, quâ facilem & obviam Conditoris naturæ notitiam venerationémque à se exclusam voluère. 28. Neque solùm in seipsos injurii, sed etiam erga proximum fuère iniquissimi. DEus, quem nôsse ac pro merito venerari aspernabantur ut protectorem ac gubernatorem supremum, permisit eos præcipites ruere in barathrum& abyssum reprobationis quasi vertigine agitatos, unde mirum non est, quòd leges omnes æquitatis, honestatis, ac decori nullâ religione ducti infregerint. 29. Corruptio fuit universalis. Omnes, quotquot erant, vidisses improbitate & malitiâ oppletos. Fornicationis inter eos liberrimus usus tanquam rei minimè indecentis aut malæ sese torrentis in morem impunè ubique diffuderat. Avaritia eorum animos sibi penitus subjecerat: fraudes, rapinæ, inventiones nequissimæ grassabantur in omnem partem: invidiâ vix non rumpebantur, quin etiam atrocissimis cædibûs manus suas imbuerant: continuæ inter eos lites

los turpitudinem operantes, & mercedem quam oportuit, erroris in semetipsis recipientes.

28. *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitiâ, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt,*

29. *Repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ, plenos invidiâ, & homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones,*

tes & contentiones, modus agendi fraudulentus, perversitas ac malitia in omni comercio, ac conversatione. Acta proximi in pejorem partem interpretari soliti omnem arripiebant occasionem ei nocumentum inferendi: gaudebant in sinum, si malignâ relatione injuriarum ultro citróque factarum partes æmulas inter sese collidere possent.

30. *Detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes,*

30. Famam aliorum crudelem in modum proscindere non verebantur, odium, quo ferebantur in Deum, tantæque Majestatis contemptum, ubicunque se dabat occasio, horrrendis blasphemiis ac sacrilegiis suis præseferebant. Intolerabili fastu agebant cum iis, quos infra se cernebant, nulli parcentes injuriæ. Excœcaverat eos ambitio, nimiáque sui æstimatio fascinatos risui ludibrioque exponebat, cúmque grassantia passim in mundo flagitia eis communia nimis viderentur, nova & hactenus non audita excogitaverant. Parentibus alíisque superioribus nec honorem nec observantiam exhibebant.

31 *Insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordiâ.*

31. Si ad interiora considerationis obtutum converteres, quid aliud deprehenderes, quàm in desideriis iniquitatem, in consiliis stultitiam, in affectibus perversitatem? Animus eorum

rum nullo ſenſu alienæ calamitatis tangebatur, quin imò nolebant intelligere, quid rei eſſet promiſſorum, pactorúmque obſervantia. 32. Atque in hoc nullam planè excuſationem ac veniam merentur, quoniam cùm probè noſſent ſive naturali rationis inſtinctu ſive conſcientiæ remorſu, ſive exemplis divinæ in peccatores vindictæ, quòd Deus æquitatis ac juſtitiæ ſit tenaciſſimus, noluerunt animum ad alteram illam veritatem advertere, videlicet non ſolùm reos talium flagitiorum à ſe commiſſorum, de quibus modò memineram, ſed etiam quacunque ratione eorum participes ſive executione, ſive conſilio, ſive approbatione, ſive patrocinio dignos eſſe morte ſempiternâ, ſuppliciiſque inferni longè atrociſſimis.

32. Qui cùm juſtitiam Dei cognoviſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte, & non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.

PARAPHRASIS

CAP. II.

1. Gentilium flagitia, quæ enumeravi, ſunt enormia. At verò ô temerarie Judæe, qui illis ea exprobras,

1. Propter quod inexcuſabilis es ô homo omnis, qui judicas. In quo

enim judicas alterum, teipsum condemnas, eadem enim agis, quæ judicas.

2. *Scimus enim quoniam judicium Dei est secundùm veritatem in eos, qui talia agunt.*

3. *Existimas autem, ô homo, qui judicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies judicium Dei?*

4. *An divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?*

bras, aut quisquis es ex philosophis gentilium, qui ea in aliis quasi integer vitæ sceleríſque purus redarguis, noli existimare, impudentiam tuam nesciri, aut excusari posse. Tua ipsius sententiâ te condemnas, cùm eadem agas, quæ in aliis præfidenter reprehendis. 2. Scimus, idque naturæ instinctu, judicia Dei æquissima esse in omnes, qui ea perpetrant, quæ paulò ante commemoravi. 3. Tu verò, qui eadem facis, quæ omnino plectenda judicas, putásne te posse declinare sententiam condemnatoriam Numinis, quam ipse justissimam esse pronuntias? 4. Itáne contemptui habes infinitam atque immensam ejus bonitatem ac lenitatem, & illudis ejus patientiæ, quæ tantum tibi temporis ad agendam pœnitentiam indulget, & tamdiu promeritas à te pœnas suspendit, tuámque ingratitudinem tam prolixâ longanimitate tolerat? An ignoras æqui rectique esse tenacissimum, & si vindictam differt tuorum scelerum, id minimè contingere ex ignorantiâ vel incuriâ, sed ex merâ benignitate, quâ tibi adhuc temporis nonnihil indulget ad præteritæ vitæ detestationem, emendatio-

tionémque feriam, quam à te indies præstolatur, & impensè desiderat?

5. Quid aliud agis hærendo obstinatâ mente in sordibus inveteratorum tuorum flagitiorum, & omnes ab eâ cœlestes inspirationes excludendo, quàm quòd non interruptâ tuorum sacrilegiorum continuatione funestum divinæ indignationis thesaurum accumules, qui extremum tibi exitium afferet in die illâ tremendâ, quâ Deus vivorum atque mortuorum judex venturus est,

6. ad reddendam unicuique pro qualitate & conditione meritorum sive immortalis sempiternæque vitæ possessionem, sive inferorum supplicia, & perennes cruciatus.

7. Illi, qui rebûs adversis minimè fracti in medio cursu non defecerunt, sed constanter perstitêre in virtutis studio, & ad vitam æternam omni contentione aspirant, ab æquissimo hoc judice gloriam boni operis consequentur, & honorem, & ipsam adeo immortalitatem.

8. Contrà qui in suis cogitationibus evanescentes veritati agnitæ, cui pronâ mente debuissent acquiescere, pertinaciter obluctati sunt, qui nullam honesti rectique rationem habuêre, omni flagitio-

5. Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei.

6. qui reddet unicuique secundùm opera ejus.

7. Iis quidem, qui secundùm patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam:

8. Iis autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquieverunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio,

9. *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primùm & Græci:*

10. *Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Judæo primùm & Græco.*

11. *Non enim est acceptio personarum apud Deum.*

gitiorum genere contaminati, pro parte & merito suo acerbissimos sentient effectus vindictæ atque indignationis divinæ. 9. Eundem servat Deus ordinem infligendo supplicia, quem tenet distribuendo favores ac prœmia sua. 10. Quemadmodum gloria, honor, & pax gratissima merces erit omnium rectè operantium, ita confusio, ignominia, vermísque conscientiæ in pœnam cedet omnium perperàm agentium, sive Judæi sint, sive gentiles. 11. Homines in suis tribunalibus attendere possunt, aut solent ad originem vel conditionem personarum, at verò Deus æquâ lance judicat omnes, neque levem ejus justitiæ aspergeret maculam, qui in animum induceret, plectere eum in nonnullis, quod in aliis dissimulat & impunitum relinquit. Nihilominus quemadmodum Judæi, ad quos promissiones Evangelii primitùs factæ sunt, legésque directæ, si illis se subjecerint, morésque suos conformaverint, dignam promeritæ mercedis prærogativam obtinebunt, ita pariter, si nec fidem iis præbuerint, nec ejus præcepta observaverint, longè acerbiora supplicia præ gentibus sentient.

12.

12. Qui deliquerunt absque notitiâ legis, non judicabuntur ut prævaricatores legis, & secundùm illius rigorem: qui autem ex instituto legem professi sunt tanquam regulam actionum suarum, ipsius etiam legis præscriptô, & ùt ejus transgressores punientur. 13. Non enim illi, quibus lex annuntiata est & perspecta, eoipso præcisè justi sunt coram Domino, sed ii, qui reipsâ præstant, quod lege præcipitur, quod equidem facere nequeunt absque auxilio gratiæ divinæ. 14. Dicet fortassis nonnemo, si necessaria est legis observantia, quâ ergò ratione gentiles, qui nullam ejus notitiam habuerunt, eam implere possunt, & ob ejus transgressionem puniri? Respondeo, si illi, quibus lex promulgata non est, ejus tamen præceptis obtemperant ex instinctu rationis naturalis, succollante divinâ gratiâ absque magisterio & directione legis scriptæ, tunc ipse naturæ instinctus tali præsidiô adjutus ipsis pro lege est, 15. quô satis ostendunt, easdem præceptiones, quas olim Judæi in tabulis lapideis acceperant, insculptas esse eorum mentibus: & sanè hoc interius testimonium conscientiæ, hæc.

12. *Quicunque sine lege peccârunt, sine lege peribunt, & quicunque in lege peccârunt, per legem judicabuntur.*

13. *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.*

14. *Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes sibi sunt lex,*

15. *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientiâ ipsorum, & inter se*

invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus,

hæc cogitationum sese mutuò cum accusantium, tum defendentium contentio, hic remorsus, vel econtrà hæc animi serenitas, malacia, ac voluptas suavissima, quæ licitas vel illicitas actiones è vestigio, ut ita dicam, insequitur, præclari sunt pædagogi, qui induci in errorem non sinunt homines, quin eos in tempore admoneant,

16. *In die cùm Deus judicabit occulta hominum secundùm Evangelium meum per Jesum Christum.*

16. quíque eos omnes inexcusabiles reddent in extremo illo pereuntis mundi occasu, quo secundùm effatum Evangelii, cujus ego beneficio & autoritate divinâ prædicatione fungor, JEsus Christus, cui Pater cœlestis judicandi potestatem in orbem universum contulit, revelabit secreta cordium.

17. *Si autem tu Judæus cognominaris, & requiescis in lege & gloriaris in Deo,*

17. Si autem hac ratione cum illis agitur, adeóne cœcus es, ô Judæe, ut tibi promittere ausis impunitatem? qui nomine tam honorifico gloriaris, quod hactenus proprium fuit populo Dei, qui omnem fiduciam reponis in lege, quam profiteris, tibiqúe quasi soli notitiam arrogas legitimi cultûs, quo conditorem tuum venerari conveniat,

18. *Et nôsti voluntatem ejus, & probas utiliora instructus per legem,*

18. qui tantâ evidentiâ ejus mandata perspecta habes, scisque bonum à malo discernere ex institutione à Majoribus tuis acceptâ?

19.

19. Qui tibi imaginaris, te ducem esse aberrantium, te facem ambulantium in tenebris, te doctorem ignorantium, 20. qui existimas cæteros mortales infantium instar delirare, te verò solum in lege habere veram regulam ac cynosuram scientiæ & veritatis?

21. Nam quanta apparet ex unâ parte in sermonibus tuis, ex alterâ in moribus repugnantia ac difformitas? Præsumis de tuâ capacitate alios instruendi, cuilibet canones rectè vivendi præscribis, cùm interea nec teipsum docere, nec alios dirigere valeas? dicis, non esse furandum, & furaris, 22. prædicas, non esse mœchandum, & mœcharis, declamas contra idolorum cultum, & ipsus sacrilegia committis. 23. Gloriaris te legi subditum, & tuis transgressionibûs Deum legis conditorem vilipendis. 24. Nimirum hoc est illud, quod pridem sacris litteris proditum legimus, tibi unicè imputandum, quòd gentiles tantam in moribus tuis corruptissimis & doctrinæ integritate repugnantiam conspicati, blasphemas in Deum voces evomant, cujus tamen te verum & unicum cultorem esse prædicas. Noli, obsecro, tan-

19. *Confidis te esse ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt,*

20. *Eruditorem insipientium, magistrum infantium habentem formam scientiæ & veritatis in lege.*

21. *Qui ergò alium doces, teipsum non doces, qui prædicas non furandum, furaris,*

22. *Qui dicis, non mœchandum, mœcharis, qui abominaris idola, sacrilegium facis,*

23. *Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras.*

24. *Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes.* (a)

I

(a) Isa. 52. Ezech. 36.

tantam vim ponere in hoc carnali & exteriori signo, quo discerneris ab aliis nationibus.

25 *Circumcisio quidem prodest, si legem observes, si autem prævaricator legis sis circumcisio tua præputium facta est.*

25. Circumcisio tibi quidem prodest, si legi obtemperes, sin autem præcepta legis violaveris, perinde est, ac si nunquam eam recepisses, similisque cæteris gentilibus fores.

26. *Si igitur præputium justitias legis custodiat, nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur?*

26. Deus, uti paulò ante dixeram, sive remuneratorem, sive vindicem agat, neque conditionem, neque attentionem personæ attendit. Si gentilis vivat ex præscripto legis, habebitur pro circumciso,

27. *Et judicabit id, quod ex naturâ suâ est præputium legem consummans, te, qui per litteram & circumcisionem prævaricator legis es?*

27. téque Judæum, qui professione legis ipsâque adeo circumcisione suffultus legem violare non metuis, certissimò condemnabit.

28. *Non enim qui in manifesto Judæus est, neque quæ in manifesto in carne est circumcisio,*

28. Etenim qui nomine Judæi insignitus est, quique externam legis Mosaicæ professionem facit, non idcirco verus est Israëlita,

29. *Sed qui in abscondito Judæus est, & circumcisio carnis in spiritu non in litterâ, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.*

29. sed nomen hoc illi competit, qui secundùm considerationem interioris hominis mente & spiritu Judæus est, qui videlicet sincero corde & ex motivis altioribus legem, quam profitetur, observat, quin sibi imaginetur, naturæ propriæ vires sufficere ad ejus observantiam, aut bona fluxa pro prœmio ac fine suo respiciat.

ciat. Parum eſt carne circumcidi, cordi neceſſe eſt circumciſionis cuſpidem applicari, reſecandæ ſunt pravæ ejus aſſuetudines, frœnum injiciendum propriis cupiditatibus, & vincula omnia diſſringenda, quæ obſtant, quò minus Deo conjugamur arctiſſimè. Explodant ſanè impii ſpiritualem hanc ac genuinam circumciſionem, non diffiteor, eam in terris non ſatis exploratam ac prœmiatam eſſe, ſufficiat tamen nobis, quòd ſit Deo gratiſſima, & ab eo condignâ laude ac gloriâ in cœlis remuneranda.

PARAPHRASIS

CAP. III.

TAmetſi Apoſtolus aliquam inter Judæos & Gentiles diverſitatem non diffiteatur, in eo tamen eos convenire oſtendit, quòd omnes ſint ſub peccato, & ut ab eo releventur, non tam operum meritis, quàm fide & gratiâ Chriſti indigeant. 1. Quam ergò prærogativam habet Judæus præ gentili? ad quid tandem pro

1. Quid ergò amplius Judæo eſt, aut quæ utilitas circumciſionis?

prodest circumcisio, si non solùm ex eâ salus nostra non pendet, sed illos potiùs condemnat, qui eâ glorian-tur?

2. *Multùm per omnem modum, primùm, quia credita sunt ipsis eloquia DEi.*

2. Respondeo negari non posse, Judæos eximiis supra gentes prærogativis nonipsorum quidem meritô, sed divinâ munificentiâ ac liberalitate ornatos; ipsis enim revelavit Deus, quâ ratione sibi cultum debitum exhiberi velit, ipsis admiranda & prodigiosa beneficia magno numerô contulit, ad ipsos præcipuè oracula sua & promissa amplissima direxit.

3. *Quid enim, si quidam illorum non crediderunt? nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? absit.* (a)

3. Fuerunt sanè & hodiedum sunt increduli multi ac obstinati inter eos, an idcirco illorum infidelitas divinam fidem, & oraculorum veritatem inanem atque irritam reddidit? absit, ut existimemus, Deum suis promissis unquam defuturum, eorúmque certitudinem ac firmitatem ex nonnullorum obsequioso assensu aut dissensu pendere.

4. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est, ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas, cùm judicaris.*

4. Omnis quidem homo mendax est (uti scriptum est) Deus autem non solummodò verax, sed ipsissima est veritas. Quæcunque dixit, sunt verissima, & quacunque subtili indagine firmitatem eorum, quæ pollicitus est, discusseris, atque ponderaveris, semper justificabitur, ejúsque veracitas ac fide-

(a) Ps. 85. & 115.

litas

litas in adimplendis promiſſionibus victrix ſemper eluceſcet, & de improborum calumniis triumphabit.

5. Si autem ex perverſitate noſtra Dei bonitas inclareſcit: Si mendacia noſtra ejus veracitatem illuſtriorem reddunt, ejúsque fidelitatem magìs conſpicuam noſtræ perfidiæ, quid inde ſequitur? an non injuſtus eſt, cùm in nos animadvertit propter ejusmodi facta, quæ denique in ejus gloriam redundant? an non licet facere malum, ut inde bonum eveniat?

5. Si autem iniquitas noſtra juſtitiam Dei commendat, quid dicemus? nunquid iniquus eſt Deus, qui infert iram?

6. Ex aliorum ſenſu loquor, & ita concludo, prout nimirum humana intelligentia ratiocinatur fallax ſemper & nimiùm hebes, quando de rebus divinis ferendum eſt judicium. Apage cum iſthac illatione peſſimâ, ſtultiſſimâ. Quin potiùs illud perſuaſiſſimum tibi habe, ſi quæ perperàm à nobis geruntur, aliquâ ratione ad Dei gloriam ſerviunt, id non per ſe & ex naturâ ſuâ præſtant, adeo ut exinde aliquam fortè veniam mereantur, ſed id omne tribuendum eſt immenſæ & ineffabili Patris cœleſtis potentiæ, qui rerum naturas ſcit invertere, & ex malo bonum elicere. Deinde longè certiſſimum eſt,

6. Secundùm hominem dico. Abſit. Alioquin, quomodo judicabit Deus hunc mundum?

est, Deum judicaturum orbem universum secundùm omnem æquitatem. 7. At verò quâ ratione id faciet, si justus non est? si autem justus est plectendo, quod haud dubiè faciet, reos criminum, quæ tamen, uti opponitur, in ejus gloriam subserviunt, an non exinde consequitur, peccatum, ùtùt videatur aliquo modo, unde unde tandem in ejus honorem redundare, semper remanere peccatum ob malitiam & turpitudinem suam odiô, abominatione, & pœnâ dignissimum? 8. Et quòd eò prætextu minimè liceat patrare malum, ut inde bonum resultet? sanè qui nobis hanc doctrinam imputant, ex eo, quòd audiverint nos aliquando dixisse, ubi abundavit iniquitas, gratiam Dei superabundaturam, calumniam talem nobis impingunt iniquissimè, quam ultor Deus ob atrocitatem suam non minori severitate, quàm æquitate vindicabit. 9. Sed satis hactenus de firmitate divinarum promissionum, quas Judæi accepêre. Videndum porrò, an quoad usum & gratam horum favorum memoriam præcellant cæteris gentibus. Quod ad justificationem attinet, nullam penitus differentiam agnosco, siqui-

7. Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc & ego tanquam peccator judicor?

8. Et non (sicut blasphemamur, & sicut ajunt quidam nos dicere) faciamus mala, ut veniant bona, quorum damnatio justa est.

9. Quid ergò? præcellimus eos? nequaquam. Causati enim sumus, Græcos & Judæos omnes sub peccato esse.

siquidem paulò ante justissimâ que-
rimoniâ ostendimus, omnes tum Ju-
dæos suæ legis observantiâ, tum Græ-
cos naturæ viribus nixos peccato im-
mersos esse profundissimè. 10. De
Græcis id ad oculum demonstravi.
Judæos quod attinet, an nesciunt,
Davidem de illis amarè hunc in mo-
dum auditum conqueri: non est ju-
stus quisquam in hoc mundo, non
est, qui honestatem, qui virtutem co-
lat, 11. qui Deum nôsse velit, qui
eum requirat, qui diligat, uti fas est.
12. Omnes deflexerunt à semitâ,
cui debebant insistere, & sincero cul-
tu, quem oportebat præstare. Quo
fructu? simul inutiles facti sunt, suis-
que sacrilegiis, ne uno quidem excep-
to execrandum & intolerandum fœ-
torem dederunt in conspectu domi-
ni. 13. Os eorum patenti sepul-
chro persimile est, unde sermones
exhalant spurcissimi, & abominatio-
ne pleni sive in Deum, sive in proxi-
mum. Linguîs suis ad dolos & frau-
des utuntur, quasi serpentum toxicô
imbutis. 14. Verba eorum ama-
rulentiâ, furore, & mille diris re-
dundant. 15. Ad fundendum cru-
orem sunt promptissimi. 16. Nil
nisi vim & mala aliis inferenda mente
ver-

10. Sicut scriptum est, quia non est justus quisquam.

11. Non est intelligens, non est requirens Deum.

12. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.

13. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguîs suis dolosè agebant: venenum aspidum sub labiis eorum.

14. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est.

15. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

16. Contritio & infe-

licitas in viis eorum.

17. *Et viam pacis non cognoverunt.*

18. *Non est timor Dei ante oculos eorum.*

19. *Scimus autem, quoniam quæcunque lex loquitur, iis qui in lege sunt, loquitur, ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo.*]

versant, & reipsâ exequuntur. 17. Modum agendi pacificum ignorant penitus. 18. Judicia divina nec cogitant, nec verentur. 19. Judæi reponere non possunt, has exprobrationes ad eos non pertinere, quandoquidem certum est, quidquid in lege scriptum, ad eos pertinere, qui sub lege sunt, & hac descriptione perinde repræsentari præsentium temporum, quàm præteritorum statum. Atque hoc argumento os obstruitur omnibus hominibus, & materia superbiendi subtrahitur, cùm agnoscere & fateri debeant, omnes & singulos peccato obstrictos mortéque dignissimos esse, adeóque humiliari debere sub potenti manu Dei,

20. *Quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo, per legem enim cognitio peccati.*

20. & neminem justificari posse per opera legis seu naturalis, seu Mosaicæ: ex hac ultimâ adeo difficilem & divinum effectum incassum præstolantur, cùm ex officio & naturâ suâ notitiam tantùm peccati ingeneret.

21. *Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata à lege & prophetis,*

21. Nunc verò meliorem in modum mutata sunt omnia, Evangelium enim non tantùm in peccati notitiam nos ducit, sed etiam remedium præbet, & absque legis observantiâ justitiam quandam Deiformem confert, cujus promissionibûs omnia pro-

Prophetarum oracula redundant, ut nemo eam despiciat quasi novitiam, útque ejus dignitas ac præstantia magis inclarescat. 22. Hæc porrò justitia, quæ à Deo venit, hominésque, quibus infunditur, Deo similes reddit, per fidem communicatur omnibus, qui credunt in JEsum Christum. In hoc nulla est distinctio originis, nationis, sexûs vel conditionis. 23. Cùm enim universi mortales deliquerint & ab amicitiâ ac benevolentiâ Dei sint admodum remoti, omnes ejus gratiâ indigent, & necessariò fateri debent, se ne minimam quidem causam habere gloriandi coram Deo, sed potiùs maximam se in ejus præsentiâ profundissimè humiliandi. 24. Solius gratiæ præsidiô absque omni suo merito ex miserrimo illo statu liberantur, ad quem eos deduxerat peccatum, & inæstimabile donum justificationis consequuntur, quæ fructus est redemptionis nostræ per JEsum Christum. 25. Ipse enim est, quem Deus constituit in victimam propitiationis pro universis mortalibus per effusionem sui sanguinis, cujus virtutem per fidem sentiunt. 26. In hac redemptione si Deus ex unâ parte rigorem suæ justitiæ manifestet,

22. Justitia autem Dei per fidem JEsu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum, non enim est distinctio,

23. Omnes enim peccaverunt & egent gloriâ Dei,

24. justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo JEsu,

25. Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionẽ justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum.

26. In sustentatione

Dei ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore, ut sit ipse justus, & justificans eum, qui est ex fide JEsu Christi.

festet, cùm proprio filio non pepercerit, qui nostra delicta in se susceperat, ex alterâ hoc quidem tempore luculentiùs ostendit divitias suæ bonitatis, cùm eum in hunc mundum miserit, ut satisfaceret pro illis ipsis, quorum infanda flagitia à tanto tempore tam benignè & patienter dissimulabat. Hoc agendi modô palàm facit, se & justum esse, & auctorem omnis justitiæ, quódque illum justificet, qui veram fidem habet JEsu Christi.

27. *Ubi est ergò gloriatio tua? exclusa est. Per quam legem? factorum? non, sed per legem fidei.*

27. Quæ cùm ita sint, cur gloriam tibi nunc arrogas, ô Judæe? quare superbis ex operibus legis? omnis profectò gloriandi occasio exclusa est. Quâ verò ratione, qua lege? an lege Moysis, quæ operibus innixa eos videtur justificare, qui in illis fiduciam & operam omnem collocant? haudquaquam, sed eâ potiùs, quæ fidem in Christum proponit, & ad ea peragenda, quæ jussa sunt, auxilium gratiæ præstat.

28. *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis.*

28. Censemus enim, id quod reipsâ est verissimum, justificari hominem per fidem, nempe vivam, quin opera externa legis Mosaicæ aut purè naturalia ipsi meritum quoddam concilient, aut ullâ ratione concurrant, & quidquam conferant ad beneficium

tam

tam insigne. 29. Neque id tibi mirum & insolitum videatur. An enim existimamus, Judæorum tantùm Deum esse, aut illorum tantùm curam & providentiam habere? an non etiam Gentilium Deus est? est sanè, eósque verè diligit, nec minore solertiâ ac sollicitudine iis invigilat, quàm populo, quem olim suum nuncupavit ex speciali prærogativâ. 30. Differentia jam omnis sublata est. Idem Deus est, qui Judæum circumcisum, simúlque gentilem non circumcisum eâdem fide justificat. 31. Num igitur legem tanquam inutilem & inanem Christi fide abolemus? minimè id quidem, sed legem potiùs afflictam ac jacentem erigimus & honore debito prosequimur, ostendendo quid sit, quâ virtute polleat haud equidem secundùm eorum imaginationem, qui de ejus viribus ideam planè fallacem & præposteram conceperunt, sed secundùm statum, & juxta limites, intra quos illam restringere Deo placuit.

29. *An Judæorum Deus tantùm? nonne & Gentium? imò & Gentium.*

30. *Quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.*

31. *Legem ergò destruimus per fidem? absit, sed legem statuimus.*

PARAPHRASIS

CAP. IV.

UT Apoſtolus ulteriùs probet, non per opera legis, aut naturæ, ſed per fidem Chriſti juſtificari omnes homines, inducit exemplum Abrahæ, de hoc ergò ſic incipit diſcurrere.

1. *Quid ergò dicemus inveniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundùm carnem?*

1. Quandoquidem ergò, utì pro certo à nobis conſtitutum eſt, non ex cujusquam actionibus quantumvis juſtis, & ex legis præſcripto peractis juſtificatio conceditur divinitus, quam ergò mercedem primus ille gentis noſtræ ſecundùm carnem parens ac princeps Abraham pro omnibus tam præclarè tantóque numero geſtis recepit? Fateor Abrahamum virum fuiſſe ex omni parte eximium, ejúsque opera Deo fuiſſe gratiſſima, hinc verò neutiquam velim inferas, illum ſuis duntaxat actionibûs humanâ vi & facultate editis juſtificatum fuiſſe. Juſtitia operum extrinſeca eſt, ea, de quâ loquor, interior, homines de illâ judicium ferunt, iſtam Deus novit, neque ſolummodo novit, ſed etiam mirificè probat

bat, & liberaliter remuneratur. 2. Quare si Abraham justitiam tantùm ex operibus habuit, justus præcisè fuit coram hominibus, eorum solùm approbationem & laudem habuit, quod sanè magni beneficii locô reputandum non est, quandoquidem talis justitia hominem à peccato non eximit, neque eum in gratiam cum Deo reducere, tantæque Majestatis oculis acceptum reddere valet per veram sanctitatem. Fides sola & quidem viva hos effectus producit, in quibus hominis justificatio consistit, huic suam quoque debet Abrahamus, per eam justificatus Deum glorificavit, quòd ejus miseratione donum acceperit, quo se indignum judicabat. 3. An non Scriptura absolutè hanc controversiam dirimit asserendo, Abraham fidem habuisse promissionibus divinis, atque hoc illi reputatum fuisse ad justitiam, seu quod idem est, justificatum esse per hanc fidem. Si ex operibus suis justificatus fuisset in conspectu Domini, in vanum Deus suam fidem illi imputâsset in justitiam, quandoquidem istam jam antea habuisset, nempe ex propriis actionibus. 4. Quin imò, si ejus opera promerita fuissent

2. Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed n. n apud Deum.

3. Quid enim dicit Scriptura? credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam. (a)

4. Ei autem, qui operatur, merces non impu-

(a) Gen. 15.

tatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.

5. *Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundùm propositum gratiæ Dei.*

6. *Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus.* (a)

7. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.*

8. *Beatus vir, cui non imputavit dominus peccatum.*

(a) Ps. 31.

sent hanc justificationem, nullam ei gratiam exhibuisset Deus eam illi dando, merces enim, quæ agenti confertur pro actionibus, quas elicit, ipsi non persolvitur pro gratiâ, sed per modum debiti & ex lege justitiæ. 5. Econtrà homini, qui nullam ipse actionem exercet, sed in eum solummodò credit, qui justificat impium, sua illi fides pro justitiâ fertur accepta, eique adeò ipsa justitia per fidem gratìs conceditur, non propterea, quòd ex se id fidei debeatur, sed quia divinæ bonitati placuit propter hominum salutem ultrò decernere, & constituere, ut fides Christi merita apprehendat, hoc est, eorum fructum percipiat, eáque ratione inæstimabilem hanc veræ atque inhærentis justitiæ gratiam consequatur. 6. Exemplo Abrahami subnectam auctoritatem regis David. 7. Felices pronuntiabat eos, quorum remissæ sunt iniquitates & tecta peccata, 8. felicem illum, cui Deus non imputavit suum peccatum, sed accepto fert justitiam sine operibus. Vides ergò, quomodo beatitudinem, nempe justitiam, quæ est vera hominis felicitas, non attribuat meritis operum, sed soli Dei

Dei clementiæ, qui ei hanc justitiam imputat & acceptam fert absque operibus legis Mosaicæ & quidem imputatione verâ ac propriè tali, per quam verè justus est, quæque ipsius peccata obtegit; hoc est, ita delet & extinguit, ut non amplius appareant, neque reipsâ ampliùs existant. Sed pergamus explorare, num hæc gratia ad Judæos tantùm se extendat, an verò etiam Gentibus ex parte obveniat. 9. Solutio hujus difficultatis pendet ex observatione temporis, quo Abrahamus insigne hoc justificationis beneficium obtinuit. Tunc ergò temporis erátne circumcisus, nec ne? certum est non fuisse. 10. Cur ergò, nonnemo fors objiciet, præcepit ei dominus, ut circumcideretur, quandoquidem hoc remedio non indigebat jam priùs justificatus? R. eum circumcisionem suæ carnis accepisse tanquam signum illius, quam in corde gerebat, verè circumcisus per obedientiam & fidelitatem, 11. tanquam notam circumcisionis spiritualis, quæ vigere debebat postmodum in lege evangelicâ, nempe inordinatorum affectuum abnegationis, tanquam pignus fœderis, quod Deus cum eo ejúsque posterita-

9. Beatitudo ergò hæc in circumcisione tantùm manet, an etiam in præputio? dicimus enim, quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam.

10. Quomodo ergò reputata est, in circumcisione, an in præputio? non in circumcisione, sed præputio.

11. Et signum accepit circumcisionis signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio, ut sit pater omnium credentium per præputium, ut repu-

tetur & illis ad justitiam.

ritate sancire parabat, denique tanquam signaculum, quo justitia, quam possidebat ante circumcisionem, legitimè confirmanda & cuilibet attestanda erat. Præcipua autem ratio, cur Deus ante circumcisionem eum justificare voluerit, fuit, ut ita evaderet parens omnium credentium, etiam eorum, qui præputii circumcisionem non admitterent, quorum proinde fides etiam reputaretur eis in justitiam, sicut ipsi evenerat.

12. *Et sit Pater circumcisionis non iis tantùm, qui sunt ex circumcisione, sed & iis, qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio Patris nostri Abrahæ.*

12. Quòd si postea ei præcepit circumcisionem, id eâ de causâ fecit, ut eum patrem redderet illorum, qui non solùm in carne suâ, sed vel maximè in cordibus suis hoc signum circumferrent, quíque ejus vestigia sequerentur, fidem videlicet firmissimam, quam is jam in præputio habuerat. Itaque Abraham credentium Pater appellatus est, non modò ratione Judæorum, sed etiam respectu gentilium, cùm fides Abrahæ perinde utrisque possit esse communis, neque in filiorum Abrahæ, aut credentium numerum præputiô aut circumcisione quisquam, sed unâ tantùm fide referatur.

13. *Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini ejus, ut hæres*

13. Jam verò quod attinet legis observantiam, quando Dominus Abrahamo, ejúsque

que posteritati pollicitus est hæreditatem totius orbis, id est, quòd JEsus Christus Rex regum, & Dominus dominantium nasciturus esset ex ejus semine, quòd ipsius regnum firmandum esset per orbem universum, & quòd in illo omnes nationes benedicendæ forent, non adjunxit observationem legis tanquam conditionem necessariam ad obtinendum effectum harum promissionum, sed solius justitiæ rationem habuit, quam per fidem suam consecutus fuerat, antequam circumcisus fuisset. 14. Quòd si illis duntaxat, qui legem profitentur, quique justitiam ex lege habent, competeret jus ad isthanc hæreditatem, vana esset fides, & pollicitatio Dei frustranea, quod nec cogitari, neque dici potest absque blasphemiâ. 15. Quo pacto autem, obsecro, lex, quæ ex se non nisi iram & damnationem provocat, ac gignit (cùm planè nulla sit transgressio nisi ex occasione alicujus præcepti, nec pœna, nisi ratione alicujus delicti) hæredes nos posset efficere? 16. Superest ergò, ut promissam hæreditatem à solâ fide præstolemur. Et sanè sola ipsa eam confert, ut pateat, nullâ ratione immutari posse promissiones

esset mundi, sed per justitiam fidei.

14. *Si enim, qui ex lege hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio.*

15. *Lex enim iram operatur, ubi enim non est lex, nec prævaricatio.*

16. *Ideo ex fide, ut secundùm gratiam firma sit promissio omni semini, non ei, qui ex lege est, solùm, sed & ei, qui ex fi-*

de est Abrahæ, qui pater est omnium nostrûm.

17. *Sicut scriptum est: quia patrem multarum gentium posui te ante Deum, cui credidit, qui vivificat mortuos, & vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* (a)

siones gratiæ, quas Deus universo semini Abrahæ fecit, nempe non iis duntaxat, qui legem profitentur, sed etiam illis, qui ejus filii sunt per fidem. Si enim tantùm pater esset nascentium ex ejus semine, nihil admodum singulare & eximium suspiceremus in ejus paternitate, 17. at verò pater est omnium hominum secundùm hoc Scripturæ testimonium: patrem multarum gentium posui te, & præterea pater est eâ ratione, quâ Deus ipse, in quem credidit. Qemadmodum enim Deus non est tantùm aliquorum populorum pater & auctor, ita & Abraham non Judæorum solummodò. Quemadmodum Deus pater est nos adoptando & non generando, ita Abraham pater est per fidem, non verò per naturalem & carnalem productionem. Denique quemadmodum Deus peculari quadam ratione pater est timentium se, ita Abraham modô quodam longè præstantiori pater est æmulantium ejus fidem, quàm carnis propagatione ex ipso descendentium. Sed ecce! relationem novam, eámque proximiorem magísque stupendam audiamus. Deus mortuos resuscitat, & vocat

(a) Gen. 17.

vocat ea, quæ non sunt, quasi reipsâ jam existerent, id est, si velit è nihilo producere, mandâsse sufficit, ut ex eo prodeant. 18. Fides porrò, cui fiduciam suam Abrahamus alligaverat contra omnem apparentiam spei, quòd futurus esset progenitor multarum gentium, eandem admirandam virtutem exeruit: etenim vigor ejus genitalis, quem grandæva senectus propè extinxerat, adeò renovatus fuit, ut non tantùm Isaacùm genuerit, sed etiam pater multarum gentium extiterit secundùm promissionem divinam his verbis factam: suspice cœlum & numera stellas, sic erit semen tuum. 19. Idcirco minimè hæsitans, aut fide nutans non attendendo ad constitutionem corporis sui jam effœti & prope emortui, quandoquidem centesimum annum vix non attigerat, neque impotentiam uxoris suæ penè decrepitæ ad concipiendam prolem, 20. promissiones divinas absque ullâ fluctuatione aut diffidentiâ de earum effectu firmissimo assensu excepit, totúmque se Numinis supremi providentiæ commisit gratias agens impensissimas, quòd secum tam benignè disponeret, simul omnem exin-

18. *Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium secundùm quod dictum est ei, sic erit semen tuum.* (a)

19. *Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cùm jam fere* 100. *esset annorum, & emortuam vulvam Saræ.*

20. *In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentiâ sed confortatus est fide dans gloriam Deo.*

(a) Gen. 15.

21. *Pleniſſimè ſciens, quia quæcunque promiſit, potens eſt & facere.*

22. *Ideo & reputatum illi eſt ad juſtitiam.*

23. *Non eſt autem ſcriptum tantùm propter ipſum, quia reputatum eſt illi ad juſtitiam.*

24. *Sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui ſuſcitavit JEſum Chriſtum Dominum noſtrum à mortuis,*

25. *Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.*

exinde gloriam in ipſum referens, atque eventum ſpe indubitatâ exſpectans, 21. cùm planè perſuaſum ſibi haberet, quidquid Deus quavis ratione ſpoponderit, id verò poſſe ab eo nullo negotio reipsâ præſtari. 22. Et hæc fides adeò robuſta, magnanima, & perfecta reputata ei fuit in juſtitiam, nempe ejus intuitu juſtificatus eſt. 23. Id quod non ob illum tantummodo litterarum monumentis conſignatum, ſed etiam noſtrâ omnium causâ, 24. qui ejus exemplô juſtitiam pariter conſequemur, ſi firmâ fide in eum crediderimus, qui exciavit JEſum Chriſtum à mortuis, 25. traditum priùs in mortem crucis ad remiſſionem noſtrorum criminum, & è ſepulchro poſtmodum redivivum, tum ut ſecundùm ordinatam ſuam deſtinationem meritum redemptionis per nominis ſui prædicationem nobis applicaretur, tum ut vivâ firmâque ſpe per ejus reſurrectionem renaſceremur, ſperantes videlicet, quòd aliquando ipſe tanquam Caput nos, qui membra ejus ſumus, reſuſcitaturus ſit, tum demum, ut nos omnes inſtrueret, quòd quemadmodum ipſe novam vitam recuperavit, quam non ampliùs amiſ-

ſurus

ſurus erat, ita & nos novâ gratiæ vitâ impoſterum vivere debeamus, eámque maximâ fidelitate ac ſollicitudine ſervare integram atque incolumem.

PARAPHRASIS

CAP. V.

1. *Juſtificati ergò ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum.*

1. QUando gemebamus ſub tyrannide ac jugo peccati, meritò poteramus aſſiduâ trepidatione formidare, ne Deus graviſſimè offenſus juſtam de nobis vindictam ſumeret: poſtquam autem adminiculô fidei veniam juſtitiámque conſecuti ſumus (de cujus effectibus hoc capite diſſerit inſtitutâ etiam comparatione cum peccato originali) pacem habemus cum eo, atque adeo ſanctâ quadam & tenerrimâ fiduciâ cum eodem agere debemus & ſtudioſè procurare, non tanto bonô privemur impoſterum. Hanc pacem obtinuimus per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum.

2. *Per quem & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua*

2. Ipſe nobis admiſſionem procuravit ad thronum & conſpectum Patris ſui, tanquam filiis, noſ-

ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.

3. *Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus ſcientes, quòd tribulatio patientiam operatur,*

4. *Patientia autem probationem, probatio verò ſpem.*

5. *Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.*

nósque per ſemitam fidei deduxit ad feliciſſimum hunc gratiæ ſtatum, in quo conſiſtimus, & gloriamur in ſpe, quam eadem fides nobis facit conſequendi aliquando gloriam ac beatitudinem filiorum Dei. 3. Neque hîc ſiſtimus, dum enim immortalem hanc vitam exſpectamus, gloriamur interim & gaudemus in omni adverſitate, quæ nobis evenit. Scimus enim, quòd adverſitas in nobis patientiam gignat, acuat ac perficiat, 4. quódque exercitatio noſtræ patientiæ probatio ſit noſtræ fidei manifeſtando, quàm benè fundati & radicati ſimus in amore Dei, quódque hæc probatio ac notitia magis magíſque nos ſtabiliat in ſpe illo fruendi, quem non obſtante quacunque calamitatum acerbitate impensè diligimus, cuíque tam arcto dilectionis ac gratiæ vinculô conjuncti ſumus. 5. Spes, quæ hominum præcisè verbis, promiſsíſque innititur, fallax eſt & futilis, non item ea, de quâ loquor, quæ verbo illius innititur, qui fallere nequit. Nihil hac ſolidius, nihil firmius. Minimè ſanè nos pudet aut pœnitet concepiſſe illam. Teſtimonia hæc & ſigna amoris infiniti, quo Deus ipſe nos com-

complectitur, thesauri hi divinorum munerum, quos Spiritus Sanctus in cordibus nostris habitare dignatus liberalissimè diffudit, certissimæ sunt illius arrhæ. 6. Quis enim de hoc prudens dubitet, si in mentem revocet, quòd Dei filius in hunc mundum venerit, non eo solùm tempore, quod à suo Patre præfixum Prophetarum oraculis designaverat, sed quod simul erat convenientissimum, quandoquidem tunc homines suorum flagitiorum pondere prægravati ad miserrimum languoris & corruptionis cujusdam universalis statum redacti erant, neque medelam ex lege sperare poterant. Quin ejus benignitas processit ulteriùs. Mortem obire voluit & quidem pro impiis, pro sceleratis. 7. Vix invenire erit, qui mortem oppetere velit pro homine justo, solâ ejus probitate permotus, vel ei aliàs non obstrictus ex reciprocâ gratitudine pro beneficiis acceptis, vix, inquam, invenire erit, quamvis absolutè non inficias eam, talem denique reperiri posse, sed tunc vel illius probitas, in cujus gratiam vitæ suæ jacturam non curaret, vel peculiares obligationes ad tam generosum facinus ipsum indu-

6. Ut quid enim Christus, cùm adhuc infirmi essemus, secundùm tempus pro impiis mortuus est?

7. Vix enim pro justo quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori?

8. *commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus secundùm tempus,*

9. *Christus pro nobis mortuus est: multò igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius salvi erimus ab irâ per ipsum.*

10. *Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus, multò magis reconciliati salvi erimus in vitâ ipsius.*

ducerent. 8. Quid ergò dicemus de amore, quo Deus nos prosecutus est? ô quàm eximius est, quàm effusus, quàm longè supra omne quod dici cogitarive potest illustris! 9. quandoquidem tunc temporis, quo JEsus Christus animam suam pro nobis posuit, ut per ipsius pretiosum sanguinem redempti viveremus, ingrati eramus, rebelles, sacrilegi. 10. Si autem tunc, cùm inimici essemus Patri cœlesti, nihilominus filium suum unigenitum nobis submittere dignatus est, multò magis profectò nunc justificati ipsius sanguine, & per mortem acerbissimam reconciliati confidere poterimus, fiduciam nostram non fore inanem, nósque non solùm funestis indignationis divinæ effectibûs haud ampliùs premendos, sed etiam certò certiùs salvandos, vitáque fruituros, quâ beati omnes in illo felicitatis æternæ pelago gaudent. Liberatos porrò nos esse è miserrimo peccati statu, justificatos præterea & conservatos in gratiâ spem habere æternæ beatitudinis favores sunt tam eximii, ut eorum dignitas difficulter cogitatione attingi possit, canalis verò ille, per quem in nos cœlitùs derivantur,

eos

eos adhuc magis pretioſos reddit.
11. Singulares proin Deo immortali grates agimus, atque in eo præcipuè gloriamur, & exultamus, quòd JEſum Chriſtum Dominum noſtrum Mediatorem pacis nobiſcum initæ ſtatuere voluerit, nec non Medicum, per quem vulnera noſtra ac languores ſanarentur. 12. Et ſanè expediebat omnino, ut per aliquem hominem nobis omnia illa bona obveniant, quandoquidem per unum quoque hominem primum omnium parentem peccatum in hunc orbem terrarum penetravit, & per hoc peccatum mors venenum ſuum in omnes ejus poſteros diffudit, qui nemine excepto in illo peccati primigenii labem ac fœditatem contraxêre, ſiquidem caput erat generis humani, ejúſque voluntas in ſe complectebatur illorum omnium voluntates.
13. Poſt ejus lapſum peccatum non deſtitit mortales omnes inficere usque ad legis Moſaicæ promulgationem, quo toto tempore uti nulla lex vigebat, ita peccatum non plectebatur tanquam legis transgreſſio, neque homines illud agnoſcebant, aut magnopere verebantur ùt plurimùm, eò quòd cùm nullam prohibitio-

11. *Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus.*

12. *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.*

13. *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur, cùm lex non eſſet.*

bitionem cernerent, minimè se peccatum incurrere existimarent, complura interim patrantes, quæ nihilominùs ab honestatis & æquitatis orbitâ deflecterent. Porrò si certum est, utì planè est extra controversiam, supplicium esse pœnam & effectum peccati, neque Deum pœnam inferre posse nisi actioni vel omissioni peccaminosæ,

14. *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Mosen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri.*

14. quandoquidem per id tempus, quod ab ipso mundi exordio usque ad Moysen excurrit, mors in omnes tyrannidem suam exercuit, non solùm in eos, qui propriis flagitiis divini Numinis iram provocabant, sed etiam in infantes, qui usu rationis destituti non poterant dici imitatores actualis prævaricationis sui protoparentis, qui, utì paulò pòst ostendam, imago erat secundi Adæ, nempe JEsu Christi.

15. *Sed non sicut delictum, ita & donum. Si enim unius delictô multi mortui sunt, multò magis gratia Dei & donum in gratiâ unius hominis JEsu Christi in plures abundavit.*

15. Nunquid inde consequitur peccatum, quemadmodum dixi, in mundo regnâsse à primo videlicet parente contractum, vímque suam mortiferam in omnes omnino posteros, ùtùt de cætero actualis malitiæ haud capaces exeruisse? Exploremus modò, quænam sit virtus gratiæ in nostram salutem,

quæ-

quænam peccati in nostrum exitium. Nulla planè est paritas. Si enim peccatum unius hominis vim malignam habuit mortem inferendi omnibus ejus posteris, Deus Optimus per gratiam unius hominis nempe JEsu Christi nobis vitam donavit absque ullâ comparatione longè præstantiorem eâ, quam in Adamo perdidimus, nósque innumeris aliis pretiosissimis favoribûs cumulavit.

16. Ita est. Longè alia ratio divini hujus muneris & charismatis est, quàm illius primæ calamitatis & offensæ. Tametsi enim reatus ab unius hominis noxâ ortum habuerit, & in omnium condemnationem ita propagatus fuerit, ut vel una primævæ labis macula sempiternæ morti cunctos addicat, gratiæ tamen donum ad omnium mortalium justificationem extenditur, & non solùm ab hac primævâ maculâ, sed & innumeris aliis insuper adjectis, & accumulatis flagitiis eos liberat.

16. *Et non sicut per unum peccatum, ita & donum, nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem.*

17. Si ergò mors per unius hominis funestum lapsum regiam dominationem obtinuit, quis in dubium revocet, illos qui tantam gratiæ redundantiam accipiunt, tam effusam justitiæ communicationem, aliquando per

17. *Si enim unius delictô mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ & donationis & justitiæ accipientes in vitâ regnabunt per unum Jesum Christum.*

per JEſum Chriſtum & cum JEſu Chriſto regnaturos, vitâque, quam ſperant, beatiſſimâ fruituros?

18. *Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.*

18. Itaque, ut maneamus in comparatione prioris ac poſterioris Adæ, quemadmodum omnes homines mortem incurrerunt, & condemnationem ex offenſâ & lapſu unius hominis, ita omnes juſtificati & vitam nobiliſſimam conſecuti fuerunt per juſtitiam & gratiam unius pariter hominis, nempe JEſu Chriſti.

19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi.*

19. Quemadmodum etiam per inobedientiam ſui protoparentis, qui caput erat generis humani, omnes peccati originalis labem contraxerunt, ita juſti omnes ſuam debent juſtitiam obedientiæ ſecundi eorum parentis, qui eorum caput eſt ſecundùm gratiam.

20. *Lex autem ſubintravit, ut abundaret delictum, ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia.*

20. Lex Moſaica (reponet quiſpiam) conſtituta eſt ad delendum hoc peccatum. Imò verò ejus conſtitutione peccatum vim ſuam peſtiferam longè magìs diffudit, & plura quàm antea flagitia induxit, eò quòd plura præceperit atque vetuerit, unde occaſionem homines eam violandi acceperunt, Deo ita permittente, ut oſtenderet illis, qui eâ gloriabantur, ejus inſufficientiam ad abolendum peccatum, & neceſſi-

ta-

tatem alterius efficacioris remedii, quod gratiam suppeditaret ad observantiam præceptorum summopere requisitam. Porrò Evangelium habet rationem & vim hujus legis, per illud tanta è cœlo gratiæ copia atque affluentia effusa est, ut peccatum non æquârit modò, sed multis etiam partibûs superârit non omnem duntaxat labem facillimè abstergendo, sed vires insuper longè maximas & planè insolitas ad implendam legem fidelium mentibus conferendo. 21. Quòd si peccatum despoticum mortis imperium ac tyrannidem induxit, gratia illud penitus destruxit, eique substituit principatum vitæ, quæ nunc quidem est vita justitiæ, postmodum autem erit vita gloriæ, per merita JEsu Christi Domini nostri, à quo illam sperare fas est, cùm eam nobis sanctè promiserit, & luculenter promeritus sit effusione sanguinis sui infinitè pretiosi.

21. *Ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam per JEsum Christum Dominum nostrum.*



PARAPHRASIS

CAP. VI.

1. *Quid ergò dicemus? permanebimus in peccato, ut gratia abundet?*

2. *Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?*

3. *An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo JEsu, in morte ipsius baptizati sumus?*

1. SI vera sunt, quæ modò diximus, uti sunt verissima, quid inde inferemus? hærebimúsne in peccati sordibus, ut gratia tantò abundantior in nobis resplendeat, & prodigiosam hanc virtutem exerat, quam priùs tantopere deprædicavi? 2. absit. Recordamur, proh dolor! illius temporis, quo sub peccati jugo oppressi gemebamus, nunc verò peccato non ampliùs vivimus, neque sumus obnoxii. Erimúsne adeo stolidi ac miseri, ut illi denuo vitam reddere, locum cedere in conscientiis nostris, atque ejus tyrannidi nos ultrò subjicere velimus? 3. Anne vobis mente excidit, fratres mei, quòd per baptismum in nomine JEsu Christi acceptum baptizati fuerimus in ejus morte, id est, quòd baptismus noster figura & typus sit mortis illius, quódque is modô quodam spirituali id ipsum præstet, quod illa præstitit in ejus corpore supra montem calvariæ? Quemadmodum enim

nim JEsus Christus moriendo carnem destruxit, quæ secundùm externam speciem peccato erat obnoxia, quemadmodum etiam peccatum delevit, quod in se non habuit, nisi in quantùm illud tanquam fidejussor in se suscepit ad satisfaciendum divinæ justitiæ, ita & baptismus hominem veterem, qui propriè peccatô infectus ést, verè in nobis destruit, ut novum induamus, atque peccatum, quod reverà nostrum est, exterminat, ad conferendam nobis gratiam. 4. Aqua, cui immergimur, exhibet sepulturam nostri Servatoris, atque significat universa nostra delicta cum eo simul sepelienda. Cùm inde extrahimur, repræsentatur nobis ejus resurrectio, quæ cessit in gloriam æterni Patris, nobísque præterea indicat, quòd ejus exemplô longè aliam vitam, sanctitate videlicet conspicuam imposterum nos ducere conveniat. 5. Vitam hanc gratiæ excipiet aliquando vita gloriæ post resurrectionem, si supra crucem JEsu Christi tanquam surculi insiti fuerimus, si imaginem ac similitudinem mortis ejus in nobis gestemus eâ perfectione, quam nostræ fragilitatis conditio ac status permit-

4. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.

5. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus.

mittit, si denique vitâ vivamus, qualem nos Magister noster cœlestis in crucis cathedrâ edocuit.

6. *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultrà non serviamus peccato.*

6. Huic oculos, huic animos continuâ attentione affixos teneamus, quippe quæ instrumentum fuit mortis illius. Etenim præter justum hunc & innocentem hominem, quem in eâ pendentem suspicimus, & nunquam satìs revereri, atque grati animi obsequiis colere valemus, alium ibi conspicimus, quem nec satis metuere, nec satis abominari possumus: atque hic est vetus ille Adamus, hæc concupiscentia, hæc massa infecta, hoc corpus perversissimarum affectionum, quæ funestæ sunt peccati reliquiæ. Ne igitur in nostram ipsorum perniciem nebulonem hunc à cruce denuo refigamus, ac priori denuo libertate vel potiùs tyrannide donatum nostris cervicibus imponamus improvidi.

7. *Qui enim mortuus est, justificatus est à peccato.*

7. Mortui enim peccare haud ampliùs possunt, atqui peccati vitam, utì vobis dixi, jam planè in nobis extinximus, maneamus igitur in hac beatâ morte à peccato justificati, ejúsque vinculis soluti ac liberi, & non ampliùs peccemus.

8. *Si autem mortui sumus cum Christo cre-*

8. Quòd si quemadmodum Christus corpore mortem oppetiit, sic nos

nos peccato mortui ſumus, confidimus utique fore, ut cum eodem reſuſcitati vitâ beemur immortali. 9. Quippe cùm certò ſciamus, eum à mortuis ſemel excitatum haud ampliùs morti eſſe obnoxium, neque illam in ipſum quidquam juris habere. 10. Etenim mortem oppetiit ad deſtruendum & expiandum peccatum, idque ſemel duntaxat, nunc porrò vivit in Deo, & de Deo & pro Deo. 11. Ita & vos mementote vos peccato eſſe mortuos, & vivendum proin in Deo per JEſum Chriſtum Dominum noſtrum, at verò attendite, ne unquam vitam tam divinam atque beatam amittere vos contingat. 12. Peccatum ergò (ita concupiſcentiam nuncupo) non dominetur ampliùs in mortali veſtro corpore, ut ejus effrœnatis cupiditatibus obtemperetis inſani. 13. Facultates ſenſuum mentiſque veſtræ ejus imperio ne ſiſtite, ut velut injuſtitiæ atque improbitatis inſtrumenta ſerviant, & quaſi quidam ſcelerum ac flagitiorum adminiſtri, ſed exhibete vos ipſos Deo quaſi ex mortuis redivivos, atque immortalitate donatos, & juſtitiæ facultates omnes animæ corporiſque veſtri tradite tanquam inſtrumenta per-

dimus, quia ſimul etiam vivemus cum Chriſto.

9. *Scientes, quòd Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.*

10. *Quòd enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel, quòd autem vivit, vivit Deo.*

11. *Ita & vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo in Chriſto JEſu Domino noſtro.*

12. *Non ergò regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus.*

13. *Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato, ſed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes, & membra veſtra arma juſtitiæ Deo.*

idonea quarumlibet sanctarum actionum, ad quas producendas industriâ ac cooperatione vestrâ uti dignabitur.

14. *Peccatum enim vobis non dominabitur, non enim sub lege estis, sed sub gratiâ.*

14. Nolite existimare, peccati vos tyrannidem excutere non posse: credite mihi, nequaquam vobis dominabitur, si fortiter illi ac constanter resistere velitis; estis enim in statu gratiæ, quæ non solùm docet, quid facto opus, sed etiam vires suppeditat ad id perficiendum. Non estis ampliùs sub jugo legis, in quâ tanta farrago erat præceptorum, & auxilium prope nullum ad ea servanda, vel pertenue, ubi merces quidem promissa erat ea custodientibus, sed venia minimè indulta ea transgressis.

15. *Quid ergò? peccabimus? quoniam non sumus sub lege, sed sub gratiâ? absit.*

15. At enim? an quia non ampliùs sub hac lege mortis vivimus, sed sub suavissimâ gratiæ & Evangelii lege, idcirco liberi ac soluti sumus, ut peccare nobis impunè pro nostro arbitratu liceat? absit à vobis, fratres mei, talis illatio ex meo discursu.

16. *Nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem sive obeditionis ad justitiam?*

16. An enim ignoratis, quòd exhibeatis vos servos eorum, quorum imperio vos mancipatis, sive sit gratia, quæ vitam affert, sive peccatum, quod generat mortem? Porrò per fidem, quam recepistis, Evangelio vos ultrò subjecistis, estis ergò

ejus

ejus servi, ex illius ergò præscripto vivendum vobis posthac, & abstinendum à peccato, quod modis omnibus prohibet. 17. Gratiæ igitur Deo Optimo Maximo sint immortales. Si priùs peccati servitus vos tenuit, nunc illâ exempti estis, si iniquitati obtemperâstis, jam vicissim doctrinæ vobis annuntiatæ leges ad amussim servatis. 18. Verbô, liberati estis à peccato & transcripti in obsequia justitiæ legitimæ Dominæ vestræ, extra cujus servitium nulla reperiri valet sincera ac vera libertas. 19. Quâ ergò ratione poteritis jugum excutere tam suave, tam honorificum? dabo aliquid vestræ infirmitati, nihilque exigam, nisi quod sit perinde facile, ac rationi est conveniens. Illud igitur tantummodo postulo, ut sicut olim membra vestra impuræ nequitiæ & iniquitati ad omnes flagitiorum sordes addixistis, ita nunc eadem obsequia justitiæ ad omnem probitatem ac sanctimoniam exponere & impendere velitis. 20. Cùm dirâ peccati tyrannide premeremini, exempti eratis à suavi feliciqúe jugo justitiæ, & fatali libertate gaudebatis. 21. Edicite autem, obsecro, quem fructum per id tempus

17. Gratias autem Deo, quòd fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ in quam traditi estis.

18. Liberati autem à peccato servi facti estis justitiæ.

19. Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ, sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.

20. Cùm enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ.

21. Quem ergò fructum habuistis tunc in

illis, in quibus nunc erubescitis? nam finis illorum mors est.

pus retulistis licentiæ vestræ effusissimæ ex tot flagitiis, in quæ vos illa præcipitavit, & unde nunc tanto pudore erubescitis? fateamini, quod res est, non alium videlicet, quàm exitus amarissimos, mortémque sempiternam, hanc unam producere possunt.

22. *Nunc verò liberati à peccato servi autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.*

22. Jam verò peccati jugô excussô ac penitus disjectô & in servitutem filiorum Dei adsciti, an non uberrimum pulcherrimúmque fructum percipitis, nunc quidem vitæ sanctimoniam, postmodum autem vitæ sempiternæ felicitatem speratis ineffabilem?

23. *Stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita æterna in Christo JEsu Domino nostro.*

23. Id evenire aliter haudquaquam potest: pro stipendio enim peccati mortem referunt, quicunque sub ejus signis militant, Deus autem ubi suis bellatoribus ac sequacibus gratiam liberaliter contulit, huic tam pretioso stipendio donum insuper addit inæstimabile vitæ ac felicitatis æternæ, per merita JEsu Christi Domini nostri auspicando & perficiendo opus salutis nostræ solâ sua bonitate ac clementiâ ad tollendam nobis omnem materiam & ansam vanæ gloriolæ ac inanis jactantiæ.

PA-

PARAPHRASIS

CAP. VII.

1. POstquam vobis palàm feci, jugum peccati à vobis excussum, nunc animus est vobis ostendere, quòd neque Legis vinculis ampliùs adstricti teneamini. Scitis utique, fratres mei (cum his enim mihi res est, qui Legis habent notitiam) legi neminem esse subditum, nisi quamdiu vivit. 2. Uxor enim marito suo connubii lege subjecta, quoad is vixerit, neque eo derelicto alteri adhærere potest, nisi ream se velit facere adulterii. 3. Quamprimùm autem è vivis decessit, desinit isthæc subjectio, vinculum, quo constricta erat, solutum est, & si alteri viro nubat, argui non potest violatæ fidei conjugalis. 4. Pari ratione, fratres mei, quandoquidem mortui estis legi, ejúsque imperiô exempti, & lex ipsa, cui tanquam viro alligati eratis, respectu vestri mortua est & extincta per mortem Jesu Christi, qui offerendo corpus suum DEo per sanguinem novi testamenti ac fœderis novam

1. *An ignoratis fratres (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit?*

2. *Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri.*

3. *Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.*

4. *Itaque fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mor-*

tuis resurrexit, ut fructificemus DEo.

vam legem instituit, veterémque hominem in vobis destruxit, lex nullum ampliùs in vos jus habet, estísque modò felici unione alteri sponso juncti, & tali quidem sponso, qui à mortuis resurrexit, ut fructus dignos tam sancto divinóque fœdere proferatis.

5. *Cùm enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti.*

5. Quamdiu enim sub hac lege carnis vivebamus, concupiscentia nostra excessivo præceptorum numerô irritata, nec non pœnarum sanè acerbarum comminatione despoticè nobis imperitabat, & excitatis intra nos affectuum tumultuantium gravissimis intemperiis membris nostris pro libitu utebatur ad ea patranda, è quibus non nisi funestissimi fructus mortis redundarent.

6. *Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in quâ detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritûs, & non in vetustate litteræ.*

6. Nunc autem à lege mortis, cujus mancipia eramus, exempti sumus, ut novo spiritu animati & perfracto cortice litteræ, quæ duris Majorum nostrorum ingeniis conveniebat, non ampliùs Deo serviamus intuitu promissionum temporalium, vel ad effugiendam castigationem, sed quia ob infinitam bonitatem suam amore summo est dignissimus.

7. *Quid ergò dicemus? lex peccatum est? absit. sed peccatum non cognovi nisi per legem, nam*

7. Quid autem ex prædictis arguimus? num quòd lex improba sit, & peccatum gignat, vel certè peccato fomitem,

ac

ac veluti patrocinium præstet? Absit: hæc illatio absurda foret, & planè impia. Nam tantum abest, ut lex peccatum gignat aut foveat, ut quàm qui maximè ei repugnet & adversetur, atque hoc est certissimum, sed non minùs indubitatum est, quòd per legem præcisè in peccati notitiam venerim, cùm enim lex præcipiat, quid faciendum sit, prohibeátque contrarium, illud necessariò consequitur, ut peccatum alioquin latens ac velut abditum eruatur in lucem & quodammodo detegatur. Nisi enim lex diceret: non concupisces, nunquam advertissem, quòd servus sim propriæ concupiscentiæ, quòd invitum me quasi ac reluctantem pertrahat ad innumeros excessus, quódque ex me sat virium non habeam ad excutiendam importunam ejus tyrannidem, nunquam perspicuè agnovissem, quænam sit indoles ac vis concupiscentiæ, quódque non solùm opera ejus prava sint, sed vel ipsa desideria, & cogitationes accedente consensu pœnâ sint dignissimæ.

concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces.

8. Hæc concupiscentia, quam peccatum appello (quia pœna est peccati à primis parentibus admissi, & omnium aliorum causa, quæ nos ipsi pa-

8. *Occasione autem acceptâ peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupi-*

ſcentiam, ſine lege enim peccatum mortuum erat.

patramus) per legem prohibentem magìs irritata inde occaſionem arripuit ſuſcitandi in me inordinatos omnis generis motus, ac titillationes voluptatis, cùm ea naturæ ſit perverſitas atque corruptio, ut inhibitio deſiderium excitet reddátque vehementius. Antea peccatum quaſi inanime erat, videlicet præcipua ejus turpitudo in eo ſita, quòd Deo, qui eam lege ſuâ prohibet, injurioſa ſit, atque inviſa ſummopere, nos quodammodo latebat, neque tanto furore mentes noſtras aſſiliebat, utì poſtmodum, ſiquidem cùm nihil de ejus prohibitione conſtaret, absque ullâ interiori repugnantiâ paſſim committebatur.

9. *Ego autem vivebam ſine lege aliquando, ſed cùm veniſſet mandatum, peccatum revixit.*

9. Quando eram ſub lege, vivebam, vel potiùs credebam me vivere, & profundâ pace fruebar, ùtùt ea plena diſcriminis eſſet (in perſonâ propriâ fidenter loquor, quò meliùs intelligas, me autem cùm dico omnes mortales intelligo) profundâ, inquam, pace fruebar, quia nullum inde remorſum conſcientiæ ſentiebam agendo ea, quæ opinione meâ non erant prohibita, quæque adeo conſiderare non poteram & noſſe ùt illicita. Quamprimùm autem lex promulgata fuit,

velum,

velum, ſub quo peccatum latebat, reſciſſum eſt, idque cum omni ſuâ deformitate apparuit, cœpitque quaſi legis adminiculô excitatum reviviſcere, ſuáſque vires exerere. 10. Cúmque antea ſat tranquillam vitam egiſſem, perſentiſcere cœpi tum impotentes animi motus, tum intolerandos remorſus, ac reipſâ mortuum me eſſe deprehendi, legíſque præceptum, quod ad vitam tum largiendam tum conſervandam inſtitutum erat, mihi naturâ vitiato atque labefactato ceſſiſſe in exitium ſui violatione. Concupiſcentia, quæ extincta videbatur vel ſopita, exarſit illicò, & in furias acta intuitu ac conſideratione tot compedum, quos ei injicere parabat lex, in omne flagitiorum genus habenas liberrimè laxavit. 11. Hac ratione peccatum, quod leviora mihi hactenus inflixerat vulnera, nunc lethalia infixit, meáque inobedientiâ ac cœcitate mentis factum eſt, ut eadem remedia, quæ ſanitatem ac vitam afferre debuerant, plus nocumenti mihi attulerint, & tandem exitium creaverint. Mihi ſoli itaque imputare debeo calamitatem meam, non ergò lex ipſa, ſed peſtilens illa pravæ cupiditatis lues arrep-

10. ***Ego autem mortuus ſum, & inventum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem.***

11. ***Nam peccatum occaſione acceptâ per mandatum ſeduxit me, & per illud occidit.***

O

arreptâ, utì paulò antea dicebam, occasione per ipsum præceptum non modò me seduxit, sed & funestam mortem intulit.

12. *Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum & justum & bonum.*

12. Quocirca ne quis me putet legem damnare, aut tanquam peccati ministram accusare, aio, me quidvis potiùs affirmare, nam lex ipsa per se sanctitate plena est, neque alia nisi æquissima & optima præcepta continet.

13. *Quod ergò bonum est, mihi factum est mors? Absit. sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, ut fiat supra modum peccans in peccatum per mandatum.*

13. Quid ergò ex hac veritate deducam? an id fortè quod naturâ suâ bonum est, fuisse propriè causam mortis meæ? Minimè id quidem: imò verò labes illa pravæ cupiditatis illius occasione, quod optimum erat, mortem intentans mihi interitum sempiternum attulit, ut vel inde appareret, quanta & quàm sæva esset illius virulentia, quæ Deo ita permittente remedium in toxicum vertit, & illud pro instrumento suæ dominationis adhibuit, quod institutum erat in ejus destructionem facta in animis hominum quasi scaturigo quædam flagitiorum, eósque impellens ad extrema quæque omnis impudentiæ ac nequitiæ, quò mortales pertingere possunt.

14. *Scimus enim, quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum,*

14. Porrò lex ipsa minimè culpari debet, scimus enim, quòd homines ad exercitationem bonorum

rum operum excitaverit ſpe factâ
remunerationis, à malo dehortata
ſit metu ſupplicii, mediiſque diver-
ſiſſimis uſa fuerit ad eos meliores
reddendos, quare ritè intellecta &
obſervata planè ſpiritualis erat.
Tametſi autem non ampliùs huic le-
gi ſim obnoxius, mea tamen concu-
piſcentia, quam ex ejus attentione
adeo vehementer irritatam dixeram,
nondum penitus extincta eſt. Non
acquieſco abſque aliquâ repugnan-
tiâ legi JEſu Chriſti, quæ ſpiritualis
eſt, quia adhuc carnalis ſum. Ha-
beo etiamnum intra me hanc pravo-
rum deſideriorum ſcaturiginem,
hanc perverſam inclinationem, quæ
totam Adami poſteritatem inficit.
Verbô. ſum adhuc ſervus peccati.
15. Nam quod impellente perturba-
tione & impotenti cupiditate victus
perago, non equidem approbo, &
pro eo, quod deberem bonum, quo
afficior, proſequi, in malum quo-
dammodo rapior, quod ſecundùm
rationem mihi diſplicet. Cuperem
motus concupiſcentiæ minimè per-
ſentiſcere, & adhuc ſentio. 16.
Porrò ſi in me pars inferior appetit,
quod ſuperior & ſanior reſpuit, ſi de-
ſiderans ab omni concupiſcentiâ li-
be-

venundatus ſub peccato.

15. *Quod enim operor, non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio.*

16. *Si autem quod nolo illud facio, conſentio legi, quoniam bona eſt.*

berari, tamen concupiſco, nunquid palam oſtendo, legem illam, quæ me jubet rectæ rationi obtemperare, concupiſcentiæ autem modis omnibus reſiſtere, ſanctam eſſe & juſtiſſimam.

17. *Nunc autem jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.*

17. Itaque ſi rectè & cum ratione de re totâ judicare velimus, deprehendemus profectò, mala, quæ repugnante ratione perpetramus, non à nobis ipſis manare, quâ parte homines ſumus judiciô conſilióque utentes, ſed à naturâ per peccatum vitiatâ atque corrupta, quæ rebellis inſurgit, nóſque invitos quodammodo poſt ſe trahit.

18. *Scio enim, quia non habitat in me, hoc eſt in carne meâ bonum, nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.*

18. Nequaquam ex amore proprio, vel pudore quidquam diſſimulo. Scio perbene in hoc perverſo appetitu, de quo conqueror & ingemiſco, nullam eſſe intelligentiæ ac rationis perſpicuam lucem, nullum vigorem, ſed caliginem, ſed impotentiam, ſed malitiam.

19. *Non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago.*

19. Libenter bonum agerem, quod per lumen gratiæ agnoſco, & cujus deſiderium in me perſentiſco, non poſſum autem eâ perfectione id præſtare, quâ deceret, quámque percuperem. Tametſi enim inordinatis meis appetitionibus non obtemperem, ſentio tamen illas, cúmque illas ſentiam & quidem concu-

tumaces atque rebelles, dum operi manum accingo, longè abesse mihi videor à perfectione, quâ peroptarem actiones meas resplendere. Non operor malum, quia depravatis meis desideriis non consentio, sed neque bonum præsto satis perfectè, quandoquidem necdum liberum me video à turbulentis inclinationibus, motibúsque rationi ac honestati contrariis. 20. Atque ita rectè à me conclusum, si id facio, quod recta ratio non approbat, neque voluntas libero consensu amplectitur, non id à me eâ ratione effici, quâ homo sum mente, atque intelligentiâ præditus, sed ab inolitâ atque ex primævi peccati reliquiis inhærente etiamnum naturæ vitiatæ cupiditate provenire hos motus, quos impedire non valeo. 21. Itaque experior malum mihi adhærere, dum bonum præstare cupio, & nefariam quandam ad illud propensionem tanquam legem ferream me prope constrictum tenere. 22. Sum quasi in medio positus, secundùm mentem & partem superiorem à gratiâ collustratam, omnia divinæ legis præcepta videntur mihi æquissima, suavissima, méque ad eorum observantiam

20. *Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.*

21. *Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet.*

22. *Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem.*

tiam acribus ſtimulis excitari ſentio, ſecundùm partem inferiorem verò ea ipſa mihi apparet nimiùm gravis, moleſta, & prope intolerabilis.

23. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captivantem me in lege peccati quæ eſt in membris meis.*

23. Sentio ſiquidem in hoc ipſo homine exteriori membríſque meis legem aliam oppoſitam ac reluctantem ei legi, quæ mentem ad ſuperiora & cœleſtia evehit, & ſuſtollit, adeóque repugnantem ac renitentem usque eò, ut me pene captivum ac vinctum teneat ſub lege peccati tanquam bellô captum ſub manu victoris ſui, & ad omnem flagitiorum licentiam tanto impetu ac ardore impellat, ut ægrè admodum me à relapſu cohibere poſſim, retinens in meipſo exæſtuantem peccati fomitem, ejúſque tyrannidi vix non omnino ſubjectus.

24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

24. Me miſerum, adeo periculoſis ac prope perpetuis pugnis fatigatum! quis me (quæſo) ab his corporis vinculis eripiet, quibûs quaſi mancipium morti deſtinatum conſtringi me ſentio? quis finem tandem imponet tam vehementi luctæ? quis redimet partem iſthanc, quam concupiſcentia tam infami ſervitute ſubjectam tenet? quis mihi libertatem perfectam plenámque dabit, quam tamdiu jam gemens ſuſpiro?

ro? 25. Nempe immortalis Dei gratia per infinita merita Domini nostri JEsu Christi humano generi concessa. Ab hoc uno exspecto adimpletionem promissæ adoptionis, redemptionem mei corporis, pacem & tranquillitatem animæ & liberationem à depravatis meis cupiditatibus. Illud interea me solatur, quòd mens mea subjecta sit legi divinæ ejus beneficiô, quódque in me vetus tantùm homo & concupiscentia carnis legi peccati obediat non quidem per consensum liberum, sed per inordinatos motus, quos, ne insurgant, præpedire non valeo.

25. Gratia Dei per JEsum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.

PARAPHRASIS
CAP. VIII.

DE gratiâ JEsu Christi mentionem injecerat in fine capitis prioris, nunc ejus præpotentem virtutem hoc capite describit tum contra molestos concupiscentiæ assultus, tum supra legem. 1. Quemadmodum autem ingens discrimen est inter tentationem præcisè, & consensum in eam, non

1. Nihil ergò nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo JEsu,

qui non secundùm carnem ambulant,

non est, quòd ii, qui JEsu Christi sunt, qui in illo & secundùm ejus spiritum vivunt, non autem in carne, & secundùm carnis dictamina, non est, inquam, quòd multùm angantur, tametsi in seipsis sentiant hos concupiscentiæ motus, de quibus tam luculenter disserui.

2. *Lex enim spiritûs vitæ in Christo JEsu liberavit me à lege peccati, & mortis:*

2. Neque enim damnationem ampliùs, aut supplicium quod metuant, habent, quia lex JEsu Christi lex est spiritûs & vitæ, quæ suos sequaces revocat ab oppositâ lege peccati, & mortis, in quâ frequens occurrebat tentatio absque facili remedio eam superandi.

3. *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati & de peccato damnavit peccatum in carne,*

3. Quod enim supra illius vires erat, tum ob ejus infirmitatem, tum quia merè carnalis erat, Deus effectum voluit per Filium suum, quem in mundum misit. Induerat is carnem corruptibilem mortíque obnoxiam, adeóque secundùm externam speciem peccatricem, peccatum tamen, à quo immunis erat, per ipsum peccatum, cujus similitudinem & pœnas in se susceperat, debellavit, & jure æquissimo illud suo imperiô spoliavit, quod per nefas in ipsum attentaverat, non quidem ullam maculam, sed mortem tamen ei inferendo, quasi illam fuisset commeritus.

tus. 4. Et hanc quidem victoriam retulit, ut perficeret in nobis grande illud opus justificationis, nobisque facile & expeditum redderet, quod nobis priùs propè impossibile erat, nempe observantiam legis, nobis, inquam, qui per ejus gratiam non ampliùs ambulamus secundùm carnem, sed secundùm spiritum. 5. Qui enim carni sese penitus conformant, meditantur identidem, & mente agitant, quæ carni blandiuntur, quæ concupiscentiæ arrident, in his toti sunt; qui verò spiritum sectantur, superna tantùm inquirunt, thesauros meritorum sibi pro alterâ vitâ congregant, ac terrestres delicias omnino fastidiunt cœlestium avidi. 6. Fructus ex utravis parte colligendi toto cœlo pariter differunt, hæc enim prudentia sæculi & carnis, quæ vanis spurcisque desideriis perpetuò agitatur, mortem infert suis amatoribus, prudentia verò spiritûs & pia illa sollicitudo acquirendi conservandique cœlestes thesauros, mirâ animum tranquillitate ac lætitiâ recreat. 7. Quibuscunque demum titulis glorietur prudentia carnis, Dei tamen inimicam se palàm profitetur, bellúmque infert modis om-

4. *Ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum.*

5. *Qui enim secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt, qui verò secundùm spiritum sunt, quæ sunt spiritûs, sentiunt.*

6. *Nam prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritûs vita & pax,*

7. *Quoniam sapientia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest,*

omnibus impediens, ne homines in ejus servitio gnavi sint ac fideles, illius legibus submittere se non tantùm respuit, sed neque potest, quamdiu in suâ cœcitate persistit, etenim non major est inter diem noctémque oppositio, quàm inter illius ac divinæ sapientiæ dictamina legésque.

8. *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.*

8. Quô fit, ut qui carnis affectionibûs, sordidísque voluptatibus tenentur impliciti, Deo, cui omnis fœda libido exosa est, placere neutiquam possint.

9. *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis, si quis autem spiritum Christi non habet, non est ejus.*

9. Vos autem non ampliùs estis ex horum improborum numero, sed potiùs inter eos recensendi, qui sese totos spiritui colendo ac perpoliendo animo tradiderunt, si tamen divinus ille spiritus, quem in vestrâ regeneratione spirituali per baptismum accepistis, adhuc in vestris cordibus cum pleno imperio habitat, quemadmodum enim qui hoc spiritu Christi destituitur, nullo modo inter Christi sectatores atque discipulos numerandus est, nec de ejus vitâ quidquam participat, ita is, in quo etiamnum residet ac regnat, totus perinde ac propriè ipsius est, uti surculus arboris, eádemque ut talis vitâ vivit.

10 *Si autem Christus in vobis est, corpus qui-*

10. Porrò si Christus in vobis habitat, sedémque suam fixit, tametsi

metsi corpus vestrum moriendi necessitati obnoxium sit tanquam pœnæ universali peccati, spiritus tamen vester vitâ animatur longè præstantiori, quàm sit vita naturalis, vitâ nimirum justitiæ, quæ tenebras dissipat, maculas ejus abstergit, sensúsque atque affectus illius penitus immutatos atque à terrenis bonis avulsos cœlestibus affigit. 11. Sanè isthæc Dei benevolentia non est exigua, siqúe tantum amorem non æstimatis pro merito, ingratissimi estis mortalium, ac supplició dignissimi. Neque hîc sistet benignissimus Deus utcunque contentus corpus vestrum mortale spiritu vitæ animâsse. Si enim ejus spiritus in vobis residet, quemadmodum JEsum Christum à morte suscitavit, ita & vos suscitabit, ut adeo si hunc divinum spiritum ac thesaurum in cordibus vestris possidetis, gloriari possitis, habere vos semen quoddam immortalitatis. 12. Itaque fratres mei dilectissimi, innumeris ei nominibûs obstricti vivimus, ad ipsius ergò præscriptum vita nobis imposterum instituenda, & non secundùm carnis incitamenta. 13. Nam si carni, ejúsque pravis cupiditatibus obtemperaveritis, futu-

dem mortuum est propter peccatum, spiritus verò vivit propter justificationem.

11. *Quòd si spiritus ejus, qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit JEsum Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum ejus in vobis.*

12. *Ergò fratres debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus,*

13. *Si enim secundùm carnem vixeritis,*

moriemini, ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

futurum profectò eſt, ut geminâ quodammodo morte moriamini, & hac, quæ ſpirituali vitæ adverſatur, & illâ, quæ impios apud inferos manet: ſin autem ſpiritu carnis affectiones ac petulantes motus compreſſeritis, nullam aliam voluptatem captantes, quàm in actionibus ex directione & impulſu divini ſpiritûs procedentibus, planè vivetis & quidem vitâ, quæ oritur à gratiâ, & illâ deinde, quæ hanc conſequitur, cœleſti ac omnino beatâ.

14. *Quicunque enim ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei.*

14. Scitote, eos tantùm, qui ſpiritu Dei ducuntur, & in quorum mentibus agit, ut agant, nomen filiorum Dei promereri, & tales reipſâ eſſe.

15. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.*

15. Spiritus, quo Judæi compellebantur ad ejus obſequium, ſpiritus erat amoris proprii, timoris, & ſervitutis, quem autem vos recepiſtis, ſpiritus eſt amoris, & probè conveniens filiis adoptionis, quales vos eſtis.

16. *Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei.*

16. Hic ſpiritus poteſtatem nobis præbet ac fiduciam, ut cùm affligimur, ad eum clamemus, compellantes eum dulciſſimo Patris nomine. Is ipſe ſpiritui noſtro pro teſtimonio ſervit infallibili, quòd ſimus filii Dei, non modò ex ſecretâ hac & piâ invocatione, ſed etiam ex amoris impulſibus, quos in

in nobis excitat sive in Deum, sive erga proximum, ex firmis propositis inconcussam ei fidem servandi, ex mirâ conscientiæ tranquillitate, quæ sunt argumenta certissima novæ hujus ac divinæ filiationis. 17. Quòd si filii ejus non modò appellamur, sed etiam reipsâ sumus, necesse est profectò, esse nos itidem ad jus hæreditatis vocatos, ut hæredes quidem simus Dei jure adoptionis, cohæredes autem Christi Domini, cui soli secundùm se debetur hæreditas. Quemadmodum autem is ad fastigium gloriæ ascendit per viam crucis, ita pariter, si ejusdem gloriæ ac coronæ participes fieri volumus, necesse omnino est, nos unà cum illo adversa quæque fortiter pati. 18. Neque hæc illatio vos admodum turbet, aut attonitos præter morem habeat, certus sum enim, si mala & incommoda omnia, quibûs hæc vita exercetur, imponantur lanci cum gloriâ nobis in cœlo præparatâ, hanc illis omnibus longissimè præponderaturam. Et adhuc adhærebimus nugis præsentibus, & tam cœci ac insensati erimus, ut exspectare nolimus diem illum fortunatissimum, quo filii Dei ex misero & lugubri statu, qui haud diu

17. Si autem filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut & glorificemur.

18. Existimo enim, quòd non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

diu duraverit, tranſibunt ad longè feliciſſimum atque jucundiſſimum

19. Nam exſpectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exſpectat.

ſine fine perennaturum? 19. Creaturæ quidem corporeæ, cœli nempe & elementa dudum jam, cupidiſſiméque illum præſtolantur, & quaſi exerto capite obſervant.

20. Vanitati enim creatura ſubjecta eſt non volens, ſed propter eum, qui ſubjecit eam in ſpe:

20. Si enim modò mutationibus ſubjacent, unde corruptio ſequitur, ſive id dæmonum malitiâ eveniat, qui illis utuntur ad affligendos mortales, ſive ipſorum hominum vanitate, qui cùm per eas tanquam per ſcalas ad Deum aſcendere deberent, ſeſe ab illo avertunt fœdo earum ad omne

21. Quia & ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.

flagitiorum genus abuſu, 21. ſi, inquam, huic ſervituti modò obnoxiæ ſunt, contra naturæ ſuæ inclinationem eam ſubeunt, & ad obſequendum divinæ ordinationi, quæ ita ſubditas ſperare jubet, & malorum finem, & quando filii ejus ad ſempiternam illam gloriam evehentur, communionem libertatis, & conſecutionem gloriæ, quantùm quidem illius capaces ſunt, nempe novarum perfectionum, ſidera novæ lucis, cœli quietis, & elementa depurationis.

22. Scimus enim quòd omnis creatura ingemiſcit & parturit usque adhuc.

22. Scimus enim hanc rerum creatarum univerſitatem hactenus ſuſpirare & ingemiſcere, & quodammo-

modo parturientium dolores tole-
rare, usquedum diem illum exopta-
tissimum attingant, quo nostram li-
bertatem illarum pariter liberatio
excipiat. 23. Neque illæ solæ hac
impatientiâ cruciantur, nos ipsi, qui
primitias spiritûs, eximia videlicet
illa charismata accepimus, & pri-
mum veluti gustum futuræ felicita-
tis delibavimus, taciti nobiscum sus-
piramus, & ingemiscimus promis-
sam adoptionem præstolantes, id
est, extremam illam corporis nostri
instaurationem, quam suo tempore
futuram certò speramus. 24. Et
sanè non abs re suspiramus. Desi-
derium nostræ felicitatis impressum
est nostris mentibus, urgétque nos
identidem, sed salus nostra tantùm
inchoata est, & spe solùm beati su-
mus, sperare autem felicitatem non
est illam possidere, cùm spes non
possit pro objecto & termino habe-
re, nisi ea, quæ non habemus. Quis
enim, quæso, aut quam ob rem spe-
ret id, quod oculis cernit, aut jam
manibûs contrectat? 25. Spes ist-
hæc non est vana & frivola in no-
bis, cùm enim eâ animati fidenter
exspectemus, quæ modò ab aspectu
nostro remota sunt, hinc placidè in-
terim

23. *Non solùm autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritûs habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei exspectantes redemptionem corporis nostri.*

24. *Spe enim salvi facti sumus, spes autem, quæ videtur, non est spes, nam quod videt quis, quid sperat?*

25. *Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus.*

terim sustinemus adversa quæque, ut quæ nobis promissa sunt, reipsâ denique consequamur. 26. Jure possemus metuere, ne sub pondere tot calamitatum fatiscamus, si vires præcisè nostras attendamus, at verò ille ipse spiritus, cujus primitias degustavimus, quíque nobis eam fiduciam impertit, ut non vereamur Deum parentem appellare, suâ divinâ vi nos omni ex parte pervadet, unà etiam sublevat infirmitates atque imbecillitates nostras, cúmque ignoremus, quid & quâ ratione conveniat à Deo petere, docet nos orare, motúsque in nobis excitat mirificos, quos equidem persentiscimus, verbis tamen explicare haudquaquam possumus. 27. Quamvis autem nesciamus, quid petamus, is qui omnium corda scrutatur Deus, probè novit cogitationes, affectus, ac suspiria, quæ à spiritûs sui afflatu proficiscuntur, eáque omnino approbat tanquam voluntati suæ nostræque sanctificationi maximè consentanea. In illum ergò curam omnem ac sollicitudinem deponite, cúmque ignoretis, quid vobis conveniat, aut expediat, quidquid ei placuerit de vobis disponere, illud quâ par est submissione, lubentes acci-

26. *Similiter autem & spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibûs inenarrabilibus.*

27. *Qui autem scrutatur corda, scit, quid desideret spiritus, quia secundùm Deum postulat pro sanctis.*

accipite. 28. Quæcunque enim eveniant sive secunda, sive adversa, diligentibus Deum in eorum salutem & emolumentum serviunt, quia iis recte utuntur: de illis autem loquor, quos ipse æterno suo consiliô ac voluntate omnino liberâ vocavit, ut essent sancti. 29. Nam quos ab omni retrò æternitate dilexit, ii sunt, quos ita prædestinavit, ut aliquando conformes fierent imagini filii sui, nempe ut eos quoque in filios suos adoptaret, hæredesque institueret ac simili gloriâ coronaret, quâ filium, ut is nimirum primogenitus esset inter multos fratres, quorum honores in eum redundarent veluti rivuli ad suam scaturiginem, radiique ad solem. Nihil perinde firmum, atque hoc decretum voluntatis divinæ respectu illorum, ad quem finem ut pervenirent, hunc in modum rem instituit. 30. Prædestinavit illos, quemadmodum dixi, ut similes fierent unigenito suo, postmodum tempore destinato vocavit eos ad fidem per Evangelii prædicationem, sed gratiâ ita præpotenti, ut ab eâ semel acceptâ non ampliùs deficerent. Deinde justificavit eos per remissionem delictorum, & infusionem gratiæ suæ, quam

28. *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundùm propositum vocati sunt sancti.*

29. *Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.*

30. *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.*

quam denique justificationem subsecuta est ejus gloria, subsecuta, inquam, quia certissimò illam consequentur, dicique cum veritate potest, haberi jam illud, quod Deus promittit.

31. *Quid ergò dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

31. Quid amplius jam ab ipso expetimus? quibûs verbis, quibus obsequiis, quâ gratitudine ac fidelitate tantam benignitatem prosequemur? an forte adversarii nos terrent? sed quid animô dejicimur, vel de salute desperamus? Si Deus à nobis stat, nostrámque ipse salutem admirabili suâ providentiâ atque consiliò procurat; quis (quæso) nobis adversabitur, vel divino patrociniô tutos in discrimen adducet?

32. *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*

32. Si filio suo unigenito non pepercit amore nostri, si ipsum in mortem tradidit, ut vitam nobis redderet, debitáque nostra expungeret, cùm tamen adhuc inimici ejus essemus, quâ ratione tandem gloriam suam nobis denegabit ac media eam consequendi, quæ hac donatione antecedente longè sunt inferiora?

33. *Quis accusabit adversùs electos Dei? Deus qui justificat.*

33. Quis porrò intentabit crimina adversùs eos, quos sibi Deus peculiari quâdam benevolentiâ selegit? Deus quidem certè Optimus Maximus ipse est, qui justificat, tantum abest,

abest, ut accuset, aut criminetur.
34. Quis verò electos condemnabit? Christus profectò quâ ratione homo est, pro hominibus liberandis sponte mortem oppetiit, idemque ab inferis excitatus assidet ad dexteram Patris, ibique optimi Patroni atque Advocati munere suæ necis perenni commemoratione, vulnerúmque acceptorum ostensione nostram apud Deum causam agit. 35. Quæ si vera sunt omnia, atque hoc tam stabili fundamento spes nostra innititur, si Deus tanta facit amore nostri, quis hunc amorem, quo nos tanquam suos electos complectitur, immutare valebit? Quòd si tantis favoribus ex æquo respondemus, quis nos divellere poterit ab eo? an ærumnæ? an angustiæ, & afflictiones mentis? an fames? an probrum nuditatis? an discrimen aliquod non evitabile? an persecutio? an mors ipsa? minimè gentium, hæc omnia nimis exilia & invalida sunt ad inducendam ullam ejus oblivionem. 36. Quin imò mala isthæc, quæ enumeravimus, nobis unicè & ex æquo debentur, nos siquidem Propheta designavit, cùm diceret: propter te mortificamur totâ die, & æstimati su-

34. Quis est, qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

35. Quis ergò nos separabit à charitate Christi? à tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?

36. Sicut scriptum est: quia propter te mortificamur totâ die, æstimati sumus sicut oves occisionis. (a)

(a) Ps. 43.

ſumus, ſicut oves occiſionis, quæ ni-
mirum macello deſtinatæ ſunt. At
verò ad patiendum promptiores ſu-
mus, quàm carnifices ad inferenda

37. *Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.*

nobis ſupplicia. 37. Vincimus illos
non repugnando, & victores evadi-
mus tolerando, quæcunque illis ra-
bies efferata in nos ſuggerit. Ex
hac tamen victoriâ non idcirco glo-
riam nobis arrogemus elati, eam
enim auxilianti Deo debemus, qui
nos prior diligit, qui mentes noſtras
mirificè illuminat, viréſque volunta-
ti ſuppeditat, quas ex ſe habere ne-

38. *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo,*

quit. 38. Hoc præſidio ac patro-
ciniô fretus in quibuscunque ſim an-
guſtiis, quacunque tempeſtate jacter,
à quocunque adverſario impetar, ùt
ùt derelictus ab omnibus videar, ſpe
tamen ac fiduciâ plenus vivo, certó-
que mihi perſuaſum habeo, quòd nec
vita, neque mors, nec principatus,
neque angeli, neque virtutes, ne-
que omnes Orci ſatellites cujuscun-

39. *Neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto JEſu Domino noſtro.*

que ſint gradûs, nec præſentia, nec
futura, nec Principes, 39. nec cœ-
lum, nec terra, nec inferi, neque alti-
tudo ſeu ſpes dignitatum, neque pro-
fundum, ſive metus confuſionis ac
depreſſionis, neque res ulla creata
nos ſeparatura ſit unquam ab illâ cha-
rita-

ritate, quâ nos Deus immortalis intuitu Christi JEsu Domini nostri complectitur, & quòd ex opposito hæc omnia ad salutem nostram servitura sint per amorem ex parte nostrâ reciprocum, nósque tantæ Bonitati arctioribus longè vinculis affixura.

PARAPHRASIS

CAP. IX.

Singulariter hoc & seqq. 2. capitibûs agit contra Judæorum infidelitatem, quæ illos à regno Dei exclusit, cùm gentiles propter fidem suam ad illud sint adsciti. 1. Quando attentâ consideratione, ô Judæi, deprehendo, nullum vos experimentum aut sensum habere istius amoris, quódque alii prærogativis fruantur, quæ ad vos pertinerent, tristitiâ insolitâ depressus vix non deficio, & infixum altè doloris gladium sentio, qui me mirum in modum discruciat. Nolite hunc loquendi modum adulationi imputare: conscientia mea nullius me mendacii redarguit hæc

1. *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientiâ meâ in Spiritu sancto;*

hæc asseverantem: sanctè enim affirmo, verba mea à mente non discrepare, & ad majorem confirmationem interioris hujus sensûs ac doloris JEsum Christum, sanctúmque Spiritum fidenter in testes invoco meorum dictorum.

2. Quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo.

2. Nihil est, quod non agerem, nihil mali, quod non libentissimè perferrem ad eruendos vos de tenebris, & educendos in statum beatitudinis vobis promissæ.

3. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem,

3. Ardenter diligo JEsum Christum Dominum meum, sed in excessu amoris, quem is mihi pro vestrâ salute inspirat, cuperem quasi devotum caput fieri anathema, id est, privari ejus possessione per gloriam, ut ea meis fratribus, id est, iis, qui me quodammodo sanguinis cognatione attingunt, obveniret.

4. Qui sunt Israëlitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa:

4. Et quippe ni sollicitus essem pro salute eorum, qui mei sunt conterranei, qui & ipsi Israëlitæ nuncupantur, quos Deus olim in filios suos elegit inter alias nationes, quos tanta gloriâ decoravit, in quorum gratiam tot prodigia patravit, quibuscum tam arctum fœdus contraxit, quibus legem statuit, qui noverant, quem sibi cultum exhiberi vellet,

5. Quorum patres, & ex quibus est Christus se-

5. quíque inter suos Majores numerare possunt mag-

magnos illos patriarchas, è quibus Christus secundùm humanam naturam originem traxit, cui honor sit & gloria in omnem æternitatem tanquam vero Deo, ac cœli terræque Domino, qui omnia creavit, qui est super omnia, & qui in omnibus operatur. Amen.
6. Quamquam autem magnopere discrucior, cùm præsentem Israëlitarum statum considero, absit, ut exinde arguatis, promissiones iis à Deo factas irritas atque inanes evasisse. Nibil iis certius: & vel nunc adimplentur, quamvis in eorum favorem id accidat, quos concernere non videbantur. Mira est & præter exspectationem hæc ordinis inversio, unde majori indiget declaratione. Non inficias eo, promissa omnia, quibus sacræ paginæ abundant, ad Israëlitas dirigi, sciendum autem non omnes, qui nati sunt in Judæâ & præputiô circumciso gloriantur, esse veros Israëlitas,
7. neque omnes quicunque cognatione sanguinis Abrahamum attingunt, eos illico inter veros ac germanos ipsius filios recensendos esse. Nomen istud propriè convenit filiis Dei, illis nempe, qui nati sunt, veluti olim Isaac per fidem.
8. Abraham genue-

cundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

6. *Non autem quòd exciderit verbum Dei. Non enim omnes, qui ex Israël sunt, ii sunt Israelitæ:*

7. *Neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii: sed in Isaac vocabitur tibi semen:*

8. *Id est, non qui filii*

carnis, hi filii Dei: sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine.

9. *Promissionis enim verbum hoc est: secundùm hoc tempus veniam: & erit Saræ filius.* (a)

10. *Non solùm autem illa; sed & Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri.*

(a) Gen. 18.

nuerat Ismaëlem ætate adhuc vegetâ, & generationi idoneâ, Isaacum autem genuit eo tempore, quo corpus ejus ætate decrepitâ effœtum erat, exsuccum, & quasi inanime, 9. juxta promissionem ei factam: secundùm hoc tempus veniam, & erit Saræ filius. Præter admirabilem hunc partum dictum fuit de illo peculiariter: in Isaac semen tuum vocabitur, id est, qui originem ex Isaac sortientur, proprio ac singulari modô tui erunt posteri. Scire autem vos oportet, hanc temporalem Isaaci respectu Ismaëlis præcellentiam figuram esse illius, quod modò in personâ Judæorum & gentilium impletur, siquidem hi potiùs, quàm illi electi sunt ad portandum nomen filiorum Dei & consequendum effectum factarum promissionum. At verò quispiam replicabit, hoc exemplum fortassis minùs efficaciter probare intentum, & rationi omnino fuisse conveniens, ut Isaac natus ex conjuge præferretur Ismaëli oriundo ex ancillâ. 10. Idcirco aliam vobis figuram propono tam claram & accommodam, ut nil in contrarium moveri possit. Rebecca ex ipso Patre vestro Isaac duos simul filios concepit.

11.

11. Priusquàm autem in lucem ederentur, cùm necdum quidquam boni malíve egissent, Deus (ut 12. decretum, quo unum elegerat, alterum verò reprobaverat secundùm liberum suum beneplacitum, non verò intuitu boni aut mali ab eis præstiti, in suo robore persisteret, & præcisè ad liberam ejus voluntatem referretur) 13. Rebeccæ significavit, majorem natu serviturum minori. Ad confirmationem hujus electionis apud Prophetam Malachiam inquit: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.
14. Cùm hæc igitur ita se habeant, num poterit quisquam Deo Opt. Max. injustitiæ alicujus notam inurere? Apage: cogitare hoc nefas est, cùm auctor sit æquitatis, & omnes viæ ejus justitia & veritas. Facere quidem potest, quæ rationi humanæ admodum habeti repugnare videntur. Non verò quæ justitiæ ejus sunt contraria, ut adeo neutiquam ea damnare conveniat, quæ sunt supra captum nostrum, ut taceam, justitiæ rationem imprudenter exigi, ubi una duntaxat divina liberalitas & misericordia cuncta perficit, id sanè sacræ litteræ non obscurè prædicant, quæ mortalium salutem uni mise-

11. *Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundùm electionem propositum Dei maneret)*

12. *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei,*

13. *Quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (a).

14. *Quid ergò dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit.*

R

(a) Mal. c. 1.

15. *Moysi enim dicit: miserebor, cujus misereor: & misericordiam præstabo, cujus miserebor.* (a)

16. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

17. *Dicit enim Scriptura Pharaoni: quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam: & ut annuntietur nomen meum in universâ terrâ.* (b)

18. *Ergò cujus vult,*

misericordiæ tribuunt. 15. Nam in Exodo constat, oraculum ad Moysen divinitùs missum: Miserebor, cujus misereor, & misericordiam præstabo, cujus miserebor. Cap. 33. cui nimirum liberè voluero. 16. Qui igitur cæteris insuper habitis electi sunt, causam meritúmque suæ electionis refundere nequaquam possunt in sancta sua proposita, aut opera, aut piam voluntatem currendi in viâ mandatorum Domini, aut in ipsum cursum, sed solummodò in miserationem Domini, qui eos elegit, non quòd id promeriti essent, sed quia ipsi placuit eos eligere, qui eos non invenit, sed primùm facit electione suâ dignos. 17. Cæteris, si pereant, non fit injuria, sibi id imputare debent; Scriptura enim, ubi satis fusè descripsit captivitatem filiorum in Ægypto, tyrannnidem Pharaonis, prodigia à Moyse patrata in ejus præsentiâ ad impetrandam dimissionem populi, hæc tremenda verba ex ore Dei pronuntiat, & ad Pharaonem dirigit: in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, & ut annuntietur nomen meum in universâ terrâ. 18. Itaque sic demum concludere licet, Deum

(a) Exod. 33. (b) Exod. 9.

um misericordiam exhibere cui vult, & quem libuerit indurare, non equidem perversitatis aliquid imprimendo voluntati, sed eam præcisè relinquendo in obstinatione, in quam ex justâ vindictâ eam permisit præcipitem cadere. Nonnemo mihi fors objiciet: an æquitati est consentaneum, Deum ita procedere? quare hos vocat? quare illos reprobat absque aliâ ratione, quàm beneplaciti sui? cur postmodum queritur damnari homines, cùm ipse velit, ut pereant, & nemo resistere possit voluntati ejus? 20. O Temerarium caput! quis es, obsecro, ut ausis Deo obloqui, & ab eo exigere rationem ejus, quod agit? Homines in manibus ejus sunt tanquam argilla in manibus figuli. Dicitne argilla figulo, cur mihi hanc formam adaptas? 21. An ei non licet ex eâdem massâ formare aliud quidem vas ad honestos, aliud verò ad sordidos, fœdos, & impuros usus? Quid? non exigitur ratio operis ab opifice, sed integra ei dispositio relinquitur: tu verò eò impudentiæ progrederis, tam impius es, ut discutere velis motiva rationésque operum divinorum? 22. Potésne Deum immortalem

miseretur, & quem vult, indurat.

19. *Dicis itaque mihi: quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis resistit?*

20. *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic?*

21. *An non habet potestatem figulus luti ex eâdem massâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?*

22. *Quòd si Deus vo-*

lens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multâ patientiâ, vasa iræ, apta in interitum,

lem iniquitatis vel impietatis insimulare, aut illi diem dicere, si ad ostendendam justam suam indignationem & potentiam in plectendis reprobis, postquam eorum flagitia multâ cum lenitate & patientiâ pertulit, tandem iis mortem ac supplicia præparata irrogat, quibûs sese dignos reddidêre sceleribûs plenissimâ libertate commissis, sæpiúsque repetitis?

23. *Ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.*

23. Contrà verò, ut ingentes gloriæ suæ divitias patefaciat in vasa misericordiæ, ea ad vitam sempiternam, gloriámque beatorum destinat?

24. *Quos & vocavit nos non solùm ex Judæis, sed etiam ex Gentibus.*

24. Horum porrò de numero electorum Gentiles perinde vult esse ac Judæos, ut palàm ostendat, in hac electione se neque conditionem attendere, neque originem.

25. *Sicut in Osee dicit: vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam.*

25. Juxta testimonium Oseæ cap. 2. populum, qui meus non erat, populum meum vocabo, & eam nationem, quæ dilecta non erat, eximiâ charitate complectar, quæque expers misericordiæ videbatur, singularem quandam misericordiam consequetur.

26. *Et erit: in loco, ubi dictum est eis: non plebs mea vos: ibi vocabuntur filii Dei vivi.*

26. Itemque futurum planè est, ut quo loco populus erat à Deo prorsus alienus, & veræ religionis expers, ibi viventis, atque immortalis Dei plurimi filii ex illo ipso populo numerentur.

27.

27. Idem annuntiat Isaias, quando deplorans calamitatem populi Israëlitici exclamat : si fuerit numerus filiorum Israël tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient, nempe perpauci ex tanto numero, 28. quos Deus ex eis seliget, ut participes reddat suæ justitiæ, adeo ut quis existimare posset, totam ferme stirpem penitus interiisse. Salus interim pauculorum istorum electorum singularis est effectus bonitatis divinæ. 29. Etenim nisi Deo exercituum placuisset reliquias hasce (uti Isaias paulò ante testatur) à tanto naufragio servare, Sodomitis ac Gomorrheis, qui omnes nullo propè excepto perierunt, fuissemus persimiles. 30. Quid igitur ex tot exemplis & prædictionibus deducemus? profectò nil aliud, quàm quod antea demonstrare intendi, videlicet, divinas pollicitationes adimpletas esse in personâ Gentilium quódque ii, qui ejus notitiâ carebant, qui de justitiâ, quâ ei placere possent, ne quidem cogitabant, justitiam invenerint, & receperint, sed justitiam fidei. 31. Ex opposito, qui legem habebant magistram justitiæ, quíque profitebantur se ejus sectatores, veræ justitiæ

27. *Isaias autem clamat pro Israël: si fuerit numerus filiorum Israël tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient.* (a)

28. *Verbum enim consummans & abbrevians in æquitate; quia verbum breviatum faciet Dominus super terram;*

29. *Et sicut prædixit Isaias: nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus.*

30. *Quid ergò dicemus? quòd gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam: justitiam autem, quæ ex fide est.*

31. *Israël verò sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit.*

(a) Isai. 10.

tiæ adipiſcendæ rationem nequaquam inveniſſe. 32. Quam ob cauſam, interrogabit nonnemo? non ob aliam, reſpondeo, niſi quòd ad juſtitiam non tenderent per ſemitam fidei, quâ ſolâ viâ eò perveniтur, ſed per opera fidei, in quibus omnem ſuam fiduciam collocabant, cùm eam fundare debuiſſent in Chriſto JEſu. Neque ſatis ipſis erat, in eo non ſperâſſe: in lapidem etiam offenſionis & ſcandali verterunt hanc petram, ſupra quam ſuæ ſalutis ſyſtema conſtruere debuiſſent. Ad hunc porrò lapidem Chriſtum Dominum alliſi contriti ſunt. 33. Is ipſe Iſaias dilucidè, illud his verbis prædixerat: ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali, & omnis qui credit in eum, non confundetur, nempe quaſi ſpe ſuâ deluſus ac fruſtratus,

32. *Quare? Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offenſionis.*

33. *Sicut ſcriptum eſt: ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali: & omnis, qui credit in eum, non confundetur.* (*a*)

(*a*) Iſai. 8. & 28.



Pa-

PARAPHRASIS

CAP. X.

1. FRatres, nolite existimare, exprobrationes, quas Judæis facio, ex malevolentiâ vel odio provenire. Cor meum tenerrimo in eos affectu propendet, & Deum assiduè pro eorum salute obsecro. 2. Imò in eorum laudem & gratiam libens attestor, eos habere zelum pro gloriâ Dei, sed splendidè decipiuntur, quòd nesciant, quâ ratione illam promovere possint ac debeant. 3. Dum enim propriam justitiam pro fundamento ponere allaborant, eámque intra se ipsos requirunt, id est, dum fiduciam suam in propriis actionibus collocant, ignorant justitiam Deo acceptabilem, eámque minimè possident, quia semitam non tenent, quâ eò pervenitur, nempe semitam fidei. 4. Si legem probè intelligerent, quam identidem jactant, & ore versant, scirent utique Christum JEsum non tantùm finem illius esse, quippe ad quem figuræ omnes diriguntur, & universa lex Moysis refertur, sed etiam

1. *Fratres, voluntas quidem cordis mei, & obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem.*

2. *Testimonium enim perhibeo illis, quòd æmulationem Dei habent, sed non secundùm scientiam.*

3. *Ignorantes enim justitiam Dei, & suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.*

4. *Finis enim legis, Christus, ad justitiam omni credenti.*

etiam complementum ac perfectionem, quandoquidem justificando eos, qui in ipsum credunt, compendiô facit, quod illa tantâ præceptorum ac rituum farragine præstare non poterat.

5. *Moyses enim scripsit, quoniam justitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in eâ.*

5. Moyses certè cùm Levit. 18. de hac lege disserens pronuntiat, quicunque ea præstiterit, quæ lege præcipiuntur, vitam habiturum in eâ, intelligendus est de perfectâ observantiâ, déque vitâ longè præstantiori, quàm sit naturalis, nempe de vitâ justitiæ.

6. *Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit: ne dixeris in corde tuo: quis ascendet in cœlum? id est, Christum deducere:* (a)

6. At verò jam sæpiùs ostendimus, neminem posse legem perfectè servare ex viribus ac virtute solius legis: recurrendum ergò est ad fidem, quæ nobis hanc justitiam procurat obtinendo à Deo gratiam necessariam ad implendam legem, veniámque sperando, si fors illam transgrediamur. Semita, quæ ad hanc justitiam fidei ducit, expedita est, neque quærentes illam tot ritibûs, inhibitionibus ac mandatis onerat. O quisquis ad ejus consecutionem invitaris, ne dixeris intra teipsum: quis ascendet in cœlum? quasi diceres: quis ex alto Christum deducet ad afferendam nobis justitiam?

7. *Aut quis descendet in abyssum? hoc*

7. Ne dixeris: quis intrabit abyssos? eo nem-

(a) Deut. 30.

nempe consilio, ut Christum ab inferis revocet? Ne talibus, inquam, cogitationibûs mentem fatiges, quod enim tibi videtur factu impossibile, jam factum est. 8. Credere id debes, cùm tibi annuntiatur, omissâ allegatione impossibilitatum, quas tibi fingis atque hoc verbum prono assensù recipere, quod (utì Scriptura de Veteri lege dicit) resonat in auribus tuis, & prope est in ore tuo ac corde. Hoc verbum adeò facile est ipsum Evangelium, quod prædicamus. 9. Si ergò illud recipis, síque ore confiteris nomen Domini nostri JEsu Christi, si ex corde credis, id est, perfectâ firmáque fide, eum ab inferis fuisse excitatum, hac fide tanquam salutis initio ac radice fore te salvum confidito. 10. Linguam à vobis postulo & cor, quia per fidem consequimur justitiam, confessione autem meremur salutem, quam Deus iis promittit, qui non erubescunt illum coram hominibus confiteri.

11. Divinarum námque litterarum oraculis certi reddimur, neminem, qui in eum crediderit, ullo unquam tempore confundendum aut decipiendum, 12. cumque Græcus perinde

est, Christum à mortuis revocare.

8. *Sed quid dicit Scriptura? prope est verbum in ore tuo: & in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus.*

9. *Quia si confitearis in ore tuo Dominum JEsum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris.*

10. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (a).

11. *Dicit enim Scriptura: omnis, qui credit in illum, non confundetur.*

12. *Non enim est distin-*

(a) Isai. 28.

ctio Judæi & Græci, nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum.

13. *Omnis enim, quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* (a)

14. *Quomodo ergò invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?*

15. *Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est: quàm speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.* (b)

(a) Joel. 2. (b) Isa. 52.

inde ac Judæus hujus fidei capax sit, promissa merces utrumque æquali modô respicit. Itaque mirum videri non debet, si nulla inter eos detur aut fiat distinctio, quando idem est omnium Dominus, qui affluenter ac liberaliter cœlestes suas opes effundit in quosvis homines, qui suum nomen ac Numen ritè, religioséque implorant. 13. Sic enim scriptum accepimus, quicunque nomen Domini invocaverit, sive is Gentilis sit, sive Judæus, fore salvum, quocirca mirari nemo jure potest, quòd ego Gentibus Evangelium promulgem, cum ipsæ etiam ad eorum numerum pertineant, qui ad invocandum nomen Domini invitantur. 14. Quomodo autem Gentes invocabunt eum in quem non crediderunt? quomodo credent in eum, si nunquam de eo loquentes audiant? quomodo autem audient de eo loquentes, si nulli sint prædicatores, qui eum annuntient? 15. Quomodo verò annuntiabunt eum, nisi mittantur auctoritate legitimâ? Divinitùs autem hoc Evangelicæ prædicationis munus demandatum est mihi, ut jure illud usurpare queam, quod scriptum est apud Isaiam; quàm speciosi pedes Evan-

Evangelizantium pacem, evangelizantium bona? nunquid enim non evangelizamus pacem hominum cum Deo? nunquid non annuntiamus bona, quando annuntiamus remissionem peccatorum, infusionem divinæ gratiæ, vitæ sanctimoniam, conscientiæ tranquillitatem, & remunerationem sempiternam? 16. Sed objiciet fortasse nonnemo ex ipso Judæorum populo, cui potissimùm Christus à Patre destinatus erat: si à Deo missi estis, cur non omnes obediunt Evangelio? imò cur paucissimi? Equidem non nego, hinc verò tantum abest, ut vel hoc maximè argumentô constet, eum esse Messiam in lege promissum, quippe de quo multò ante vaticinati sunt Prophetæ, fore illum etiam inter suos penè ignotum. Isaias enim cùm de Christo sermonem haberet: Domine, inquit, quis nostris sermonibus fidem habuit? quod perinde est, ac si diceret: pauci admodum crediderunt verbis, quæ ex ore tuo audientes excepimus. 17. Sive tamen pauci, sive multi crediderint, profectò ad amplectendam fidem JEsu Christi necesse est, quod antedixi, audire priùs de eâ loquentes, & confe-

16. *Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit: Domine quis credidit auditui nostro?* (a)

17. *Ergò fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.*

(a) Isa. 53.

18. *Sed dico: numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum* (a).

19. *Sed dico: numquid Israël non cognovit? Primus Moyses dicit: ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem insipientem, in iram vos mittam* (b).

20. *Isaias autem audet & dicit: inventus sum à non quærentibus me, palam apparui iis, qui me non interrogabant.* (c)

21. *Ad Israël autem dicit: tota die expandi*

sequenter ut quis eam annuntiet auctoritate & imperiô Dei. 18. Jam verò vos interrogo: quis est, qui non audierit hujus fidei promulgationem publicam? quandoquidem in omnem terram apostolicæ prædicationis fama pervasit, & ad extremos orbis terræ fines Apostolorum verba penetrârunt. 19. Iterum vos & pressiùs interrogo, viri Israëlitæ: edicite, obsecro, an non & vobis annuntiata est fides Christi ùt omnino necessaria ad salutem quibuscunque demum mortalibus? Moyses ante omnes ad litteram loquitur de vestris Majoribus, & spiritu prophetico de vobis ipsis in hodiernum diem incredulis: ego vos æmulatione accendam contra gentem, quam ne quidem nomine gentis dignam æstimabatis: ego vos ad iracundiam provocabo contra gentem intelligentiæ expertem. 20. Isaias autem liberiùs adhuc loquitur hæc pronuntians nomine Dei: inventus sum ab iis, qui me non quærebant, palàm iis me conspiciendum præbui, qui de me ne interrogabant quidem. 21. Adversùs hunc modum procedendi non est, quod mussitet ac conqueratur Israël, ejus enim perditio aliunde

(a) Ps. 18. (b) Deut. 32. (c) Is. 65.

de non provenit, quàm propriâ ejus culpâ, in cujus rei comprobationem expendite, obſecro, quid per eundem Prophetam Deus loquatur de favoribus in eum congeſtis, & palmari ejus ingratitudine: totâ die expandi manus meas ad populum non credentem, immorigerum, & imperiis meis obluctantem. Hiſce profectò verbis innuere vult, quòd extenderit ad eum manus ſuas, ut ipſum ex amore complexu ſtringeret, quòd extrema quæque fecerit, quò eum ſibi devinciret, is autem nullum reciprocæ gratitudinis ſignum dederit, neque ei fidem habere, aut obtemperare ullâ ratione voluerit ſurdus ad omnia, & obſtinatus,

manus meas ad populum non credentem, & contradicentem (a).

PARAPHRASIS

CAP. XI.

Conſolatur Apoſtolus Judæos prædicendo eorum converſionem ſaltem in fine mundi.

1. At verò ſi hæc ita ſe habent, actum ergò eſt de integrâ Judæorum

1. *Dico ergò: numquid Deus repulit popu-*

(a) Iſai. 65.

lum suum? Absit. Nam & ego Israëlita sum ex semine Abraham de tribu Benjamin.

rum natione, cui Deus tamen Optimus Maximus tam eximia promissa dedit, tot favores exhibuit, ergò illam penitus à se rejecit, ut ne unus quidem ad salutem sempiternam capessendam admittatur. Absit, ut talem sequelam ex discursu præmisso quisquam inferat, nam & ego Israëlita sum, non proselytus, sed ex semine Abrahæ, & tribu Benjamin progenitus, & tamen veritas illuxit mihi.

2. *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit. An nescitis in Eliâ, quid dicit Scriptura: quemadmodum interpellat Deum adversum Israel?*

2. Neutiquam ergò Deus populum suum penitus abjecit, quem olim ùt suum ardenter dilexit, & favoribûs innumeris cumulavit. Exemplum unius tantùm hominis, reponetis mihi, non sufficit ad eximendam nobis omnem sollicitudinem. Jure itaque exspectatis à me majorem auctoritatem, cui contradicere non valeatis. Et en: produco vobis è sacris, Eliam ingenti divinæ gloriæ zelô correptum, qui hunc ferme in modum contra filios Israël amarè conqueritur, quòd à vero Numine recesserint ad adoranda Deorum simulacra.

3. *Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt: & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam.*

3. Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua everterunt, & ego verò relictus sum solus ex omnibus tuis cultoribus, & impii tamen ac nefarii homines

mines vitæ meæ insidiantur quotidie.
4. Audite nunc etiam divini oraculi responsum: perfeci, inquit, ut superstites sint septem virorum millia, qui veram religionem fidémque retinentes idolo Baal genua non flexerunt.
5. Idem hodiedum accidit. Videtur tota gens mea in tenebris infidelitatis sepulta, neque spes superesse, eam aliquando inde eruendam, interea certum est, complures gratuitâ Dei electione ac bonitate ab hoc exitio præservatos & fidem Christi ac religionem complexos, cæteris Evangelio reluctantibûs. 6. Dixi, gratuitâ Dei electione, ne sibi perperàm imaginentur, operibûs suis ac propriis meritis se aliquatenus hanc electionem consecutos. Et sanè qui dicit gratiam, excludit omne meritum: gratia enim desinit esse gratia, si datur in mercedem vel stipendium alicujus actionis. 7. Qui autem contigit, quòd non omnes filii Israël, qui gratiam quærebant, eam invenerint, sed solummodò illi, quos Deus elegerat, quòd aliqui lumen veritatis agnoverint clarè, alii densissimis tenebris oppressos habuerint oculos, & mente in errore obstinatissimâ occalluerint? 8. Prædictum id

4. Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal (a)

5. Sic ergò & in hoc tempore reliquiæ secundùm electionem gratiæ salvæ factæ sunt.

6. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.

7. Quid ergò? quod quærebat Israël, hoc non est consecutus: electio autem consecuta est: cæteri verò excæcati sunt.

8. Sicut scriptum est:

(a) 3. Reg. 19.

dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos, ut non videant, & aures ut non audiant, usque in hodiernum diem (*a*).

id ante fuerat illis Isaiæ verbis: dedit illis Deus spiritum compunctionis, seu expertem omnis sensûs, oculos, ut non videant, aures, ut non audiant usque in hodiernum diem, id est, permisit Deus, ut in pœnam suæ infidelitatis surdi essent ad ejus vocem, & cœci ad ejus lumen, utque omni sensu destituerentur, quasi profundo quodam lethargo correpti.

9. *Et David dicit: fiat mensa eorum in laqueum & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis* (*b*).

10. *Obscurentur oculi eorum, ne videant: & dorsum eorum semper incurva* (*c*).

9. In eundem sensum Propheta regius imprecatur illis: fiat ipsis mensa eorum pro laqueo, & tendiculâ, & offendiculo, & talione: 10. obtenebrentur oculi eorum, ut nihil penitùs cernant, & terga eorum semper incurva, id est, pabulum spirituale, quod eis offeretur, pro eo, ut illos reficiat atque nutriat, nauseam potiùs moveat, & in venenum cedat. Lux excœcandi potiùs quàm illuminandi vim habeat, oculos humi defixos semper teneant, neque alia mente agitent, vel corde appetant, nisi terræ quisquilias ac sordes, ac denique flagitiorum suorum pondere pressi fatiscant.

11. *Dico ergò: numquid sic offenderunt, ut caderent? Absit. Sed illorum delicto, salus est gentibus, ut illos æmulentur.*

11. Sed, inquies, adeóne miseri impegerunt, ut cadentes à lapsu resurgere nequeant? Nequaquam. Calamitas, & ruina illorum non excludit omne remedium. Quin imò

(*a*) Isai cap. 29. (*b*) Psl. 68. (*c*) ibid.

imò contigit illa ſapienti omnino ordinatione divinæ providentiæ, & ſanè effectus eſt clementiæ ejus infinitæ. Cùm enim Gentes amplectantur gratiam Evangelii & ſalutem æternam conſequantur ipſis excluſis, hæc illarum prærogativa pro acri ſtimulo ſervit excitandi in iis ſanctam quandam æmulationem eam ipſam fidem recipiendi, quam modò deſpiciunt, ut participes ſe reddant benedictionum illis olim promiſſarum, quæ eo ſolùm ex capite in alios translatæ ſunt, quòd ipſi eas reſpuerint. 12. Jam verò ſi incredulitas eorum anſam Deo dedit vocandi Gentes, & divitias gratiæ ſuæ ſuper eos effundendi, ſi depreſſio domeſticorum, & puſillus numerus fidelium, ad quem reducti ſunt, ſervit ad attollendos exteros, eóſque tanto numerô in Eccleſiam inducendos, quando econtrà proſperâ viciſſitudine ingens multitudo eorundem Iſraëlitarum eam ſalutis doctrinam denique amplectetur, quam nunc quidem audire nolunt. Admiranda iſthæc mutatio nunquid præpotens medium erit ad redigendas ſub jugum fidei reliquias ipſorum infidelium, qui necdum veritati manus de-

12. *Quòd ſi delictum illorum divitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum divitiæ Gentium: quantò magis plenitudo eorum?*

13. *Vobis enim dico Gentibus: quamdiu quidem ego ſum Gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo.*

14. *Si quomodo ad æmulandum provocem carnem meam, & ſalvos faciam aliquos ex illis.*

15. *Si enim amiſſio eorum, reconciliatio eſt mundi: quæ aſſumptio, niſi vita ex mortuis?*

derint? 13. Sum quidem Gentium Apoſtolus, fratres mei dilectiſſimi, quicunque Romæ degitis, & miniſterii mei partibus neutiquam deero, ſed quâ potero fide ac ſedulitate illud adminiſtrabo, quam tanti muneris mihi impoſiti dignitas requirit, fateor tamen, gentis meæ obliviſci me haudquaquam poſſe: 14. ejus ſalutem ſemper præ oculis habeo, & ſi tanto ardore feror ad ingenerandam vobis veritatis notitiam, ſi vos laudibûs extollo ob fidem receptam, id ago, tum ut eos ſtudiô vos æmulandi accendam, & aliquos ex eis in rectam ſalutis ſemitam reducam, tum ut veſtrum bonum, & profectum in ſpiritu promoveam, ut vos excitem ad perſiſtendum in firmitate fidei, ut honorem demum vobis jure debitum reddam. 15. Si enim Deo eos repudiante, ac derelinquente hæc reprobatio, utì jam memini, occaſionem præbuit reconciliandi Gentes cum eo, quando poſtmodum eos dignabitur & Judæos in gratiam recipere, nunquid & eorum cum ipſo reconciliatio felicior erit & uberior ſcaturigo vitæ ſpiritualis pro gentilibus, qui ſub illud tempus adhuc in tenebris idololatriæ jacebunt,

at-

atque adeo communicatô & his gaudio ac fidei bono mundus universus quodammodo reviviscet? 16. Neque verò existimare quisquam debet, generis aut sanguinis vitiô fuisse Judæos ab immortali Deo rejectos, nam quemadmodum panes primitiarum ritè oblati reliquis frugibus quamdam veluti sanctimoniam impertiunt, ita, cùm eorum parentes, Patriarchæ nimirum atque Prophetæ quasi primitiæ quædam sancti fuerint, idem de totâ reliquâ massâ existimandum erit, & si illi veluti radix sanctitatem retinuerunt, cùm necesse sit ramos naturam induere ac sequi suæ radicis, profectò successoribus tanquam quibusdam ramis eandem sanctitatem quasi succum vitámque transmiserint. 17. Quòd si surculi nonnulli hujus arboris fracti sunt, aut excisi, vos, qui oleastri tantummodo eratis, Dei clementiâ insiti estis pro ipsis trunco fidei horum Patriarcharum ac Prophetarum, ex quo si succum & pinguedinem olivæ attraxistis, id est, si ad notitiam veri Numinis pervenistis, & effectum promissionum illius consecuti estis, 18. nolite idcirco gloriari, & ramos genuinos despicere. Si enim inanem

16. *Quòd si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami.*

17. *Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cùm oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis, & pinguedinis olivæ factus es.*

18. *Noli gloriari adversus ramos. Quòd si glo-*

riaris: non tu radicem portas, ſe radix te.

nem gloriam exinde imprudenter captatis, illicò redarguemini, non enim vos radicem ſuſtinetis, ſed radix potiùs vos ſuſtentat, hæc porrò radix eſt gens Judaica, quemadmodum ergò ſurculi folia ſua ac fructus trunco ſuo aut radici debent, ita prærogativas veſtras univerſas progenitoribus hujus populi debetis, quos tamen pro dignitate nimis parùm æſtimatis.

19. *Dices ergò: fracti ſunt rami, ut ego inſerar.*

20. *Bene: propter incredulitatem fracti ſunt. Tu autem fide ſtas: noli altùm ſapere, ſed time.*

19. Nonnemo fors reponet: fracti ſunt rami, ut eorum locô inſerar, jure ergò gloriari poſſum reſpectu illorum. 20. Eſto, fracti & avulſi ſint propriæ infidelitatis vitiô, te autem fide ſtare, dum illi proſtrati & neglecti jacent. Noli propterea æſtimatione propriâ nimiùm extolli, noli te magnificentiùs circumſpicere, ſed potiùs metue, ne ipſe quoque fortè abſcindaris, & favore excidas unde intumeſcis: ſingulari potiùs ſollicitudine, tuíque deſpicientiâ fidem ſerva, quæ te mirabili mutatione tam beatum reddidit.

21. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne fortè nec tibi parcat.*

22. *Vide ergò bonitatem & ſeveritatem*

21. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, credíſne cum ſylveſtribus acturum mitiùs? 22. Conſidera ergò attentè quà benignitatem, quà ſeveritatem, hanc quidem in punitione eorum, qui in malum

lum præcipites ruerunt, illam verò in electione tui gratuitâ. Ut autem eam conserves, exhibere vicissim debes profundam animi demissionem, vitam ab omni labe puram ducere, & persistere in fide fortiter, aliàs ex hac arbore, in quam insitione coaluisti, excidèris perinde, ac Judæi.
23. Imò verò illi ipsi, qui jam veluti rami à trunco revulsi videntur, nisi in suâ infidelitate & obstinatione permanserint, denuo nativo trunco inserentur, cùm eadem utique potestas Deo competat eos alterâ vice inserendi, quam habuit ad illos resecandos.
24. Quiscunque demum sis, ô pagane, hoc tibi neque mirum, neque difficile videri debet. Ut enim maneamus in eâdem similitudine, quam usurpavimus, si tu ex oleastro avulsus, postquam præter naturam, in veram ac germanam oleam es insitus, succum inde vitámque ducis, ac germinas, quamvis ea non sit prima ac naturalis tua parens, longè magis Judæi, qui sunt naturales & primigenii rami oleæ, germinabunt, si ei denuò inserantur.
25. Nolim enim celare vos fratres, grande aliquod magníque momenti arcanum, quod vobis jam insinuavi, & aper-

Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excidêris.

23. *Sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur: potens est enim Deus iterum inserere illos.*

24. *Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam olivam: quantò magis ii, qui secundùm naturam, inserentur suæ olivæ?*

25. *Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc: (ut non sitis vobis ipsis sapientes) quia*

cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo Gentium intraret.

26. Et sic omnis Israël salvus fieret, sicut scriptum est: veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem à Jacob (a).

27. Et hoc illis à me testamentum: cùm abstulero peccata eorum.

28. Secundùm Evangelium quidem, inimici propter vos: secundùm electionem autem, charissimi propter patres.

29. Sine pœnitentiâ

apertiùs modò declarare constitui. Obstinatio, & excœcatio mentis, quâ laborat pars aliqua filiorum Israël, neque omnibus in universum communis est, & durabit solummodò, usque dum Gentes omnes ovile Ecclesiæ ingressæ fuerint. 26. Tunc enim omnis Israëlitarum natio, quæ videbatur hactenus ex omni parte quasi derelicta, Christianis sacris perceptis revocabitur ad Ecclesiæ gremium secundùm prædictionem Isaiæ: veniet ex Sion ille dudum exspectatus liberator, & impietates Jacob abolebit, 27. atque hæc universalis abolitio pactum est, quod cum illis ineo. 28. Diffiteri quidem non possum, plures ex hoc populo Evangelio reluctantes, ejúsque præconibus infensos ob vestram ipsorum salutem, vel ejus certè occasione inimicos Dei factos esse, reliquos tamen, quod attinet, quos ab æterno delegit, indubitatum est, propter sanctimoniam suorum Patriarcharum ac Prophetarum, quibus tot oracula & promissa sunt edita, eos illi perquàm acceptos esse; Deus enim qui falli non potest, non est mutabilis in suis decretis: electio ipsius est immobilis: 29. ejus pro-

(a) Isai. 59.

promissio idem est ac ipsa præstatio, & promissi pœnitentia in eo locum non habet. 30. Quemadmodum enim vos ipsi aliquando nullam in ipsum fidem habuistis, nunc autem istorum contumaciâ atque alienatione effectus bonitatis illius persentiscitis. 31. Pari ratione Judæi modò in animum inducere non possunt, quòd ejus benignitas se ad vos extendere valeat, atque hoc fit provido optimi Dei consiliô, ut vestro exemplô ad parem fidelitatem excitati eandem misericordiam consequantur, quæ vobis fuit exhibita. 32. Sanè non abs re Deus permisit, ut omnes mortales infidelitatis caligine involverentur: dum enim in hoc misero statu etiamnum vocantur, ejus clementia magis magisque inclarescit, nec est, qui asseverare possit, se illâ non indigere. 33. O abyssus misericordiæ, sapientiæ, & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus! quàm impenetrabiles sunt consiliorum divinorum rationes! 34. Quis enim, (quæso) cognovit abditos divinæ mentis recessus? aut quis ei fuit à consiliis? 35. quis ei quidquam prior contulit, unde meritò remunerationem exspectet? 36.

enim sunt dona & vocatio Dei.

30. *Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum:*

31. *Ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam: ut & ipsi misericordiam consequantur.*

32. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate: ut omnium misereatur.*

33. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!*

34. *Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?*

35. *Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?*

36. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula. Amen.*

36. Omnia enim ab ipso tanquam Auctore proveniunt, per ipsum tanquam conservatorem & custodem existunt, & ad ipsum ùt extremum finem referuntur, quippe qui nihil facere possit nisi ad propriam suam gloriam. Ipsi ergò honor sit & gloria in sæcula. Amen.

PARAPHRASIS

CAP. XII.

1. *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam DEi, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.*

1. POstquam vos edocui, quid intellectu credere vos oporteat, superest, ut vos etiam instruam, quid voluntate amplecti & exercere debeatis. Obtestor ergò vos per innumera gratiarum dona, quæ accepistis ab optimo Deo, ut ipsi immoletis corpora vestra tanquam hostias viventes, sanctas, & immaculatas. Olim sacrificia & victimas carnium accepit, nunc autem adorari vult in spiritu: hic solus est cultus rationi conformis, quem illi potestis reddere, & cor vestrum holocaustum est ei debitum.

2. *Et nolite conformari huic sæculo, sed reforma-*

2. Quandoquidem non ampliùs estis de hoc sæculo, noli-

te

te ſequi ejus dictamina, neque ei aſſimilari. Quæ in eo ſublimia ac magnifica, ne æſtimetis, quæ blanda & ſpecioſa, ne diligatis. Novum hominem induti nova concipite deſideria, nova principia. Animati novo ſpiritu inquirite diligenter, quas actiones ſanctas, perfectas, ſibique gratas Deus à vobis exigat.
3. Aſſumpſit me in Apoſtolum, ut ſalutaria vobis monita darem, neque ante omnia pro fundamento quid ſalubrius ſolidiúsq; ſuadere poſſum, quàm animi demiſſionem. Omnes vos itaque etiam atque etiam hortor, ne ſinatis vos nimiâ veſtræ capacitatis ac prudentiæ æſtimatione faſcinari: ne deſideretis plus & aliter ſapere, quàm oportet, ſed eſtote humiles atque modeſti in quocunque gradu veſtræ ſcientiæ, non ſcrutantes myſteria fidei ambitioſâ quadam curioſitate, ſed contenti notitiâ vobis à Deo conceſſâ, quando fidem recepiſtis, quæ eſt principium ac fundamentum omnium ejus gratiarum. 4. Quemadmodum corpus naturale pluribus membris conſtat, quæ ſibi mutua obſequia præſtant abſque omni invidiâ, quòd non eodem officio fungantur. 5. Ita corpus my-

mini in novitate ſenſûs veſtri: ut probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta.

3. Dico enim per gratiam, quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos: non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem: & unicuique, ſicut Deus diviſit menſuram fidei.

4. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent:

5. Ita multi unum cor-

pus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.

mysticum JesuChristi, quod est Ecclesia, complectitur plures fideles, qui diversos influxus à suo Capite recipiunt, & tametsi aliqui aliis sint inferiores, mutuam tamen sibi opem operámque præstant tanquam membra ejusdem corporis.

6. *Habentes autem donationes secundùm gratiam, quæ data est nobis, differentes: sive prophetiam secundùm rationem fidei.*

6. Si quis igitur donum prophetiæ sortitus est vel futura vaticinando, vel obscuriora sacrarum litterarum loca interpretando, utatur sanè illo in nomine Domini, attendat tamen, ne quid principiis fidei, cui sermones ejus consonare debent, oppositum proferat.

7. *Sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrinâ,*

7. Si quis ad ecclesiasticum ministerium promotus est, fungatur illo, ardenti zelô sollicitus, ut aliis serviat potiùs, quàm dominetur. Si vocatus est speciali gratiâ ad munus docendi, doctrinam tradat incorruptam & ex omni parte sanctam.

8. *Qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate.*

8. Si donum accepit consolandi afflictos, utatur illo, cùm necesse, aut opportunum fuerit, si eleemosynas publicas ac communes distribuendas accepit, fideliter ac discretè id præstet consideratis præcisè necessitatibûs indigentium absque acceptione personarum. Si provincia cui imposita est aliis invigilandi, eósque dirigendi, ne ex hac promotione effe-

efferatur inani gloriâ, sed potiùs omni cum sollicitudine ac industriâ subditos regat. Si constitutus est ad invisendos ægros, soletur illos animô vultúque hilari, modísque omnibûs juvet. 9. Atque hæc quidem ad singulos, cæterùm ut jam alloquar universos, esto primùm inter vos mutua charitas & benevolentia minimè ficta aut fucata. Deinde peccatum cane pejus & angue fugite, virtutem verò ita diligite ac colite, ut mens vestra videatur ei quodammodo agglutinata. 10. Mutuo vos amore, eóque ardenti ac fraterno stringite, certate invicem non in exigendis honoribus, sed ut quivis in iis exhibendis proximum suum præveniat. 11. Thesauros vobis copiosorum meritorum in cœlis congregate indefessâ industriâ: attendite vobis ipsis, & quotidie de virtute in virtutem progressum facere studete. Ardore divini spiritûs plena sint in vobis omnia. Deum non tantùm ùt Dominum vestrum agnoscite, sed etiam ùt talem reverenter & obsequiosè colite. 12. Quacunque calamitate non obstante spem bonorum vobis cœlitùs promissorum tanquam anchoram tenete firmiter, eorúmque re-

9. Dilectio sine simulatione. Odientes malum adhærentes bono:

10. Charitate fraternitatis invicem diligentes: honore invicem prævenientes:

11. Solicitudine non pigri: spiritu ferventes: Domino servientes:

12. Spe gaudentes: in tribulatione patientes: orationi instantes:

recordatione gaudete & consolamini: si adversa premant, patientiam exhibete absque omni murmure & replicâ: orationi estote addictissimi.

13. *Necessitatibus sanctorum communicantes: hospitalitatem sectantes.*

13. De temporalibus commodis providete sanctis, nempe pauperibus inter fideles: exteros hospitiô frequentes excipite, & omni charitate fovete.

14. *Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere.*

14. Bene precamini persequentibus vos, orate pro illis, ne maledictionem pro maledictione reddatis: charitas vestra in omnes formas se induat.

15. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus:*

15. Gaudete cum gaudentibus, modò eorum lætitia sit sancta, & honestati non repugnans: flete cum flentibus.

16. *Id ipsum invicem sentientes: non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.*

16. Mens una, cor unum, lingua una eadémque sit omnibus. Nolite supra alios extolli nimiâ vestræ sagacitatis æstimatione, & vanâ contemplatione rerum captum vestrum transcendentium, sed in omni opere exemplum potiùs sequimini eorum, qui humilitate ac modestiâ præcellunt, neque refugite conversationem cum personis conditionis postremæ. Sapientiæ famam vobis ne arrogetis, neque de scientiâ vestrâ plus æquô præsumatis, quasi alienâ prudentiâ & consilio nullo modô indigi.

17. *Nulli malum pro*

17. Nunquam malum pro malo reddite.

dite. Bonis operibus vos totos stu-
diosè impendite non tantùm coram
Deo, sed etiam coram omnibus ho-
minibus, quos exemplô vestro ædi-
ficare debetis. 18. Salvâ autem pie-
tate & justitiâ omnem operam da-
te, ne jurgia inter vos suboriantur,
sed pax cum omnibus vigeat. 19. Si-
qua vobis infertur injuria verbo vel
opere, fratres mei dilectissimi, vin-
dictam ne ipsi assumite, sed altiori
tribunali, nempe divino reservate,
scriptum est enim: meum est ulcisci
& plectere injurias, quas propter no-
men meum vos perpeti contigerit.
20. Si quis hostili animô contra vos
egerit, nolite par pari referre, sed si
fame prematur, esurientem pascite,
si siti, refocillate, siquâ aliâ in re
indiget vestris obsequiis, ea liberaliter
ac libenter præstate. Hac ratione
carbones ignitos congeretis super ca-
put ejus, id est, amore illum ad vos
redamandos incendetis. 21. Secùs,
dum vobis injuriam vel damnum ir-
rogat si vindictam illico referre stu-
debitis, ejus perversitas superior eva-
det bonitate vestrâ. At verò in ejus-
modi conflictu ista potiùs triumpha-
re debet, & per constantem tole-
rantiam novis beneficiis atque favo-
ri-

malo reddentes: providentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.

18. *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes:*

19. *Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: mihi vindicta; ego retribuam, dicit Dominus* (a)

20. *Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus.*

21. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.*

(a) Deut. 32.

ribus illius malitiam atque ingratitudinem vincere, quod victoriæ genus Christianis duntaxat proprium est,& quodammodo eorum insigne.

PARAPHRASIS
CAP. XIII.

A charitate & humilitate priori capite luculenter commendatâ transit hic Apostolus ad obedientiam erga Superiores, tum ad charitatem rursus erga æquales,& inferiores, demum ad temperantiam, continentiam, & modestiam erga se ipsum inculcandam.

1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt.*

1. Satis non est novisse, quâ ratione mutuum debeatis inter vos fovere commercium: cùm in statu politico vivatis, necesse insuper est, ut discatis Magistratus ac Principes vestros debitâ observantiâ colere. Neminem excipio à subjectione hac æquissimâ, tantúmque abest, ut Evangelium juribus Superiorum sese opponat, vel subditos ab eorum obedientiâ eximat, ut potiùs nihil tam studiosè ac impensè iis commendatum

tum velit. 2. Quilibet ergò potestati superiori subditum se exhibeat, atque morigerum, nulla enim in hoc terrarum orbe est, quæ non sit à Deo supremo rectore constituta & ordinata, ut adeo illi resistere perinde sit, ac resistere ordinationi divinæ, & tacitè respuere ejus dispositionem, quæ non potest non esse sapientissima, adeóque non in humano solùm, sed multò magis in divino tribunali justæ damnationis sententiam incurrere. Argumentum hoc vim maximam habere deberet respectu eorum, qui profitentur verum Dei cultum. Si quos autem invenire est adeo vel hebetes, vel obstinatos, ut eô perparùm videantur moveri, considerent etiam atque etiam eorum repugnantiam impunè non abituram, nam præterquàm quòd divina Nemesis in eos suo tempore sit animadversura, indignatio contempti Principis etiam in hoc mundo debitum iis supplicium irrogabit.

2. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt:

3. Metuendum is se exhibet præcisè agentibus perperam, síque arcanum desideras omnem à te metum superioris potestatis repellendi, paucis id te docebo. Observa leges ab eo constitutas, in eo gradu subjectionis,

3. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? bonum fac: & habebis laudem ex illâ:

nis, in quo conditio nativæ originis
te collocavit, persiste, omnem ei,
quam debes, observantiam exhibe,
non modò nihil habebis, quod me-
tuas, sed meritò ab illo laudem ac

4. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causâ gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit.

etiam prœmium referes, 4. tan-
quam ab eo, quo Deus ut Ministrô
suo utitur ad te remunerandum. Si
autem delictum patraveris, tunc
enimvevò jure tibi metuendum erit,
nec enim sibi temerè Princeps gladi-
um usurpat, sed eo legitimè utitur
ad exterminandos facinorosos, sique
Deum repræsentat in remuneratio-
ne actionum ex virtutis præscripto
positarum, eundem quoque repræ-
sentat in punitione flagitiorum tan-
quam ejus Minister, ac vindex. Hæc
ratio, inquam, vos vel invitos com-
pellere posset ad obtemperandum,
at verò respectu mentium genero-
sarum ac verè Christianarum neque
sufficiens videtur, neque necessaria.

5. Ideo necessitate subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.

5. Itaque ad morem gerendum ve-
stris Superioribus vos impensè hor-
tor non tam ex eâ ratione, quòd ne-
cessitas vos eò adigat, quòd repugnan-
tia vestra supplicio, à quo abhorretis,
foret obnoxia, sed potiùs, quia Deus
id à vobis reposcit, quia id ordinata
rerum in hoc universo dispositio re-
qui-

quirit, & vestra conscientia id præcipit. 6. Et sanè, cùm subditi sitis, ad jussà dominorum vestrorum exequenda ob id ipsum estis obstricti, & cur tributa penditis, nisi quia subditi? & jure quidem æquissimo, cùm enim Princeps constitutus sit à Deo ad procurandam & fovendam in populo tranquillitatem, ad vigilandum, dum is quiescit, ad eum tuendum pacis tempore à domesticis inimicis, bello autem vigente ab assultibus & læsionibus externis, jus habet omnino ad exigendam hanc grati & obstricti animi significationem, tum ut auctoritatem suam illibatam servet, tum ut rempublicam necessariis expensis sustentare valeat. Itaque hæc tributa diligenter persolvite. 7. Reddite ergò cuilibet, quod ipsi debetur, cui tributum præstandum est, tributum, cui vectigal solvendum, vectigal, cui reverentia metu mixta exhibenda, reverentiam, cui honor deferendus, honorem. 8. Industriam vestram omni officiorum genere ita aliis probate, ut nihil amplius à vobis exigi possit præter mutuam charitatem, ac benevolentiam, quam ita debetis singuli singulis, ut hoc debitum nunquam integrè expun-

6. *Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes.*

7. *Reddite ergò omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.*

8. *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implevit.*

9. *Nam: non adulterabis: non occides: non furaberis: non falsum testimonium dices: non concupisces: & si quod est aliud mandatum in hoc verbo instauratur: diliges proximum tuum sicut te ipsum.*

10. *Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergò legis est dilectio.*

11. *Et hoc scientes tempus, quia hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus.*

pungi valeat. 9. Lex Mosaica suos sectatores prægravabat innumeris præceptis ac cæremoniis: lex JEsu Christi longè facilior est & compendiosior. Qui enim verè & ex animo diligit proximum suum, is quidquid lex præcipit, vitâ ac moribus præstitisse dicendus est. Siquidem illa: non mœchaberis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, & si quod aliud est divinum mandatum in hoc uno præcepto summatim comprehenditur, ut nimirum suum quisque proximum non aliter, atque ipse sese diligat. 10. Dilectio quippe proximi excludit omnem ejus offensam ac læsionem, & compendiô facit, ut lex tota servetur. 11. Quæ cùm ita sint, operemur bonum, & quidem absque dilatione temporis hodie, venit enim hora, quâ absque ulteriori morâ, & tergiversatione consurgendum nobis est à somno peccati, & piis operibus omni animi contentione vacandum. Consummatio salutis nostræ per gloriam propior nunc est, quàm cùm prima fidei rudimenta percepimus. Quare nihil remittendum est de primo illo ardore, quem tunc habuimus in exercitatione virtu-

tutum; præcipuè verò charitatis. 12. Nox infidelitatis præcessit, lumen fidei eam dispulit, & orto veluti die mentibus nostris affulsit. Vita, ætásque præsens jam admodum provecta est, magnísque passibûs appropinquat dies illa tremenda æternitatis. Desistamus ergò ab illis operibus, quæ non nisi in abscondito exerceri solent, quæ opera sunt tenebrarum, & propria amantibus tenebras ac latibula, & novos mores, novámque vivendi rationem meridianæ luci congruentem instituamus. Corripiamus arma ad repellendam vim nostrorum adversariorum, hæc autem oportet splendescere, non enim satis est, ut nos protegant, sed radios quoque vibrare debent, qui nos illustres reddant, atque non tantùm pro conflictu, sed etiam pro triumpho serviant. 13. Perinde ut in clarissimâ luce vitæ nostræ rationes componamus, compareamus & exhibeamus nos publicè eo habitu, situ, gestu, qui honestatem spiret, ruborem nullum nobis ingerat, & decorum servet coram spectatoribus, & arbitro nostri conflictûs. Tempus nostrum ne consumamus in conviviorum luxu, & popinarum nido-

12. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergò opera tenebrarum, & induamur arma lucis.

13. Sicut in die honestè ambulemus: non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione:

dore: ejusmodi sordibûs ne inquinari patiamur, ad quas infrunita concupiscentia stimulat, quin ab iis etiam, quæ passim invaluêre, longè abhorreamus, multò autem magis à monstris turpitudinum. Abstineamus ab omni contentione mutuâ, & caveamus studiosissimè à quibuscunque injuriosis dicteriis in æstu iracundiæ. Neque livor neque æmulatio nos incendat illarum prærogativarum, quas in proximo nostro suspicimus.

14. *Sed induimini Dominum JEsum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.*

14. Denique exuto veteri homine induamur ipso Christo Domino velut cœlesti ac divino paludamentô eum videlicet imitando pro viribus, & mensurâ gratiæ nobis cœlitùs concessæ. Non prohibeo aliquam curam corporis vestri, sed illud tantùm postulo, ut ne obtemperetis inordinatis ejus stimulis, atque intempestivis desideriis.



Pa-

PARAPHRASIS

CAP. XIV.

SUam hic mentem explicat Apostolus circa ciborum, dierúmque certorum obſervationes. 1. Quandoquidem unum omnes corpus conſtituitis, cujus caput eſt JEſus Chriſtus, & religio, quam profitemini, animi demiſſionem pro fundamento habet, pax vobis & unio mutua diligenter ſervanda eſt, neque frœnum laxandum fallaci imaginationi, ac æſtimationi propriæ ſcientiæ aut prudentiæ. Conſilium iſthoc vobis do, quia ejus neceſſitas & occaſio in veſtrâ occurrit Eccleſiâ, in qua non omnes probè ac ritè intelligunt, quid exigat vel permittat libertas Evangelii. Quare ſi quis infirmus eſt, & non ſatis informatus fide JEſu Chriſti, quíque legis Moſaicæ, in quâ vivebat ante Chriſtianæ legis profeſſionem, jugô nondum penitus excuſſo adhuc exiſtimat, à certo ciborum genere etiamnum abſtinendum ſibi, certáque feſta ſervanda, vos qui hujuſmodi ſcrupulis jam libe-

1. *Infirmum autem in fide aſſumite, non in diſceptationibus cogitationum.*

liberi estis, talem ne spreveritis, neque multùm cum eo disceptetis exploraturi, num rectè id faciat, nec ne, sed ejus fragilitatem æquis animîs dissimulate, & ab ejus consortio ac communione nequaquam vos segregate.

2. *Alius enim credit, se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet.*

2. Sunt, qui existiment, sibi omne genus eduliorum promiscuè permissum, sunt econtrà, qui oleribûs tantùm & radicibûs pascuntur, ut securiùs agant, & longiùs absint à transgressione tot inhibitionum in Lege. Optarem equidem hanc opinionum repugnantiam inter vos sublatam, quia tamen tempus nondum maturum est huic malo inveterato medicinam applicandi, ferendum tantisper, & lenioribus utendum remediîs, ne morbus exaspe- retur.

3. *Is, qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non judicet: Deus enim illum assumpsit.*

3. Itaque qui neglectâ legis antiquæ superstitione, atque inani ciborum delectu, quem illa præscribebat, absque scrupulo & discrimine quibûslibet vescitur, ne eum condemnet, qui nonnullìs abstinet: qui autem inter cibos discernit, & delectum facit, ratus hunc morem in Evangelicâ lege retinendum, eum pariter non redarguat, aut temerè judicet, qui liberè quibûscunque vescitur, Deus enim, qui ei mentem ab omni

omni ſcrupulo & anxietate liberam contulit, ipſum in famulum ſuum adſcivit, & benevolentiâ ſuâ non indignum judicavit. 4. Quis autem tibi poteſtatem dedit judicium ferendi in alienum ſervum? Memineris proprio illum Domino, nempe ſupremo ſtare aut cadere, ab eo ipſum condemnari aut abſolvi debere, quippe cui ſoli jus competat, rectè an perperàm egerit, non verò tibi, cui arcana cordis illius minimè patent, adeóque nec intentio, cujus proinde ſalus aut interitus ad te minimè pertinet. Deus, ad cujus juriſdictionem is tanquam ejus ſubditus unicè ſpectat, optimè noverit pro ſuâ æquitate ac poteſtate ipſum abſolvere & defendere contra eorum criminationes, qui ipſum tanquam profanum, & nullius religionis hominem reſpuunt, quòd cibos comedat, quos ipſi pollutos exiſtimant, quia eam notitiam, quam ille, non habent de libertate & permiſſione fidei. 5. Præter hanc diverſitatem opinionum circa eſum ciborum, alia vobis controverſia eſt circa differentiam dierum. Sunt enim qui aliquos ſolenniter celebrant, alii porrò id minimè obſervant, Quandoqui-

4. Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit: ſtabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum.

5. Nam alius judicat diem inter diem: alius autem judicat omnem diem: unusquisque in ſuo ſenſu abundet.

quidem autem in his non consistit Christianæ religionis substantia, pace meâ sequatur quilibet in hoc sensum ac dictamen conscientiæ suæ. Intentio tam horum, quàm illorum laudabilis esse potest, quare eorum actionibus neutiquam censuram inurere constitui. 6. Qui inter dies discrimen observat, haud dubiè animum habet honorandi JEsum Christum, quem scit tanquam Deum auctorem fuisse legis Mosaicæ, ad cujus etiam honorem omnes suas actiones refert (alter, qui hoc discrimen non observat, pariter pro suo scopo habet gloriam ejusdem Dei, qui hac in re eum exemit antiquæ observationis vinculô) qui promiscuè de omnibus comedit, quæ ei apponuntur, comedit ad gloriam Dei ei gratias referens, quòd sibi indulgeat usum omnium animantium in sustentationem vitæ suæ. Is pariter, qui à certo ciborum genere abstinet, quamvis in eo ostendat, se non adeo exquisitam habere notitiam, ad quid à religione suâ obligetur, id tamen facit ex piâ credulitate, Deum id præcipere, & reipsâ hac abstinentiâ eum honorare intendit: manducando quoque id, quod existimat non

6. *Qui sapit diem, Domino sapit: & qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat & gratias agit Deo.**

* Hæc tantum habentur in textu græco.

non esse polutum, gratias Deo agit, quòd ipsi aliqua saltem in suum nutrimentum animantia indulserit, quorum tamen usum absolutè prohibere potuisset. 7. Nullus enim nostrûm sibi ipse vivit, & nullus sibi ipse moritur, cùm non simus arbitri vitæ nostræ, aut mortis. 8. Sive autem vivimus, sive morimur, Dei ex asse sumus, & ad gloriam nominis ejus, quæcunque agimus, referre debemus omnia. 9. Et certè hanc potissimùm ob causam Servator noster & mortem oppetiit, & denuo reviviscens vitam quandam immortalem adeptus est, ut hoc imperium in vivos & mortuos sibi assereret, in vivos, quos gratiis suis cumulat, & in sortem elevat suorum cohæredum, in mortuos, quos ex corruptione sepulchri eruit, ut eos vitâ donet sempiternâ, ut adeo quocunque in statu homines fuerint, sui juris non ampliùs sint, nec de seipsis pro libitu disponere valeant. 10. Quare ergò tu, qui certis rebûs abstines, condemnas illum, qui non iis abstinet? & tu, qui probè scis, nihil eorum, quæ Deus creavit, pollutum esse, infirmitatem fratris tui, qui Dei jurisdictioni subest, tam parùm curas, ut in

7. Nemo enim nostrûm sibi vivit, & nemo sibi moritur.

8. Sive enim vivimus, Domino viv mus, sive morimur, Domino morimur. Sive ergò vivimus, sive movimur, Domini sumus.

9. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit: ut & mortuorum, & vivorum dominetur.

10. Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi.

in ejus præſentiâ veſcaris cibis, quos ille ùt pollutos abominatur, ſcandalum ei hac ratione præbens, & periculo exponens, ut id ipſum faciat contra propriam conſcientiam, vel penitus relabatur ad priſtinum Judaismum? 11. An neſcis, comparituros omnes coram tribunali JEſu Chriſti ſecundùm verba, quæ Iſaias adducit: vivo ego, dicit Dominus, quia mihi ſeſe flectet omne genu, omnisque lingua meam divinam Majeſtatem juſtis laudibus celebrabit & extollet, reddendo rationem actionum ſuarum tanquam communi omnium Domino ac Judici? 12. Suarum, inquam, non de aliorum vitâ ac moribus. 13. Itaque nobis ipſis deinceps attenti aliorum facta ne judicemus, quippe quod absque multiplici illuſione & injuriâ fieri nequit, cùm nobis explorata minimè ſit fratrum noſtrorum intentio, è quâ tamen pravitas vel rectitudo actionum dependet. Illud potiùs judicate & pro certo tenete, nunquam permiſſum eſſe dare occaſionem offendiculi vel ſcandali proximo ſuo, ut à fide Chriſti quaſi minùs religioſâ veſt, â intempeſtivâ libertate revocetur, vel exemplô veſtro provocatus etiam relu-

11. *Scriptum eſt enim: vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* (a)

12. *Itaque unusquisque noſtrûm pro ſe rationem reddet Deo.*

13. *Non ergò ampliùs invicem judicemus: ſed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum.*

(a) Iſai. c. 45.

reluctante conscientiâ aliquid agat.
14. Equidem novi scientiâ infallibili, quam habeo ex ipsâ Veritate, nempe Christo JEsu, nullum esculentum per se, ac naturâ suâ immundum esse atque inquinatum, neque desinere esse purum atque impollutam, nisi respectu illius, qui falsâ persuasione contrarium opinatur. 15.
Nihilominus tibi hujus veritatis habenti notitiam ejus abusus minimè permissus est, comedendo enim coram fratre tuo de iis, à quibus abhorret, ut illicitis, contra charitatem agis, quam ei debes. Accommoda te potiùs ejus ignorantiæ prudenti dissimulatione, cave, ne ipsum in præcipitium infidelitatis impellas, noli pietatem omnem abjicere, & indiscretâ libertatis tuæ ostentatione animam perdere, pro quâ JEsus Christus vitam posuit. 16. Inimici crucis satìs supérque exasperati sunt, proníque ad insultandum Evangelio, ne præbeas illis ansam novis id obtrectationibûs & maledictis impetendi per obstinatam tuæ sententiæ defensionem, per exiguam attentionem ad eos, qui eandem tecum profitentur religionem, per dissensionem denique perniciosam, quam in Eccle-

14. *Scio, & confido in Domino JEsu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei, qui existimat, quid commune esse, illi commune est.*

15. *Si enim propter cibum frater tuus contristatur: jam non secundùm charitatem ambulas. Noli cibô tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.*

16. *Non ergò blasphemetur bonum nostrum.*

Ecclesiâ fulcitas.

17. *Non est enim regnum Dei esca, & potus: sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto:*

17. Extollerem laudibûs zelum tuum, si ageretur de rebus essentialibus religionis, sed crede mihi, regnum Dei non consistit in escâ, aut potu, neque in usu aut abstinentiâ à certo esculentorum genere: in his neutiquam sita est perfectio, ad quam aspirare nos convenit, sed in innocentiâ, in concordiâ mutuâ, in sanctâ lætitiâ, quæ est inseparabilis à rectâ conscientiâ, & à solo Dei spiritu proficiscitur.

18. *Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus.*

18. Qui hunc in modum Christo Domino servit, acceptus est tum Deo, tum hominibus.

19. *Itaque quæ pacis sunt, sectemur: & quæ ædificationis sunt, in invicem custodiamus.*

19. Sectemur igitur omni studiô, quæ ad pacem tum conciliandam, tum retinendam faciunt, quæque ad publicam ædificationem fideíque propagationem maximè valent.

20. *Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem sunt munda: sed malum est homini, qui per offendiculum manducat.*

20. Nemo reperiatur ex nobis, qui indiscretione suâ cibi causâ opus Dei destruat, id est, qui fratrem suum inducat ad id faciendum, quod noverit ejus conscientiæ neutiquam probari. Sæpiùs jam vobis insinuavi, nullum esse ciborum genus suapte naturâ immundum, quicunque tamen eorum usu scandalum suo proximo præbet, certò delinquit.

21. *Bonum est non manducare carnem, &*

21. Quin imò præstat carnibûs non vesci, à vino abstinere, & omni eo, quo

quo frater tuus, cujus conſcientia infirma eſt, ac erronea, offendi poſſet, vel moleſtis animi angoribûs percelli. 22. Repônes mihi, te non eſſe adeo hebetem aut rudem, ut neſcias, libertatem Evangelii te abſolvere ab his ſcrupulis & diſtinctionibus faciendis. Acquieſce ſanè huic tuæ notitiæ, eámque tibi ſerva, neque propala in præjudicium ac detrimentum illius, qui tanquam ſimplicior actionem tuam in ſiniſtram partem interpretabitur, & inde fors occaſionem ſumet attentandi aliquid contra proprium dictamen, & quod inde ſequitur, peccandi contra principium toties jam inculcatum, 23. quòd is, qui comedit ex eo, quod exiſtimat ſibi haudquaquam permiſſum eſſe, Deum offendat, quoniam quidquid contra dictamen conſcientiæ vel eâ hæſitante fit, peccatum eſt. Beatus ille, qui importunis his ſcrupulis liberatus ſive veſcatur, ſive abſtineat cibis, ſive certa feſta obſervet, ſive non, in omnibus, quæ agit, ita ſe gerit, ut nullum intra ſe teſtem habeat, qui eum redarguat, neque Judicem, qui eum condemnet.

non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur.

22. Tu fidem habes? penes temetipſum habe coram Deo: Beatus, qui non judicat ſemetipſum in eo, quod probat.

23. Qui autem diſcernit, ſi manducaverit, damnatus eſt: quia non ex fide. Omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

PARAPHRASIS
CAP. XV.

Hortatur omnes Apostolus, ut gratias Deo, pacem verò invicem habeant: subdit paucula de itinere suo proximo Jerosolymam, Romam, & in Hispaniam.

1. *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere.*

1. Si cæteris peritiores, majoríque scientiâ & fidei cognitione præditi sumus, plus etiam charitatis debemus ostendere in perferendis infirmitatibus eorum, qui rudiores sunt iisque sanctâ quadam & prudenti conniventiâ ac conformitate lucrandis, & nullo modo nobis ipsis indulgere, sensui proprio obstinatè adhærescere, ac vanâ complacentiâ de sapientiâ nostrâ inaniter gestire.

2. *Unusquisque vestrûm proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem.*

2. Itaque unusquisque nostrûm proximo indulgeat potiùs, eúmque optimæ vitæ exemplis ædificare, & ad omnem virtutem inducere studeat.

3. *Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: improperia improperantium tibi ce-*

3. Neque enim Christus, quem vobis ad imitandum tanquam præstantissimum exemplar propositum esse oportet, propriam gloriam quæsivit,

vit, suísve commodis consuluit, sed illud potiùs, quod voluntati Patris sui consentaneum esse noverat, diligenter præstitit, injurias sibi privatim inflictas ex animo remisit, neque calumniis, quibûs eum opprimere tentabant, commotus est. Si quando autem de honore ejus, qui ipsum miserat, ageretur, secundùm Prophetam regium in ejus personâ loquentem, blasphemiæ, quæ effundebantur contra Patrem cœlestem, recidebant in caput ipsius, id est, tanquam sibi impactas accipiebat. Ex hoc testimonio non tantùm licet colligere zelum, quo pro honore sui Patris ardentissimo flagrabat Redemptor noster, & resignationem in ejus beneplacitum, sed etiam sanctam & benevolam complacentiam, quam à vobis requiro, perfectam animi submissionem in ordinationes divinæ providentiæ, ad quam vos impensè hortor, & sinceram commodorum vestrorum despicientiam, quam vobis summopere commendo. 4. Etenim sacrarum litterarum monimenta, si attentè considerentur, ad vitæ nostræ eruditionem, morúmque institutionem referuntur universa. Ex iis oportet con-

ciderunt super me (a)

4. *Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam & con-*

(a) Ps. 68.

solationem Scripturarum spem habeamus.

condiscere generosam rerum adversarum perpessionem, continuámque in Deum fiduciam, ut nihil memorem de animi solatio atque oblectatione, quam ex Scripturarum lectione maximam haurire & percipere possumus.

5. *Deus autem patientiæ & solatii det vobis id ipsum sapere in alterutrum secundùm Jesum Christum:*

5. Hunc autem fructum propriâ industriâ percipere non valetis. Quare Deo supplico tanquam veræ scaturigini patientiæ, & lætitiæ interioris, ut vobis det spiritum pacis & concordiæ, quo adjuvante præcepta & exempla eò collimantia altâ mente reposta & impressâ maneant,

6. *Ut, unanimes, uno ore honorificetis Deum, & Patrem Domini nostri JEsu Christi.*

6. & ut ipsum uno corde & ore prædicantes honoretis tanquam Deum & Patrem Domini nostri JEsu Christi sine omni imposterum discrepantiâ inclinationum, aut dictaminum circa observantiam sive festorum, sive ciborum, sive quamcunque aliam rem.

7. *Propter quod suscipite invicem, sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei.*

7. Quamobrem unionem animorum ac conspirationem mutuam sedulò servate, quemadmodum JEsus Christus non dedignatur vos amicitiæ suæ ac gratiæ reddere participes ad gloriam Dei Patris. Interest planè omnium, ut reciproco honore, affectu, & consensione quivis alterum prosequatur.

8. *Dico enim Chri-*

8. Quod enim Ju-

Judæos attinet, vobis, ô Gentiles, affirmo, JEsum Christum ad eos fuisse missum, tanquam Ministrum veritatis, qui eis prius circumcisis & conterraneis suum evangelium annuntiaret ad complendas divinas promissiones, quæ eorum Patribus sæpius iteratæ fuerant, & ad ostendendum, Deum neque fallere, neque instabilem esse aut mutabilem in decretis suæ providentiæ. 9. Quod Gentes autem concernit, ipsis quoque eandem fidei lucem gratiámque contulit, unde par est, ut immortales divinæ clementiæ grates persolvant, ejúsque laudes perpetuò celebrent, quò pariter eorum veritas appareat, quæ dudum antea sacri Vates prædixerant. Adducam eorum sententias, ne quilibet tantæ authoritati refragari ausit. Et rex David quidem nomine JEsu Christi ita pronuntiat: propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, & nomini tuo cantabo, nempe in gratiarum actionem pro Gentibus, quas ex præscripto voluntatis tuæ tecum in gratiam reduxi, & è tenebris suis erui. 10. Moyses exclamat: lætamini Gentes cum populo ejus, illis enim perinde se manifestat, quemadmodum se illi ma-

stum JEsum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum:

9. *Gentes autem super misericordiâ honorare Deum, sicut scriptum est: propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, & nomini tuo cantabo.* (a)

10. *Et iterum dicit: lætamini Gentes cum plebe ejus.* (b)

(a) Ps. 117. (b) Deut. 32.

11. *Et iterum: Laudate omnes Gentes Dominum: & magnificate eum omnes populi.*

12. *Et rursus Isaias ait: erit radix Jesse, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt.* (*a*)

13. *Deus autem spei repleat vos omni gaudiô, & pace in credendo: ut abundetis in spe, & virtute Spiritûs sancti.*

14. *Certus sum autem fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientiâ, ita ut possitis alterutrum monere.*

15. *Audacius autem*

(*a*) cap. 11.

manifestavit. 11. Alio Psalmô exultat David inquiens: laudate omnes Gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi. (a) 12. His accedit Isaias, cujus verbis nil clarius, nil apertius: erit radix Jesse, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt. 13. Quandoquidem ergò unum corpus omnes constituitis, idémque objectum spei habetis universi, nempe Deum optimum Maximum, obsecro illum enixè, ut omni vos gaudiô repleat, & ex mentibus vestris penitus aboleat æmulationes illas ac dissensiones, quæ unitatem vestræ fidei dissolvunt, atque ita de virtute in virtutem progrediamini, & de die in diem spes firma evadat adhuc firmior virtute efficaci ac præpotenti Spiritûs Sancti. Si hactenus tam varia vobis documenta ac monita dedi, id non ex eâ ratione factum, quòd crederem, neminem inter vos esse, qui hoc ipsum præstare posset. 14. Non ignoro, fratres mei, complures esse, quibus nec scientia desit ad communicandam vobis sanam doctrinam, neque charitas ad hoc obsequium vobis præstandum. 15. Scripsi autem vo

(a) *Ps.* 116.

vobis, chariſſimi mei, ſatis cordatè, & terminis uſus ſum, ut fateor, fortaſſis duriuſculis, id tamen potiùs egi ad revocandam vobis memoriam priſtinæ vitæ, quàm ad eam vobis acerbiùs exprobrandam. 16. Munus à Deo mihi impoſitum me ad hoc compulit, ſuâ enim infinitâ bonitate me in Miniſtrum JEſu Chriſti elegit atque conſtituit, qui ejus Evangelium Gentibus prædicaret, támque ſancto miniſterio ritè & ex ejus dignitate fungeretur, ut ita & Gentes dignæ redderentur, quæ Deo offerri poſſent tanquam hoſtia pura, immaculata, & per Spiritum Sanctum auctorem omnis ſanctitatis dignè ſanctificata. 17. Habeo igitur, unde per JEſum Chriſtum gloriari queam, non quidem de rebus caducis atque mortalibus, ſed de iis, quæ in meo miniſterio præſtiti, vel ut magis ſobriè loquar, quæ ille per me præſtitit. 18. Non enim ſum tam arrogans, ut gloriam quæram ex iis rebus, quas Jeſus Chriſtus per me non operatus eſt ad ſubjiciendas ſibi Gentes quà prædicatione verbi ſui, quà miraculis, quæ quidem & mihi patrandi poteſtatem contulit, quà aliis charismatis Spiritûs Sancti, qui-

ſcripſi vobis, fratres, ex parte, tanquam in memoriam vos reducens: propter gratiam, quæ data eſt mihi à Deo,

16. *Ut ſim Miniſter Chriſti JEſu in Gentibus, ſanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu Sancto.*

17. *Habeo igitur gloriam in Chriſto JEſu ad Deum.*

18. *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam Gentium verbô & factis.*

19. *In virtute signorum, & prodigiorum, in virtute Spiritûs Sancti: ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi.*

20. *Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem, sed sicut scriptum est:*

21. *Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent.*

22. *Propter quod impediebar plurimùm venire ad vos, & prohibitus sum usque adhuc.*

23. *Nunc verò ulteriùs locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad*

quibus & me liberalissimè cumulare dignatus est, ut eas ad veram religionem adducerem adjuvante divinâ gratiâ. 19. Itaque ab Jerosolymâ in Illyricum usque ex utraque parte Evangelium JEsu Christi promulgavi, neque arbitror me prætermisisse quid, quod ad ejus fructum in hac provinciarum amplitudine multiplicandum, ubi nulla ejus erat notitia, usui potuisset esse. 20. Doctrinam enim prædicans cum ardenti desiderio eam passim propagatam cernendi diligenter nihilominus attendi, ne id facerem in iis locis, ubi JEsus Christus jam erat annuntiatus, ne super alienum fundamentum ædificarem, sed potius illam Prophetæ prædictionem verificarem: 21. quibus non est annuntiatum de eo, videbunt, & qui non audierunt, intelligent. Isai. 52. 22. Quod mihi hactenus remoram injecit, quò minus ad vos inviserem, plurimis nempe occupationibus præpeditus. 23. Sed Deo sint laudes, cùm non ampliùs in his regionibus locus occurrat, in quo jacienda sint fundamenta fidei, cúmque ingenti flagrem desideriò à pluribus jam annis vos videndi, spero me brevì Romæ transiturum, & ali-

quam.

quamdiu ibi commoraturum, ut consuetudine vestrâ colloquióque ex parte recreer, & quodammodo explear, 24. priusquàm in Hispanias proficiscor, quò confido nonnullos ex vobis comitandi gratiâ me secuturos. 25. Nunc quidem accinctus sum ad ineundum iter Hierosolymam allaturus fidelibus ibi degentibus, qui omnes facultates suas in usum pauperum distribuerunt, eleemosynas corrogatas in Ecclesiis Macedoniæ & Achajæ, 26. qui expedire judicarunt, ut collatio universalis fieret ex causâ adeo legitimâ.

27. Et sane gentiles omnes, quibus nunc ea felicitas obtigit credendi in JEsum Christum, eis sunt obstricti, & quia participes evaserunt donorum ac favorum spiritualium, qui illis promissi erant in personâ antecessorum, æquum etiam est, ut eis facultates temporaneas, quas possident, communicent, ad inopiam & egestatem sublevandam, id quod etiam liberaliter ac perlibenter præstitère. 28. Aliud ergò non superest, nisi ut eleemosynas mihi consignatas deponam in manus eorum, qui frui debent hac liberalitate, quo facto statim iter Romam versùs arri-

vos ex multis jam præcedentibus annis.

24. *Cùm in Hispaniam proficisci cœpero, spero, quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primùm ex parte fruitus fuero.*

25. *Nunc igitur proficiscar in Jerusalem ministrare sanctis.*

26. *Probaverunt enim Macedonia & Achaja, collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem.*

27. *Placuit enim eis: & debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles: debent & in carnalibus ministrare illis.*

28. *Hoc igitur cùm consummavero, & assignavero eis fructum hunc: per vos proficiscar in Hispaniam.*

29. *Scio autem, quoniam veniens ad vos, in abundantiâ benedictionis Evangelii Christi veniam.*

30. *Obsecro ergò vos fratres per Dominum nostrum JEsum Christum, & per charitatem sancti Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum,*

31. *Ut liberer ab infidelibus, qui sunt in Judæâ, & obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerusalem sanctis.*

32. *Ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refrigerer vobiscum.*

33. *Deus autem pa-*

ripiam ad proficiscendum inde in Hispaniam. 29. Hanc videndi & alloquendi vos occasionem avidissimè dudum suspiro, speróque sub adventum meum Deum optimum summis precibûs à me implorandum exhibiturum vobis novos quosdam favores, vestram vicissim vivendi rationem sanctæ professioni omnino conformem apparituram, ac denique propensos vos etiam futuros ad sublevandos pauperes perinde ac eos, de quibus antea memini. Nihilominus mihi non constat, an & quæ remoræ profectionem meam suspendere valeant. 30. Quare obsecro vos, dilectissimi fratres mei per JEsum Christum Dominum nostrum, cujus sum Minister, & per charitatem, quam Spiritus Sanctus in cordibus vestris diffudit, ut me vestris orationibûs adjuvetis, 31. earúmque præsidiô mecum impensè contendatis apud Deum, ut me præservet incolumem ab insidiis quas infideles in Judæâ mihi struere possunt, útque 32. post eleemosynas, quas collegi, inter egenos magno eorum solatiô distributas ad vos tutò venire possim refrigerii inter nos captandi gratiâ. 33. Interea Deum pacis ama-

matorem & auctorem supplex rogo, vos omnes mutuâ charitate conjunctos perpetuò tueatur ac servet. Amen.

cis sit cum omnibus vobis. Amen.

PARAPHRASIS

CAP. XVI.

POst varias salutationes claudit epistolam S. Paulus gratiarum actione, & faustâ apprecatione.

1. Interea commendo vobis Phœben sororem nostram in Domino, quæ sese in obsequium Ecclesiæ Cenchrensis diligenter impendit.
2. Excipite eam omni charitate, quâ par est eam recipi ab illis, qui eandem doctrinam ac religionem profitentur, quíque ex nomine suo ad sanctitatem vocati sunt. Si quâ in re ope vestrâ indiget, eam illi benevolè præstate, quantùm quidem poteritis, in grati animi memoriam ob ea obsequia, quæ complures Dei famuli in variis occasionibus ab eâ acceperunt, quos inter meipsum profiteor ejus beneficentiæ plurimùm obstrictum, multis enim ipsa, mihíque etiam

1. Commendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris.

2. Ut eam suscipiatis in Domino dignè sanctis: & assistatis ei, in quocunque negotio vestri indiguerit: etenim ipsa quoque astitit multis, & mihi ipsi.

3. *Salutate Priscam, & Aquilam adjutores meos in Christo JEsu;*

4. *(Qui pro animâ meâ suas cervices supposuerunt: quibus non solus ego gratias ago, sed et cunctæ Ecclesiæ gentium)*

5. *Et domesticam Ecclesiam eorum. Salutate Epænetum dilectum mihi, qui est primitivus Asiæ in Christo.*

6. *Salutate Mariam, quæ multùm laboravit in vobis.*

7. *Salutate Andronicum, & Juniam cognatos & concaptivos meos: qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo.*

8. *Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino.*

9. *Salutate Urbanum,*

etiam ipsi hospitium præbuit, & semper ejus ædes hospitibus ac peregrinis quasi publicè patuerunt. 3. Salutate ex me Priscam & Aquilam adjutores meos in prædicatione, 4. qui pro salute ac vitâ meâ suam ipsorum cervicem opposuerunt, quibus non solus ego gratias ago, sed omnes Ecclesiæ Gentium eo se nomine plurimùm debere & agnoscunt, & fatentur. 5. Salvere item jubeo eorum familiam admodum piam, nec non charissimum meum Epænetum, quem meritò Asiæ minoris primitias in Christo appellare possum, sive quia primus inter omnes Christo nomen dedit, sive quia tanquam vir primarius eminet inter omnes. 6. Eâdem salute impertior Mariam, quæ nulli labori pepercit ad fovendam nostram prædicationem, nostríque curam habuit perdiligentem. 7: Præterea Andronicum & Juniam cognatos meos, & olim unà mecum captivos, qui crediderunt in Christum ante me, & inter Apostolos præclara multa & laude dignissima gessère. 8. Ampliatum perdilectum mihi in Domino. 9. Urbanum, qui astitit mihi in meo ministerio,& Stachyn charum

rum mihi in paucis. 10. Appellen,
quem tanquam virum antiquæ pro-
bitatis veneror, 11. Salvere etiam
jubeo domesticos familiæ Aristobuli,
& Narcissi, qui Christo adhærent,
item Herodionem cognatum meum.
12. Tryphænam & Tryphosam, &
dilectam meam Persidem, quæ in-
genti ardore dilatationem Evange-
lii promovent, & pauperibus assi-
stunt. 13. Nec non Rufum, cujus
eximia est inter fideles pietas, ejús-
que matrem, quam non aliter ac
meam matrem observo & colo.

14. Asyncritum, Phlegontem,
Hermam, Patrobam, Hermen, cæ-
terósque fratres, qui unà cum illis
sunt. 15. Philologum, & Juliam,
& Nereum, & sororem ejus, & O-
lympiadem, & denique sanctos om-
nes, qui cum iis vivunt. 16. De-
nique ut aliquando concludam, sa-
lutate alii alios osculô sanctô, nam
vos quidem omnes cunctæ Ecclesiæ
Christi salvere jubent. Hanc
testificationem recordationis eorum
permagni æstimare, his in spiri-

*torem nostrum in Christo
JEsu, & Stachyn dile-
ctum meum.*
10. *Salutate Apellen
probum in Christo.*
11. *Salutate eos, qui
sunt ex Aristoboli domo.
Salutate Herodionem
cognatum meum. Salutate
eos, qui sunt ex Narcis-
si domo, qui sunt in Do-
mino.*
12. *Salutate Tryphæ-
nam & Tryphosam, quæ
laborant in Domino. Sa-
lutate Persidem chariſſi-
mam, quæ multùm labo-
ravit in Domino.*
13. *Salutate Rufum
electum in Domino, &
matrem eius, & meam.*
14. *Salutate Asyncri-
tum, Phlegontem, Her-
mam, Patrobam, Her-
men, & qui cum eis sunt,
fratres.*
15. *Salutate Philo-
logum & Juliam, Nere-
um & sororem ejus, &
Olympiadem, & omnes, qui cum eis sunt, sanctos.*
16. *Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos om-
nes Ecclesiæ Christi.*

tu vos arctè conjungite.

17. Rogo autem vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis.

17. Obsecro autem vos, fratres, ut observetis eos, qui discordes vos volunt, & nova dogmata commiscuntur, ac inter vos dissemi-nant ei doctrinæ repugnantia, quam vos pridem didicistis: eorum consuetudinem ac familiaritatem, addo etiam, colloquium aspectúmque longissimè fugite.

18. Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri: & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.

18. Nam qui ejusmodi sunt, Domino JEsu Christo nequaquam serviunt, sed potiùs suo ventri, blandísque suis sermonibûs, & laudibûs adulatoriis seducunt animas simplices, quæ eorum technas artésque non animadvertunt.

19. Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo.

19. Vestræ porrò obedientiæ fama ad omnes fermè gentes penetravit; itaque quod ad vos attinet, est profectò, quòd magnopere gaudeam, quippe qui vos in Christo JEsu ardenter diligo, iterum tamen, iterúmque admoneo, ut in rebus quidem bonis atque honestis cauti sitis atque prudentes, in malis autem planè innocentes.

20. Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri JEsu Christi vobiscum.

20. Deus pacis ad id vobis gratiam suam largiatur, qui, ùt auguratur animus, Satanam, ac quoscunque alios Evangelii ad-

ver-

versarios brevì conteret, pedibús-
que vestris substernet. Gratia
Domini nostri JEsu Christi ma-
neat vobiscum. 21. Salutem vo-
bis dicunt Timotheus meus præ-
dicatione socius, Lucius, Jason, &
Sosipater cognati mei. 22. Ego
verò Tertius amanuensis, qui
hanc epistolam scripsi, vos pluri-
mùm in Domino salvere jubeo.
23. Salutat vos Cajus hospes me-
us, imò verò totius Ecclesiæ hu-
jus loci. Itémque Erastus urbis
procurator, & Quartus denique
frater. 24. Idipsum facio, & ex
animo denuo precor, ut gratia
Domini nostri JEsu Christi vobis
omnibus adsit, sempérque opitu-
letur. 25. Illi autem, qui con-
firmare vos potest ac stabilire in
fide Evangelii, quod vobis an-
nuntiavi, quódque olim mundo
ignotum, & ante omnem æter-
nitatem arcano quodam silentio
involutum, 26. nunc patefactum
est per sacra Prophetarum ora-
cula, & per universum orbem
promulgatur ex imperio immor-
talis Dei, ut omnes omnino Gen-
tes ad Christi fidem traducantur,
27.


21. Salutat vos Ti-
motheus adjutor meus,
& Lucius, & Jason, &
Sosipater, cognati mei.
22. Saluto vos ego
Tertius, qui scripsi episto-
lam, in Domino.
23. Salutat vos Cajus
hospes meus, & univer-
sa Ecclesia. Salutat vos
Erastus arcarius civita-
tis, & Quartus frater.
24. Gratia Do-
mini nostri JEsu Chri-
sti cum omnibus vo-
bis. Amen.
25. Ei autem, qui po-
tens est vos confirmare
juxta Evangelium me-
um, & prædicationem
JEsu Christi, secundùm
revelationem mysterii
temporibus æternis ta-
citi,
26. (Quod nunc pate-
factum est per Scripturas
Prophetarum secundùm
præceptum æterni Dei ad
obeditionem fidei) in
cunctis Gentibus cogniti,

27. *Soli ſapienti Deo, per JEſum Chriſtum, cui honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.*	27. illi ipſi, inquam, Deo, qui ſolus eſt ſapiens, ſit gloria, honor, & laus in omnia ſæcula per JEſum Chriſtum ejus filium.

A M E N.



AR-



ARGUMENTUM
EPISTOLÆ PRIMÆ D. PAULI
AD
CORINTHIOS.

Postquam D. Paulus Evangelii doctrinam Atheniensibus prædicatione publicâ exposuerat, Corinthum se contulit eâ tempestate Achajæ metropolim, & Græciæ decus. Substitit ibi per sesquiannum, atque intra hoc sat prolixum commorationis tempus numerosam admodum Gentilium multitudinem ad Christi fidem traduxit, quod dudum ante revelatione quapiam cœlesti præviderat, uti Lucas commemorat in Actis Apost. cap. 18. Ubi autem ita exigente Ministerio suo Apostolico in alias Græciæ urbes avocatus est, Corinthii ex negotiatorum frequentiâ, & exterorum affluxu prædivites facti, & inde luxu ac deliciis corrupti haud ita multò post à primo fervore desciverant, doctrinámque sibi à Gentium Doctore annuntiatam vix non profundâ oblivione sepeliverant. A novis siquidem Evangelii præconibus, qui à discessu Apostoli supervenerant, & co-

piosâ, floridâ, atque ornatâ eloquentiâ eorum aures demulcebant, fascinati Paulum, cujus oratio gravis, nervosa atque Evangelicæ sanctitati conveniens erat, despicere cœperunt, & fastidire, præsertim ubi Apollo virum sacrarum litterarum peritiâ eximium, & eloquiô facundissimum perorantem tantisper audierant. Quandoquidem autem hæc labes nondum omnes hujus Ecclesiæ fideles afflaverat, invenire etiamnum erat nonnullos, qui partes Gentium Apostoli strenuè tuerentur. Inde subortum periculosum schisma, & persuasio quædam falsissima paulatim invaluerat, baptismi Sacramentum plus minúsve efficaciæ virtutísque habere pro ratione majoris, minorísve sanctitatis, ac dignitatis eorum, qui illud administrarent. Huic errori paulatim accesserant alii atque alii, eò demum progressâ sive morum licentia, sive mentis væsania, ut passim ad sacram Eucharistiam indigni & sacrilegi sine scrupulo accederent, & de resurrectione mortuorum non parùm addubitarent. D. Paulus, qui tum temporis Ephesi morabatur, de tristi hac & mutatâ rerum facie certior ab iis redditus, qui doctrinæ à se prædicatæ integram etiamnum illibatámque fidem servaverant, cùm Corinthios suos amaret tenerrimè, hanc ad eos mox epistolam dedit per Thimotheum perdilectum suum discipulum, ut eos denuo in rectam semitam reduceret, unde adeo turpiter deflexerant.

Capite 1mo. præmissis consuetis salutationibus dissensiones inter eos gliscentes redarguit, quæ scaturiebant ex cœcâ quadam & immoderatâ in suos Magistros propensione, nec non ex persuasione illâ imbibitâ, quòd baptismus vim suam atque virtutem omnem ex meritis illum conferentium hauriat. Hortatur illos pòstmodum ad comprimenda, & tollenda hæc animorum dissidia, ostendítque, qui verbo-

borum lenocinia, & ingenii lusus atque acumina in prædicando sectantur, eos planè imperitos esse Evangelicæ doctrinæ pro dignitate & cum fructu tractandæ, Deum siquidem consultò in Apostolos adeóque Evangelii sui præcones elegisse homines rudes, ut fastum confunderet sapientiæ humanæ, cúmque fides Christiana principiis philosophicis è diametro sit opposita, diversâ longè ratione eam prædicandam esse, nimirum non tam ingenii, artificiíque oratorii studiosâ ostentatione, quàm adminiculô & virtute signorum, operúmque naturæ vires transcendentium.

Capite 2do. à thesi ad hypothesin progressus Corinthiis in mentem revocat modum, quem maximo cum fructu tenuit in prædicatione doctrinæ evangelicæ, nempe ab eo longè alium, quem ipsi modò tantopere sed imprudenter suspiciunt, atque dilaudant. Monet præterea mysterium crucis absonditum esse à sapientibus hujus sæculi, solíque divino spiritui proprium esse, fidei, adeóque veræ solidæque sapientiæ arcana revelare. Postremò manifestum ostendit discrimen inter hominem animalem, sive illum, qui naturæ tantummodo ductum sequitur, & spiritualem, seu spiritu Dei, & altiori fidei lumine præditum.

Capite 3tio. Corinthios denuo corripit, quòd nimio partium studiô quibusdam sacris oratoribus adhærescerent fascinati eorum eloquentiâ, quæ sophistam magis sapiat deceátque, quàm Ministrum Evangelii. Admonet eos, Deo inprimis acceptas referendas esse gratias omnes, quibus fruerentur, homines ei tantùm pro instrumentis servire tanquam supremo artifici, qui ultimam demum operi perficiendo manum imponat. Postmodum differentiam explicat inter concionatores melioris, & deterioris notæ, quáve ratione dicta eorum & gesta aliquando discutienda sint, ac

pro

pro meritis vel remuneranda, vel plectenda. Sancti Patres diversimodè exponunt aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, & stipulam, de quibus mentio occurrit v. 13. Divus enim Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius & Augustinus existimant, Christianos omnes architectos esse, qui ædificant supra fundamentum fidei, quódque eorum opera meritoria significentur per aurum, argentum, & gemmas, quemadmodum vitiosa per lignum, fœnum & stipulam. D. Ambrosius, Hieronymus, Doctor Angelicus, D. Anselmus, & Dionysius Carthusianus, ac Recentiores complures hoc textu intelligunt solos divini verbi præcones, quibus etiam accedo, cùm persuasum habeam, hunc sensum esse magis litteralem, & intentioni Apostoli conformem, qui meâ quidem sententiâ hoc capite præcipuè destinavit Corinthi prædicatores perstringere, qui ad aucupandam suorum auditorum gratiam, quod & hodiedum fit, sacri Evangelii dogmata phaleratâ potiùs & ingeniosâ declamatione, quàm solidâ utilíque instructione proponebant. Opiniones quoque interpretum supra 14. & 15. versiculum magopere variant. Sunt enim, qui per ignem, cujus ibi fit mentio, purgatorii rogum intelligant, alii præsentis vitæ calamitates, quæ sunt probationes veræ fidei. S. Augustinus cap. 68. sui Enchiridii hanc tenet sententiam. Utcunque res se habeat, inhæsi metaphoræ Apostoli, cúmque Ecclesia liberum cuilibet reliquerit, utrumlibet ut amplecteretur sensum, illum prætuli, qui meo quidem judició, cujus imbecillitatem non diffiteor, litteræ presſiùs insisteret. Nolim illum tamen pertinaciùs defendere, sed Ecclesiæ judicio reverenter submitto. Ad finem capitis in pseudo-apostolos gravi oratione invehitur, qui auctoritate & scientiâ suâ ad inanem pompam & osten-

oſtentationem abuſi materiam ſuppeditabant diſſidiis, factionibúsque turbulentis, ac proin indignationem divinam illis comminatur, ſi pergant auditores ſuos verborum blanditiis corrumpere, qui ſunt templa ſupremi Numinis ad ejus ſolius honorem & gloriam conſecrata per Spiritum Sanctum pacis & concordiæ mutuæ auctorem.

Capite 4to. hortatur Corinthios ad debitam ſinceris Evangelii Miniſtris obſervantiam, vetátque ſiniſtrum quidquam de iis ſuſpicari. Subin eos reprehendit, quòd inanem gloriam aucupentur ex ſacris charismatis in baptiſmo acceptis, cùm potiùs Deo bonorum omnium largitori ſingulares propterea gratias debeant. Illorum concionatores exagitat, & ironiâ quâdam perappoſitâ differentiam exprimit inter genuinos & pſeudodoctores. Concludit demum conteſtando paternam ſuam in eos benevolentiam, ſanctéque pollicendo, ſe brevì ad eos venturum, ut mendacii illos redarguat, qui contrarium in vulgus ſparſerant, omniáque diſponat, prout in Domino viſum fuerit.

Cap. 5. invehitur in publicum inceſtuoſum, quem à communione fidelium ob enorme flagitium ſacro anathematis fulmine removet, quâ occaſione acceptâ Corinthiorum tumorem & arrogantiam deprimit, & Chriſtianorum palàm criminoſorum conſortia ab omnibus fidelibus ſtudioſiſſimè vitanda denuntiat.

Capite 6to. exprobrat illis, quòd lites ſuas forenſes, ac civiles controverſias ad judices paganos deferant non absque ſcandalo & dedecore ex mutuis Chriſtianorum diſſidiis proveniente, hortatúrque, ut rerum ad ſe pertinentium jacturam potiùs diſſimulent, quàm tam acri eas contentione repetant: quòd ſi tamen jure ſuo cedere reſpuant, illud ſanè perſequantur, ſed arbitris ex Eccleſiâ ad dirimendas vel

componendas caufas delectis. Monet infuper non omnia continuò tentanda, quæ videntur utcunque licita, poffe enim tales circumftantias, tantíque ponderis rationes in contrarium occurrere, in quibus non ampliùs fas fit illud executioni dare, quod aliàs juftè licebat, atque in hujus rei confirmationem feipfum in exemplum proponit, qui cùm à Corinthiis congruam fuftentationem requirere potuiffet, eâ tamen fuperfedit, ne ulli moleftus effet, & gravis. Poftremò agit de vitæ integritate, ad quam Chriftianus quivis obftringitur, & contra fornicationis turpitudinem zelô plenus fpiritúque divinæ charitatis vehementer declamat.

Cap. 7mo. ad plura quæfita fibi propofita refpondet. 1mò. de conjugio, quomodo eo ligati fe gerere debeant, ut ftatui & obligationi fuæ fatisfaciant. Vitam cælibem exemplô fuo magnopere commendat, ut eximiis prærogativis decoratam, & reliquis ftatibus longè præferendam. Conjugatis tamen edicit, ne feparationem quærant, nifi ad aliquod tempus, & de confenfu utriusque, ut Deo liberiùs in oratione vacare poffint. 2do. præcipit, ut uxor à marito ex legitimâ caufà fejuncta in eo ftatu perfeveret, neque ad alteras nuptias tranfeat, fi verò ex levitate aut inconfulto impetu ab eo difceffit, ad eum poftliminio redeat. 3tiò docet, quibus cafibûs feparari poffint aut Chriftianus ab uxore Gentili, aut uxor Chriftiana à marito infideli. Subin hortatur quemlibet, ut in eo ftatu permaneat, in quo fuit, antequam Chrifto nomen daret. Poftmodum virginitatem magnis laudibûs extollit, quin tamen eam præcipiat, oftendit moleftias, curásque multiplices conjugum, mirámque facilitatem, quam perfonæ cælibes habent vacandi Deo, animæque fuæ faluti. Demum viduas alloquitur, iisque facultatem indulget nubendi denuo, fed conjugi

Chri-

Christiano, si in statu suo solitario vivere nequeant, si verò id haud adeo difficile ipsis accidat, suadet modîs omnibus, ut in eo perseverent.

Cap. 8vo. ex Corinthiis illos increpat, qui cibis idolorum immolatione notatis in aliorum præsentiâ, quibus ea res offensioni erat, liberrimè vescebantur. Docet illos secundùm se quidem esse indifferentes & permissos, charitate tamen obligari quemlibet, ut attendat, quibuscum sibi manducandum sit, ne per imprudentiam proximum suum adhuc infirmum, pro quo tamen Servator noster mortem oppetere dignatus est, in ruinam spiritualem dato scandalô impellat.

Capite 9no. Corinthiis demonstrat, potuisse se necessaria pro victu quotidiano alimenta ab eis expetere, cùm tempus omne in prædicatione Evangelii illis impenderit, maluisse tamen ea comparare sudore proprio, atque opificii cujusdam labore, ne ansam ulli præberet querimoniæ. Revocat præterea eis in mentem, quàm promptè, quàm alacriter cujuslibet genio atque indoli sese attemperaverit, ut omnes Christo lucrifaceret, suóque exemplô demum ad perseverantiam illos hortatur, quam sperare meritò debeant, si ad finem usque constantes in bene cœpto vitæ curriculo perseverent.

Cap. 10mo. meminit filiorum Israël, qui post accepta cœlitùs complura beneficia Dei tamen immemores in abominandam idololatriam prolapsi sunt,& eructatis inOptimum Numen plasphemis vocibûs omni se flagitiorum genere contaminarunt, ut Corinthii eorum exemplô sapiant, sibique à tali perfidiâ diligenter caveant: præcessisse Judæorum supplicium in signum prænuntium non inferioris castigationis Christianis obventuræ, quemadmodum favores il-

lis collati in Veteri Lege eos significabant, qui in novâ Lege istis exhibendi forent. Versiculó 8vo. asserit, 23. millia Israëlitarum morti tradita ob fornicationem cum Moabitis commissam. In eâ fui sententiâ, pœnam hanc referendam esse ad adorationem vituli aurei, cujus fit mentio versu præcedenti. Quamobrem immutato ordine textûs eam immediatè subjunxi eâ ratione inductus, quòd 25. cap. Numer. ubi peccatum isthoc commemoratur, Scriptura 24. millia occisorum numeret, non verò 23. uti hoc loco contingit. Cajetanus existimat errorem contigisse in transcribendo. Oecumenius affirmat nonnullos prædicto capite 23. solùm millia legere. S. Thomas judicat numerum minorem, qui hic ponitur, comprehendi in majore alibi posito. Pace meâ nunc lector dijudicet, num hæ rationes vel conjecturæ sint satis firmæ, an verò magis fundata sit mea sententia, quandoquidem 32. cap. Exodi, ubi hebræi populi idololatria unà cum insecutâ vindictâ refertur, Romani Codices tantùm 23. millium meminerunt. Ad capitis calcem Apostolus iterato prohibet esum idolothytorum eâ de causâ, quòd Gentes exinde fortassis inferant, simulacra sua etiamnum in pretio & honore esse, & fideles patiantur scandalum, cùm nesciant esse indifferentia. Ostendit, quâ prudentiâ in conviviis, ubi apponuntur, quilibet se gerere debeat, omnibúsque magnopere commendat ædificationem sui proximi, ne quid fiat, quod ei offendiculo esse possit, vel progressum Evangelii remorari.

Cap. 11mo. damnat abusum Corinthiorum, quos inter viri capite velato, fœminæ verò nudo incedebant. Rationem dat, quòd vir sui sit juris, adeóque nullum signum servitutis gerere debeat, econtrà fœmina marito suo sit subdita, adeóque in publicum procedere non debeat absque

velo

velo in ſignum ſuæ ſubjectionis. Inde diſſertationem ordītur de cœnis communibus, Græci agapes vocant, inter primos Chriſtianos inſtitui ſolitis ad conſervandam mutuam inter fideles unionem ac dilectionem ad exemplum ultimæ cœnæ, quam Chriſtus Dominus cum Apoſtolis ſuis, antequam ex hoc mundo diſcederet, celebravit. Et inprimis invehitur in divites, qui pauperes mensâ ſuâ excludebant, & ipſi bene poti ac paſti, imò non rarò ebrii ſacræ menſæ accumbebant, more enim antiquo receptum erat, ut quilibet poſt frugalem refectionem accederet ad ſacroſancta myſteria. Poſtremus verſiculus, ubi Apoſtolus iis, qui alios præſtolari non poterant, indulget, ut domi ſuæ ſe reficiant, priusquàm Eccleſiam ingrediantur, luculenter demonſtrat, tum temporis ſacram Communionem à jejunis non fuiſſe acceptam. Hic ritus communis cœnæ adhuc in uſu fuit apud Ægyptios tempore Sozomeni, uti ipſe refert lib. 7. cap. 14. ſuæ hiſtoriæ. Concilium verò Laodicenſe hanc conſuetudinem ſuſtulit ob complures exceſſus irreverentiæ, qui irrepſerant. Certè à tempore Apoſtolorum nemini ampliùs, qui jejunus non eſſet, accedere licuit ad menſam Euchariſticam, unde Tertullianus ad uxorem ſuam lib. 2. cap. 5. in hæc verba ſcripſit: non ſciet maritus, quid ſecretò ante omnem cibum guſtes. Agit dein Apoſtolus de inſtitutione Sacroſanctæ Euchariſtiæ, demum declarat, quâ puritate præparanda ſit anima ad ſacram Communionem, quàm ſollicitè priùs diſcutere debeat conſcientiam ſuam, quantíque ſacrilegii ſe reos conſtituant, qui indignè recipere non verentur ſacroſanctum Chriſti corpus & ſanguinem.

Cap. 12. agit de unitate Eccleſiæ, probátque dona Spiritûs Sancti eſſe plurima, & non abſque ratione pulchrâ inter ſe varietate differre. Id ut planiùs explicet, paritate

utitur humani corporis ex pluribus membris compositi, quorum singula non uno eodémque loco collocata, aut officio prædita sint. Hortatur subin Corinthios, ut simultate omni depositâ charismatis acceptis contenti, alienis non invideant, tempore enim primitivæ Ecclesiæ unàcum baptismo eas gratias recipiebant, quas scholastici gratìs datas nuncupant, eò quòd dentur gratuitò, neque hominem idcirco sanctiorem, aut Deo gratiorem reddant, qualis est notitia linguarum, potestas patrandi miracula, intelligentia Scripturarum, & aliæ hujusmodi. Corinthii verò vanæ gloriæ, rerúmque novarum percupidi pluris faciebant donum linguarum, quàm alia, adeo, ut qui eo destituti essent, in illos murmurando insurgerent, quos eo dotatos & conspicuos esse nôssent miris laudibus extollerent. Hunc quoque abusum ipsis exprobrat, & gravi demum oratione eos excitat ad sectandas potiùs omníque studiô sibi comparandas eas gratias, quæ ad proximi ædificationem, animarúmque fructum maximè faciunt.

Cap. 13tio demonstrat charitatem virtutibus omnibus longè præcellere, absque eâ in vanum laborari, tempus malè perdi, & aërem tantùm verberari. In fine disserit de cognitione Dei, quam in hujus vitæ ergastulo admodum tenuem obscurámque habemus, longè clarissimam autem habituri sumus in cœlesti gloriâ.

Parte 1mâ. Capitis 14. reprehendit eos, qui cùm donô linguarum præditi essent, inde sibi mirum in modum plaudebant, aliósque infra se despiciebant. Ostendit, donum interpretandi sacras Scripturas, & fidei dogmata ritè explicandi longè præstantius esse, cùm ex isto fructus in proximum luculentus redundet, & utique, si variis linguîs loquentes non intelligantur, incassum garriant. Ut autem ista probè percipiantur, nôsse oportet, cùm in primitivâ Ecclesiâ


clesiâ gratiæ gratis datæ diversis diversæ obtingerent, contigisse haud rarò, ut, qui donum linguarum accepisset, quod loqebatur, explicare ad aliorum captum non valeret, propterea v. 13. monet Apostolus, ei, qui plurimum linguarum peritiam habet, implorandam enixè à Deo gratiam, ut à suis auditoribus etiam intelligi possit, illísque explanare, quod Spiritus Sanctus ei suggesserit. Alterâ parte explicat, quâ ratione utendum sit hisce donis sive linguarum, sive interpretationum, ut inde fructum Ecclesia hauriat, & mutua servetur inter fideles concordia æmulatione omni sublatâ. Prænotandum hic ulteriùs, quando primorum temporum Christiani ad celebrandas suas agapes (de his enim hoc capite sermo est) conveniebant, descendisse nonnunquam in illos Spiritum Sanctum, & modò his inspirâsse futurorum notitiam, modò illis interpretationem divini verbi, aliis cantica ad laudandum Deum, aliis donum linguarum. His ita expeditis præscribit Apostolus ordinem servandum in sacris conventibus, in quibus mulieres vetat loqui, iísque, qui suis legibus refractarios sese ostendere non veriturі essent, gravissimam supremi Numinis indignationem ac vindictam intentat.

Cap. 15. de Resurrectione disserit, eámque, quæ omnes homines concernit, ex gloriosâ Christi anastasi probat, nec non ex eâ consuetudine, quam nonnulli ex ipsis habebant, se in eorum locum baptizandi, qui absque baptismo è vivis decesserant. Hæc expositio mihi præplacet, quòd videatur magis accedere ad genuinum litteralem sensum præ aliis, quódque mens Apostoli allegantis observantiam quandam superstitiosam fuerit demonstrare ad oculum, quòd sibi ipsis contradicant negando resurrectionem, quæ enim baptismi utilitas, si corpora non resuscitantur? Tertullianus hunc

hunc textum ita explicat non uno loco. S. Chryſoſtomus, Ambroſius, & Primaſius in ſuis commentariis ejusdem ſunt ſententiæ. Doctor Angelicus de ſuffragiis mortuorum diſſerens ſibimet hunc textum opponit, diſſolvitque dicendo, hoc loco Apoſtolum tantummodò loqui ſecundùm aliquorum errorem, qui baptiſmum pro mortuis ſuſcipiebant. His teſtimoniis multas poſſem rationes adjicere ad comprobandam meam explanationem, quam tamen perinde ut alias omnes Eccleſiæ judicio ſubmitto. Ad extremum diſcurrit de ordine futuræ reſurrectionis, déque differentiâ non modicâ inter glorioſa corpora.

Poſtremo capite omnes excitat ad eleemoſynas contribuendas pro fidelibus Jeroſolymæ. Sciendum enim tantum fuiſſe primorum Chriſtianorum fervorem, ut omnes ſuas facultates ad pedes Apoſtolorum depoſuerint pauperibus poſtmodum diſtribuendas, quo factum ut & ipſi indigerent reciprocè aliorum liberalitate ad vitæ ſuſtentationem. Id ubi Apoſtoli animadverterunt, collectas præceperunt fieri in omnibus Eccleſiis ad ſublevandam eorum inopiam. Ob eam ipſam rationem ad initium hujus capitis præſcribit Corinthiis circa modum & ordinem colligendæ ſtipis eandem legem, quam ſtatuerat in Eccleſia Galatarum. Tum pollicetur ſe ad eos inviſurum, Apollo autem excuſat, quòd is necdum ad eos ſe contulerit, ſpémque facit, venturum proximè. Demum commendat ipſis Thimotheum, ùt omni honore digniſſimum, quo etiam utitur ad perferendam epiſtolam, & exempla Stephani, Fortunati, Achaici imitanda proponit. Claudit epiſtolam conſuetis ſalutationibûs, iiſque pro ſuo zelo anathema dicit, qui JEſum Chriſtum debito amore non proſequuntur.

Pa-



PARAPHRASIS IN EPISTOLAM PRIMAM D. PAULI AD CORINTHIOS.

Caput Primum.

1. PAulus gratuitâ Dei voluntate ex persecutore nominis Christiani in Apostolum Evangelii electus junctis unà cum fratre Sosthene votis 2. non solùm fidelibus Corinthi baptismate lustratis, & ad vitæ sanctimoniam sublimi statui consentaneam vocatis, adeóque vocatione, professione & debito sanctis, sed etiam omnibus aliis, qui JesuChristo suo ac nostro Domino constanti fide devincti ejus nomen invocant, ubicunque terrarum degant, 3. salutem dicit, gratiámque& pacem à bonorum omnium fon-

1. Paulus vocatus Apostolus JEsu Christi per voluntatem Dei, & Sosthenes frater,

2. Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo JEsu, vocatis sanctis cum omnibus, qui invocant nomen Domini nostri JEsu Christi, in omni loco ipsorum & nostro.

3. Gratia vobis, & pax à Deo Patre no-

stro, & Domino JEsu Christo.

4. Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratiâ Dei, quæ data est vobis in Christo JEsu:

5. Quòd in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientiâ:

6. Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis:

7. Ita ut nihil vobis desit in ullâ gratiâ, exspectantibus revelationem Domini nostri JEsu Christi,

8. Qui & confirmabit vos usque in finem sine crimine, in die adven-

fonte Deo Patre nostro, ac Domino JEsu Christo ex animo precatur. 4. Dilectissimi fratres, gratias ago Deo meo immortales, idque quotidie pro supernis favoribus tam liberali manu in vos congestis per merita JEsu Christi. 5. Quódque vos omni genere cœlestium charismatum abundè locupletârit revelans vobis grandia illa Evangelii sui mysteria, & verborum copiam iis explicandis idoneam suggerens, 6. quâ in re ejus promissiones factæ vobis in susceptione baptismi adeo ad amussim impletæ sunt, ut neque vos, neque alii ambigere ampliùs possitis, quin verissima sint, quæ vobis annuntiata fuerunt, & quin reipsâ sitis filii Dei. 7. Et sanè nulla vobis deest gratia, sive ad salutem vestram necessària, sive ad aliorum profectum in spiritu conducens, vobis, inquam, qui exspectatis auspicatissimum illum diem, quo Dominus noster JEsus Christus totum splendorem gloriæ ac Majestatis suæ orbi universo conspicuum exhibebit, quem modò ad acuendam fidem oculis nostris subducit. 8. Non diffiteor, dum vitam in terris degitis, rem vobis esse cum præpotentibus adversariis, is tamen, qui stre-

ſtrenuè dimicantibus coronam glo-
riæ pollicetur, ſuâ ope vobis aderit,
gratiámque largietur tranſigendi vi-
tæ veſtræ curriculum absque omni
graviori noxâ usque ad adventum Do-
mini noſtri JEſu Chriſti. 9. Deus
promiſſis ſuis ſtat firmiſſimè, & non
ſolùm verax eſt, ſed ipſa veritas,
quare cùm in ſocietatem & eccle-
ſiam filii ſui Domini noſtri JEſu Chri-
ſti vos vocaverit, minimè poteſtis
ambigere, quin vobis ſemper ſit aſti-
turus & opitulaturus, donec eo diri-
gente pertingatis ad hæreditatem
vobis præparatam in cœlis. 10.
Quandoquidem autem filii eſtis e-
jusdem Patris, & hæredes ejusdem
coronæ, obteſtor vos, fratres mei,
in nomine Domini noſtri JEſu Chri-
ſti, ut ſepoſitâ omni æmulatione &
contentione unâ mente, corde &
ore conſpiretis omnes in unitatem
& conſenſionem perfectam circa E-
vangelicæ doctrinæ veritates. Ne-
que id absque ratione poſtulo, 11.
intellexi enim ex domeſticis non-
nullis familiæ Chloës, quotidie in-
ter vos novas gliſcere opinionum,
verborúmque pugnas ac velitationes.
12. Hic Paulô Magiſtro gloriatur,
ille ab Apollò ſe baptizatum pluris

tûs Domini noſtri JEſu Chriſti.

9. *Fidelis Deus: per quem vocati eſtis in ſocietatem filii ejus JEſu Chriſti Domini noſtri.*

10. *Obſecro autem vos fratres per nomen Domini noſtri JEſu Chriſti, ut id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchismata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eâdem ſententiâ.*

11. *Significatum eſt enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis, qui ſunt Chloës, quia contentiones ſunt inter vos*

12. *Hoc autem dico, quod unusquisque ve-*

ſtrûm dicit: ego quidem ſum Pauli: ego autem Apollo: ego verò Cephæ: ego autem Chriſti.

13. *Diviſus eſt Chriſtus? Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati eſtis?*

14. *Gratias ago Deo, quòd neminem veſtrûm baptizavi, niſi Criſpum & Cajum:*

15. *Ne quis dicat, quòd in nomine meo baptizati eſtis.*

16. *Baptizavi autem & Stephanæ domum, cæterùm neſcio, ſi quem alium baptizaverim.*

17. *Non enim miſit me Chriſtus baptizare,*

æſtimat, iſte converſionem ſuam Cephæ cum plauſu adſcribit, alius verò cæteris prudentior agnoſcit, ſe luſtralibus undis fuiſſe regeneratum ſolâ virtute JEſu Chriſti. 13. Quid igitur? an exiſtimatis JEſum Chriſtum hac ratione dividi poſſe, ac veluti in partes diſſecari? cur igitur unam Chriſti religionem ac fidem in varias quaſi ſectas ac factiones diſcerpitis? an hominibus acceptum referre vultis, quod uni Deo debetis? num pro vobis (ut hoc exempli gratiâ dicam) Paulus affixus eſt cruci? aut in nomine Pauli baptiſmô expiati eſtis, quandoquidem adeo ineptè & perperàm de rebus fidei Chriſtianæ judicatis, ut exiſtimetis, baptiſmum vim ſuam accipere ab ejus Miniſtro, ejúsque dictamina omnia pro infallibili morum regulâ cœcorum more amplectimini? 14. Ego ſanè grates Deo habeo ſingulares, quòd nemini Sacramentum baptiſmi adminiſtraverim, niſi Criſpo & Cajo, uti & piæ familiæ Stephanæ. 15. Ne quis edicere queat, ſe in nomine meo baptizatum fuiſſe. 16. Non enim memini, me quemquam alium, quàm præfatos ſacro fonte luſtrâ're. 17. Neque enim à JEſu Chriſto miſſus ſum

sum ad baptismum conferendum, sed ad annuntiandum cunctis Gentibus & nationibus ejus Evangelium, idque oratione simplici & planâ, non floridâ, non artificiosâ, non subtili & argutâ, ne meritum crucis reddatur inane, meique auditores eloquentiæ emphasi fors suam conversionem attribuant. Nullus dubito, sensa ac judicia eorum admodum diversa esse & contraria, quando verba facio de mysteriis adeo reconditis ac sublimibus. 18. Iis enim, qui nimiâ sapientiæ suæ æstimatione inflantur, crucis prædicatio delirationis cujusdam perspicuum videtur signum esse atque argumentum, qui autem tam grande mysterium submissâ promptâque fide amplectuntur, salutique suæ consultum volunt, in infirmitate & opprobrio crucis agnoscunt ac venerantur eximiam divinæ omnipotentiæ virtutem triumphantis de mundi fastu atque prudentiâ, illisque incomparabiles vires conferentis ad propulsandos ac debellandos suos adversarios, quæ sanè non ita emineret, & quasi in tenebris emicaret, si vel ab humanarum artium, vel creatæ sapientiæ, vel ullius denique rei interituræ subsidio præsidióve

sed evangelizare: non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi.

18. *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est: iis autem qui salvi fiunt, id est, nobis, Dei virtus est.*

19. *Scriptum est enim: perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.*

ve penderet. 19. Priusquam hoc eveniret, dudum ante id prædixerat Dominus per Isaiam prophetam, qui Apostolicæ prædicationis gloriam non tanquam futuram sed tanquam præsentem divino afflatus numine descripsit cap. 29. sapientiam sapientum confundam auferendo eis omnem veri notitiam, & sagacitatem prudentium rejiciam tanquam inanem & evanidam.

20. *Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?*

20, Multa habeo insignia prorsus miráque in terris patranda, quando autem opportunum tempus id præstandi advenerit, quomodo tandem evanescet arrogantia philosophorum? quanta erit legisperitorum confusio & ignominia? quanta consternatio sciolorum hujus sæculi? Isai. c. 33. vaticinia hæc nunc videmus impleta. Nunquid enim verissimum, JEsum Christum vitæ suæ rationes ac mortis subeundæ modum longè aliter instituisse, quàm prudentia humana sibi imaginari potuerit, ejúsque reverà cœcam dementiam crassámque ignorantiam palam fecisse?

21. *Nam quia in Dei sapientiâ non cognovit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.*

21. Sapientes hujus sæculi noluerunt sapientiam Dei agnoscere in admirandâ hujus universi creatione, & ordinatissimâ rerum omnium connexione, ubi

ubi tam manifestè relucet, Deus autem ad confundendam eorum superbiam voluit gloriæ suæ participes reddere, qui fidem habituri essent prædicationi doctrinæ pro insigni stultitiâ ab aliis reputandæ & exsibilandæ. 22. Judæi rebus admirabilibus assueti, quæ in lege veteri divinitùs contigerunt, prodigia & signa exspectant, Græci requirunt eloquentiæ flores & argumentorum copiam atque vim demonstrativam, quare neutiquam mirum videri debet, si aures nobis præbere respuant, 23. prædicamus enim mysterium omni naturali sapientiâ sublimius, omnibúsque prodigiis prodigiosius Christum Dei Filium affixum cruci, quod objectum judæi, tanquam scandalum & probrum suo Messia ac Reparatore indignum execrantur, Gentes verò quæ tantam Numinis abjectionem non capiunt, ut fabulam vel delirium explodunt. 24. Illi duntaxat, quos divina bonitas dignata est veræ fidei notitiâ collustrare, sive Judæi, sive Græci hunc hominem pro nobis mortuum religioso adorationis cultu & amore tenerrimo complectuntur tanquam Virtutem & Sapien-

22. *Quoniam & Judæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt:*

23. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam;*

24. *Ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam:*

pientiam increatam Patris cœlestis.

25. Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.

25. Et sanè minimè hac in re hallucinantur, quandoquidem actiones Dei, quæ videntur rationi ac prudentiæ minùs consentaneæ, & à supremâ illâ Majestate alienæ, longissimè sapientiâ suâ transcendunt omnẽ hominum calliditatem atque prudentiam, quodque in illis infirmum & inefficax cœcis mortalibus apparet, tantæ virtutis est, atque potentiæ, ut natura universa viribus junctis simile quid nequaquam efficere valeat, Christus enim cruce, passione, & morte suâ, quâ quasi devictus videbatur, mundum universum vicit, suóque imperio subjugavit, inquit S. Ambrosius, & Anselmus.

26. Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles:

26. Observate, quæso, fratres mei, quinam Evangelio, Christóque nomen dederint, deprehendetis sanè raros admodum litterarum peritiâ insignes, opibus & auctoritate valentes, genere & majorum natalibus conspicuos.

27. Sed, quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia;

27. Deus admirabili providentiæ suæ arcanô seligere voluit ejusmodi, quos mundus aspernabatur tanquam stupidos, ut sapientes confunderet, infirmos præterea, ut præpotentes subigeret,

28. Et ignobilia mundi & contemptibilia ele-

28. ab omnibus despectos, ut deprimeret ar-

ro-

rogantiam eorum, qui sive nascendi sorte, sive præclaris naturæ dotibus potestatem sibi in alios & gratiam apud omnes comparaverant, sesé-que magnificè circumspicientes contemptui habebant cæteros, credebántque se rerum omnium notitiâ præditos aliorum magisteriô, consilio, auxilio minimè gentium indigere. Imò quæ mundi opinione non sunt alicujus notæ aut momenti, sed pro nihilo reputantur, assumpsit Deus, ut ea, quæ maximè eminent, atque extant, quæque incredibilem sui admirationem apud homines excitant, everteret, destrueret, & in nihilum redigeret. Ita cernimus Apostolos cæterósque discipulos Christi, plerósque, neque nobiles, neque divites, neq; humanâ sapientiâ præditos omnẽ philosophorum scientiam, divitum gloriam ac principum potentiam superâsse, & quod magìs admirandum, rudes atque imperitos ad Christi fidem traductos, & virgines, puerósque imbelles de tyrannis ac morte, ipsóque adeo inferorum principe triumphâsse. 29. Id autem eo consiliô fecit, ut animi demissionem fidelium mentibus altè imprimeret, præpediretque, ne coram ipso gloriari aude-

git Deus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret.

29. Ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.

audeRent, quasi scientiâ suâ, nobilitate, aliísve insignibus meritis dignos se præ aliis reddiderint, qui ad fidem, vel munus apostolicum vocarentur. 30. Illud itaque persuasissimum vobis habete, meram esse Dei bonitatem ac gratiam, quòd admissi fueritis ad unionem & amicitiam intimam cum Christo Domino, cujus meritis vestram sapientiam, justitiam, sanctificationem, redemptionem unicè debetis, quódque Deus seipsum vobis dederit, ut in ipso hæc omnia simul habeatis. Ubi enim, ut verbis utar D. Bern. in Cant. serm. 22. vera prudentia, nisi in Christi doctrinâ, ubi vera justitia, nisi de Christi misericordiâ &c. Christus factus est nobis sapientia in prædicatione, justitia in absolutione peccatorum, sanctificatio in conversatione, quam habuit cum peccatoribus, redemptio in passione, quam sustinuit pro peccatoribus, 31. ut adeo si quâ de re gloriari velitis, non in vestrâ sapientiâ, viribus, aut meritis, sed solùm in Domino ùt Scriptura loquitur, gloriemini, eúmque publicè prædicetis tanquam fontem & originem bonorum omnium, quibûs modò abundatis.

30. *Ex ipso autem vos estis in Christo JEsu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio.*

31. *Ut quemadmodum scriptum est: qui gloriatur, in Domino glorietur.* (a)

(a) Jerem. 9.

PARA-

PARAPHRASIS

CAP. II.

1. MEmineritis utique, fratres mei, me secundùm hanc divinæ providentiæ agendi rationem neque ornamenta eloquentiæ adhibuisse, neque subtilem philosophorum more ratiocinationem, quando vobis Evangelium promulgavi, ejúsque infallibili testimoniô miserationes Dei ter Optimi Maximi, & eminentem JEsu Christi dignitatem declaravi. 2. Unica scientia, quam me probè callere inter vos reputavi, quámque cæteris omnibus sapientiæ præsidiis longè præfero, ea est, quam de JEsu Christo, eóque pro hominum salute cruci affixo per Dei gratiam habeo. 3. Meis equidem ipse viribus ut plurimùm diffisus, meæque tenuitatis probè conscius omni, quâ poteram, demissione, animique candore vobiscum conversatus sum assiduè sollicitus, ne Evangelii progressum remorarer ratione meâ vivendi ac prædicandi. 4. Idcirco, quan-

1. *Et ego, cùm venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis te[stimonium] Christi.*

2. *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi JEsum Christum, & hunc crucifixum.*

3. *Et ego in infirmitate & timore, & tremore multo fui apud vos:*

4. *Et sermo meus, &*

prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs & virtutis:

quando mysteria religionis seu publicè, seu privatim exponenda erant, diligenter cavi, ne aures vestras aut verborum exquisitorum lenociniis, aut eruditâ speciosorum argumentorum copiâ demulcerem, sed usus sum firmis paribúsque rationum momentîs, quæ & rem certò concluderent, & divinam potentiam sapientiámque luculenter demonstrarent.

5. Ut fides vestra non sit in sapientiâ hominum sed in virtute Dei.

5. Spiritus divinus prædicationi meæ virtutem indidit, ejúsque veritatem atque soliditatem miraculîs comprobavit, ne quis existimaret, facundiâ meâ vos ad fidem inductos, sed manifestè omnes agnoscerent, eam non ex artificio humanæ eloquentiæ, sed ex altiori virtute divinæ gratiæ provenire, quæ miris & occultis modîs in hominum animis agit, intelligentiam cœlesti lumine perfundens, & suaviter excitans atque adjuvans voluntatem.

6. Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam verò non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur:

6. Meâ parùm interest, quid Gentes sentiant de meâ doctrinâ, cúmque sciam eam intellectu humano comprehendi haud quaquam posse, nisi cœlestis gratiæ adminiculum accedat, hinc neutiquam miror, si ridicula eis appareat. Vobis fratres mei, quos Deus suâ luce collustravit, quósque allo-

alloquimur ùt principiis fidei probè instructos, annuntiamus mysteria sublimis sapientiæ ab eâ longè diversæ, quæ solùm terrena hæc & inferiora contemplatur, quámque Philosophi, Oratores, Politici, hujus sæculi heroës, qui nunc arrogantiæ suæ fastigium Evangelii prædicatione depressum atque pessumdatum cernunt, tantopere priùs venditare consueverunt. Doctrina, quam illi in suis lyceis tradunt, methodúsque eam explicandi sensui rationíque humanæ admodum conveniunt, 7. sapientia tamen, de quâ loquimur, longè supra utriusque captum est, & plena mysteriis, quæ solâ fide possunt intelligi, & ante omnia sæcula ordinata fuerunt, ut ad nostra tempora devolverentur, nósque credendo perducerent ad metam felicitatis æviternæ. 8. Principes hujus sæculi ignorârunt eam, nempe dynastæ, pontifices, ac magistratus, nam si quâ ratione illam cognitione vel eminùs attigissent, intellexissentque, quid Christi mors tum in hac mortali, tum in aliâ sempiternâ vitâ paritura esset, nequaquam profectò Dominum gloriæ tam nefariè atque impiè egissent in crucem. 9. Nolite

7. *Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram,*

8. *Quam nemo principum hujus sæculi cognovit: si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

9. *Sed sicut scriptum*

est: quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum:

10. *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.*

11. *Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.*

12. *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis:*

13. *Quæ & loquimur non in doctis huma-*

te autem mirari hanc ignorantiam divinæ sapientiæ adeóque & cœlestis gloriæ, ad quam illa tanquam ad finem ultimum omnia ordinat. Sacræ paginæ enim nos docent, neque oculis hominum unquam visa, neque auditu accepta, neque ullâ imaginatione unquam percepta fuisse, quæ Deus, eâ quâ par est, charitate se diligentibus proposita esse voluit, atque parata, 10. nobis autem manifestare dignatus per spiritum suum, qui omnia novit etiam intima divinitatis arcana: 11. Sicut enim nemo novit ea, quæ sunt in humanâ mente recondita, nisi is ipse hominis spiritus, qui in eâ residet, & agit, ita profectò quæ Dei sunt, & ad illius sive naturæ majestatem sive occultam providentiam pertinent, nemo perfectè intelligit, nisi spiritus Dei, qui omnem divinitatis plenitudinem in se continet. 12. Nos autem non accepimus spiritum, qui docet ea, quæ mundus curat, sed spiritum qui ex Deo est, quique nos ad Deum usque subvehat, ut intelligamus, quanta sit præcellentia favorum, quos ipse nobis exhibuit, quósque vobis annuntiavimus, 13. verbis non ab humanâ sapientiâ, sed à spiri-

tu

tu divino dictatis, quæ ita rebus accommodamus, ut ſicut ſpiritualia ſunt, quæ docemus, ita etiam modus ea explicandi ſpiritualis ſit, & nil terrenum aut materiale ſapiat. 14. Homo quidem non aliâ quàm naturali animi luce & cognitione præditus non percipit ea, quæ ſunt Spiritûs Dei, quippe illa pro deliramentis ridiculis habet aſſenſu indignis, eò quòd mente terreſtri, craſſâ, ſenſibúsque immerſâ, & pingui, ut ajunt, Minervâ, aut ſecundùm principia rationis humanæ diſcutit, quod examinandum eſſet cœleſti quadam intelligentiâ, ab omni fæce depuratâ, & per fidem ſupra vires conſuetæ ratiocinationis elevatâ. 15. Non ſic homo ſpiritualis, qui luce divini ſpiritûs colluſtratur & agitur, capit enim altiſſima fidei myſteria, judicium de qualitate rerum fert, prout ſunt in ſe, & non prout apparent, ut eas vel amore vel odio proſequatur, ut iis vel abſtineat, vel utatur, eas æſtimet vel contemnat pro meritis: hæc ipſa verò lux, quæ ipſum ſupra omnia elevat, & in judicem aliorum erigit, facit, ut à nemine alio judicari poſſit de ſuâ agendi ratione, quæ conformis eſt immutabili legi divinæ juſtitiæ

næ ſapientiæ verbis, ſed in doctrinâ ſpiritûs, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes.

14. *Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritûs Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere: quia ſpiritualiter examinatur.*

15. *Spiritualis autem judicat omnia: & ipſe à nemine judicatur.*

tiæ, neque redargui in suâ sententiâ per hominem animalem, quia ea consentanea est veritati, quæ soli Deo perspecta est, iisque, quibus ab eo per revelationem communicatur.

16. *Quis enim cognovit sensum Domini, qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus.*

16. Quis enim, uti Scriptura perhibet, novit mentem Domini, ut quasi collatis consiliis quid ei agendum sit, certò præscribat, atque adeo spiritualem arguere possit atque condemnare? nemo utique, sed ipse ineffabili suâ bonitate manifestavit divina sua consilia per JEsum Christum, ejus spiritum nobis impertiendo, qui nobis arcana illa alioqui abdita & occulta, atque humanæ imbecillitati penitus inscrutabilia, omnémque adeo veritatem patefecit.

PARAPHRASIS

CAP. III.

1. *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo*

1. Splendidè vos ipsos decipitis, fratres mei, si existimatis, vos rerum omnium, quæ scitu sunt necessariæ, plenam, absolutámque possidere notitiam: tametsi enim sublimia sint, quæ à nobis accepistis, longè

gè tamen ſublimiora ſunt, quæ vobis ſignificanda reſtant. Nolui ea vobis ſtatim manifeſtare, quandoquidem vobiſcum agendum cenſui tanquam cum iis, qui nondum omnem mentis caliginem diſſipaverant, ac proin minimè idonei erant ad concipiendam perfectam rerum omnium divinarum ſcientiam, quippe qui intellectu adhuc craſſiore vix è tenebris idololatriæ utcunque emerſerant. Quemadmodum enim mater paulò prudentior parvulis ſuis aliud nutrimentum non porrigit niſi lac, quòd eorum debiliores ſtomachi ſolidiorem cibum digerere nequeant, 2. ita etiam vobis faciliora ſolùm myſteria tanquam prima Chriſtianæ religionis initia, & veluti rudimenta tradidi, cùm probè ſcirem, quòd tanquam recenter in Chriſto geniti necdum pares eſſetis comprehendendis ſublimioribus: & ne nunc quidem eſtis, contrarium ſiquidem profitemini, nempe ſtatum adhuc animalem, cui non niſi terrena, & quæ ſenſibus blandiuntur, ſapiunt. 3. Diſſidia & æmulationes, quæ inter vos gliſcunt, nunquid palam oſtendunt, vos non ſecundùm ſpiritum, ſed ſecundùm carnem e-

2. Lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis: ſed nec nunc quidem poteſtis: adhuc enim carnales eſtis,

3. Cùm enim ſit inter vos zelus & contentio: nonne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis?

tiam- E e

etiamnum ambulare, parúmque à cæteris hominibus diſcrepare, qui minimè credunt, quæ veſtra vos fidei Chriſtianæ profeſſio edocet.

4. Cùm enim quis dicat: ego quidem ſum Pauli alius autem: ego Apollo, nonne homines eſtis? Quid igitur eſt Apollo? quid verò Paulus?

4. Enimverò, cùm verbis invicem contenditis dicendo: ego ſum Pauli diſcipulus, ego verò Apollo &c. quid aliud hæc ſibi volunt, & indicant, quàm vos adhuc carnales eſſe, vos inſtar puerorum inaniter de dignitate magiſtrorum veſtrorum contendere, dum hic ſuum Paulum, alter ſuum Apollo præfert, & venditat. Quòd Magiſtros veſtros cultu ac honore proſequimini, id equidem non improbo, hac tamen in re moderationem debitam requiro. Quid ergò (replicabitis) ſentiendum nobis de Paulo? quid de Appollo?

5. Miniſtri ejus, cui credidiſtis, & unicuique ſicut Dominus dedit.

5. Reſpondeo, eos eſſe præcisè Miniſtros Altiſſimi, in quem creditis, & quemlibet eorum ſuo fungi miniſteriô ſecundùm menſuram gratiæ ſibi à Domino collatæ.

6. Ego plantavi, Apollo rigavit: ſed Deus autem incrementum dedit.

6. Equidem ſi dicendum ſit, quod res eſt, nihil auſim mihi arrogare præter obſequium, & Miniſtri functionem. Ego igitur prima jeci in mentibus veſtris ſemina fidei, Appollô ea excoluit, ſuíſque admonitionibûs ac præceptis quodammodo rigavit, ſolus au-

tem

tem Deus suo spiritu ac vigore indito ea animavit, atque ad maturitatem perduxit. 7. Quemadmodum autem neque industriæ plantantis, neque sollicitudini irrigantis præcipua laus fructûs inde germinantis tribuitur, sed soli, qui calore & influxu suo vigorem ac nutrimentum suppeditat, plantámque maturescere facit, ita profectò neque nobis illustre fidei donum debetis, sed invisibili & increato soli, Numini videlicet supremo. Profectus vester in spiritu ejus potissimùm benignitati adscribendus est, absque eo omnis nostra diligentia inutilis foret ac supervacanea. 8. Cùm ergò & qui plantat, & qui rigat, ministri sint ejusdem Domini, eódemque labores conatúsque suos referant, ac eandem omnino doctrinam annuntient, pari eos affectu ac benevolentiâ complecti debetis, & neutiquam eorum causâ in diversas partes distrahi, sua cuilibet merces suo tempore pro ratione impensi laboris obveniet. 9. Interim Dei sumus administri, atque ejusdem operis quodammodo participes & adjutores: vult siquidem, ut junctis cum eo viribûs collaboremus in excolendis mentibus, quas sibi tan-

7. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus.

8. Qui autem plantat, & qui rigat, unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.

9. Dei enim sumus adjutores: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.

tanquam agrum delegit ad inserenda pulcherrima virtutum germina, desiderat etiam (ut diversâ metaphorâ Hebræorum more rem eandem explicem) ut auxiliares ei manus commodemus ad erigendum illud ædificium, quod in vobis ipsis extruere dignatur.

10. *Secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi, ùt sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat. Unusquisque autem videat, quomodo superædificet.*

10. Me quod attinet, opitulante cœlesti gratiâ Dei, cœpi instar periti architecti fundamenta jacere illius, quæ in vobis est, spiritualis substructionis, cùm autem ratione ministerii aliò avocatus fuissem, à nostro discessu alius manum admovit promovendæ in altum fabricæ. Hìc ego eos alloquor, qui vobis prædicant, atque quàm possum enixè obtestor, ut non solùm diligenter attendant ad rem & materiam, quam præ manibus habent, sed etiam ad formam modúmque eam tractandi.

11. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus JEsus.*

11. De fundamento quidem nulla est difficultas, certum etenim est, unicum ædificii Christiani fundamentum esse Jesum Christum, cujus vobis fidem doctrinámque complectendam proposuimus, neque aliud præter ipsum poni posse absque gravissimâ ejus offensâ, & impietatis notâ, non omnes autem, qui supra hanc petram ædificant,

cant, vel eâdem utuntur materiâ, vel formâ ac methodo. Sunt enim inter Evangelii præcones, qui ingenti animarum zelô inflammati, solíque gloriæ Jesu Christi propagandæ intenti utilem solidámque doctrinam tradunt. Sunt etiam, qui reipsâ nihil in medium afferunt, quod religionis nostræ dogmatis repugnet, & verò modus proponendi ingeniosis argutiîs, verborum sententiarúmque flosculis plus nimio inspersus vanitatem sapit, pompam, ostentationem, & ad popularem auram captandam, ad inanem plausum aucupandum factus videtur. 12. Illi magnificum quoddam palatium ex auro, argento, lapidibúsque pretiosis ædificare videntur, hi verò malè compactum ex ligno, fœno, & stipulâ tugurium erigere. 13. Nolite porrò in animum inducere, hanc operum diversitatem tenebris semper involutam mansuram, veniet aliquando tremenda illa dies Domini, quæ extremum cuique occasum afferet, & igne omnia perlustrante in lucem proferet cujuslibet agendi rationem in suo ministerio evangelico: quemadmodum enim splendor ignis res absconditas detegit, ejúsque ardor vehe-

12. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam,

13. Uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & unius cujusque opus quale sit, ignis probabit.

hemens præstantiam auri probat, ita etiam supremum Dei, qui est ignis consumens, judicium dissipabit tenebras cordium, & oculis omnium mortalium piacula hactenus occulta exhibebit.

14. *Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet.*

14 Si quis igitur ejusmodi materiam solidam ac firmam superædificaverit, quæ vim ignis illiúsque rigidi examinis perferat, atque illæsa inviolatáque permaneat, is sui laboris atque industriæ fructum amplissimum capiet, & justam ab immortali Deo mercedis compensationem percipiet.

15. *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit: sic tamen quasi per ignem.*

15. Cujus verò ædificium in favillam & cinerem redactum fuerit, quòd ex eâ materiâ constet, quæ ignis ardorem perferre non possit qui nimirum vanam minimé-que solidam suæ prædicationis rationem coram gravissimo illo Judice defendere haudquaquam poterit, non minorem incurret ignominiam, quàm architectus quispiam, qui post absolutam ex materiâ minùs durabili fabricam alium operis ac laboris sui fructum non refert, quàm opprobrium, & dolendam necessitatem eam contemplandi in cineres intra momentum redactam. Nihilominus contingere adhuc poterit, ut salvus ex hoc judicio ac incendio evadat,

dat, eâ tamen ratione, quâ qui necessariò per ignem transeunt, vitâ quidem incolumi evadunt, ustulatis tamen & fumigantibus adhuc vestimentis & crinibûs. Nempe labor omnis imprudentis hujus Ministri Evangelici inanis erit & irritus, quidquid vitiosum, minúsque sincerum supra fundamentum cæterà bonum ædificaverit, igne consumetur, meritorum omnium jacturam patietur, quæ tamen non exigua prædicando sibi comparâsse imaginabitur, idque quoniam suæ potiùs gloriæ, quàm aliorum utilitati studuit, hinc igne purgante probandus erit atque expiandus. Jam verò si isti, qui sanam cæteroquin doctrinam verborum fucô vel vanitatis stibio modicè corrumpunt, tam rigidè plectuntur, quid illis fiet, qui falsa vobis annunciant, animásque vestras pervertunt,
16. quæ tamen, ut in ædificii metaphorâ persistamus, sunt præclarum & sacrosanctum Dei templum, in quo Spiritus Sanctus tanquam in domicilio sibi consecrato sedem suam collocatam habet. 17. Quare qui sanctitatem violant, & destructionem attentant, ipsi destruentur; & peribunt; Deus enim ardenti æmulatio-

16. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?*

17. *Si quis autem Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus: templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.*

latione hæc domicilia cuſtodit, quæ ſibi pro ſuo cultu & obſequio delegit, ſique ſacrilegis templorum materialium incendiariis non parcit, multò minùs parcet impiis templorum ſuorum vivorum atque ſpiritualium profanatoribus.

18. *Nemo ſe ſeducat: ſi quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens.*

18. Attendite ergò vobis, ô prædicatores, ne blanda capacitatis veſtræ perſuaſio vos faſcinet, ne prudentiæ ac doctrinæ exquiſitæ vana titillatio vos in transverſum agat, Iſta potiùs, quæ & gentibus communia ſunt, contemnite, & ut verè ſapientes efficiamini, eſtote ſimplices, & hanc, quam tanti facimus, induite Chriſti ſtultitiam, id eſt, credite firmiter, & prædicate ſincerè & abſque fuco chriſtiana dogmata, quæ hominibus paradoxa eſſe videntur.

19. *Sapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum. Scriptum eſt enim: comprehendam ſapientes in aſtutiâ eorum.*

19. Hæc enim mundi ſapientia, quæ prædicatur, atque admirationi eſt inter mortales, reverà apud Deum juſtiſſimum rerum æſtimatorem nihil eſt aliud, quàm mera ſtultitia: ſcriptum eſt enim Jobi 8. Sapientes eorum propriis laqueis, quibùs alios callidităte ſuâ implicare volebant, irretitos capiam.

20. *Et iterum: Dominus novit cogitationes ſapientium, quoniam vanæ ſunt.*

20. Iterum Pſ. 93. novit Dominus vanas ac prorſus inutilies eſſe cogitationes ſapientum, ſive dum

dum ſuam ſapientiam inſolentiùs prædicant, séque magnificentiùs circumſpiciunt, ſive dum imperitam multitudinem ſuperſtitioſâ idolorum veneratione imbuunt. 21. Nemo itaque veſtrûm deinceps ſuis Magiſtris tantâ æmulatione ſit addictus, & inde ſibi auctoritatem comparare ſtudeat, quòd denique hominum ſit diſcipulus. 22. Hi ipſi enim, qualescunque ſint, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas, quin mundus univerſus, vita quoque & mors adeo ſibi oppoſita, præſentia denique, quæ poſſidetis, futura, quæ ſperatis, veſtra ſunt, vobíſque ſervire tantummodo debent ùt inſtrumenta & adminicula ad ſalutem veſtram à Deo immortali ordinata 23. Vos autem eſtis JEſu Chriſti, ſecuti & JEſus Chriſtus eſt Dei filius, cui ſemper obtemperavit, ad cujus etiam gloriam quæcunque agebat, retulit, unde ejus exemplô omnia pariter ad ejus honorem, non autem veſtrum referre, eíque perfectam ac conſtantem obedientiam præſtare debetis.

21. *Nemo itaque glorietur in hominibus.*

22. *Omnia enim veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura: omnia enim veſtra ſunt:*

23. *Vos autem Chriſti: Chriſtus autem Dei.*

PARAPHRASIS

CAP. IV.

1. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.*

2. *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.*

3. *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die: sed neque meipsum judico.*

4. *Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est.*

1. ITaque alium characterem nec habemus, nec in nobis considerare debetis, quàm quòd simus Ministri JEsu Christi, quibus animarum vestrarum directionem, suorum charismatum dispensationem, ac provinciam revelandi ejus mysteria demandavit. 2. Illud tantummodo controversum & discutiendum nunc restat, num qui munus isthoc sibi impositum habet, eo ritè, & qua par est, integritate fungatur, adeóque gloriam Dei unicè quærat, an verò emolumentum proprium sectetur. 3. Me quod attinet, candidè vobis edico, mihi perinde esse, an vobis probetur, & arrideat nec ne mea agendi ratio in prædicatione Evangelii, 4. tantúmque abest, ut aliorum de me judicia curiosè exquiram, ut potiùs ea flocci faciam, & neque de meipso quidquam statuere ausim aut mihi arrogare, probè gnarus, quàm sit hominum natura sui ipsius adulatrix, & in propriis vitiis

cœ-

cœcutiat. Tametsi enim mea me conscientia nullius in functione meâ piaculi redarguit, facilè tamen contingere potuit secundùm humanam fragilitatem defectus & lapsus hinc inde aliquis, qui vel aciem mentis per inadvertentiam effugerit, vel memoriâ per oblivionem exciderit, ut adeo nequaquam me innocentem propterea existimem, quòd nullius me culpæ reum sciam. DEo soli reservatur hoc judicium, cujus oculi intimos cordis recessus penetrant, & sæpe ulcera detegunt, quæ sensum ac notitiam nostram perobscuram subterfugiunt. 5. Has veritates, dilectissimi fratres, altè animô imbibite, neque ante tempus de aliorum vitâ aut meritis pronuntiate, sed exspectate, dum veniat judex omnium Dominus, qui divini sui luminis splendore omnia complens in lucem & conspectum omnium proferet, quæ nunc tenebris ignorantiæ involuta jacent, & abdita consilia cordium admirabili quadam ratione patefaciet. Tunc sua cuique laus mercesque debita aut vituperatio à Deo obveniet, & quemadmodum nec levissima noxa abibit impunita: ita ne minimus quidem virtutis actus suâ care-

5. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo.

carebit remuneratione. Nolite interea eò temeritatis progredi, ut hanc judicandi, discernendi, laudandi aut corripiendi provinciam vobis arrogetis, quam sibi soli reservavit supremus noster arbiter ac Judex Deus.

6. Hæc autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo, propter vos: ut in nobis discatis, ne supra quàm scriptum est, unus adversùs alterum infletur pro alio.

6. Hactenus dicta sub quodam veluti schemate meæ personæ ac Apollo, quorum nominibus Magistri vestri abutuntur, proposui, ut & illi exinde discant, quo loco seipsos habere debeant, & vos ipsi ex modo nostro loquendi de propriâ personâ colligatis, neminem præ alio gloriandi causam habere, quòd ab hoc vel illo prima fidei elementa vel baptismum acceperit, neque cuiquam nostrûm plus tribuendum, quàm Dei Ministris & dispensatoribus mysteriorum ejus debeatur.

7. Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

7. O perfidos vos Ministerii Evangelici profanatores, qui tantùm adoratores quæritis & mancipia vestræ auctoritatis, divinæ immemores! quis est, qui vos tanquam præstantiores discernere valeat ab aliis, quibus vos tanquam hominibus nauci tanto fastu atque arrogantiâ præfertis? quid habetis, quod non ab Optimo Numine acceperitis, & precariò possideatis? & si ab eo gratias omnes ac-

ec-

cepistis, quid inde insolescitis jactabundi, & ingrati, quasi illi nullâ ratione obstricti? 8. Nimirum, quæ vestra est felicitas, heröes estis, nobis quasi pumilionibus comparati, omnia vobis abundant, sapientia, doctrina, eruditio, adeo divites estis, ut etiam in alios thesauros vestros effundere possitis, in aliorum conscientias imperium tenetis neglectâ operâ nostrâ, atque utinam hoc imperium ævum ferret, támque solidum, quàm splendidum & inane, legibúsque Servatoris nostri conforme potiùs quàm difforme esset, ut & nos junctis unà vobiscum studiis consilisque has conscientias dirigere possemus ad promovendam eorum salutem, qui nobis subderentur. 9. Verùm enimverò probè novi, me tanquam indignum & inutilem servum nunquam à vobis in partem laborum assumendum: me siquidem despicitis tanquam novissimum Apostolorum, cúmque vestram agendi rationem attentiùs considero, adverto, me perinde ac reliquos Apostolos postremo locô à vobis haberi tanquam homines, qui vitam ducant in eum præcisè finem, ut tanquam victimæ morti destinatæ aliquando ca-

8. *Jam saturati estis, jam divites facti estis: sine nobis regnatis; & utinam regnetis, ut & nos vobiscum regnemus.*

9. *Puto enim, quòd Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & angelis & hominibus.*

cadant. Et sanè nunquid non coram omni hominum genere tanquam in amplissimo theatro expositi fuimus contemptui ac ludibrio publico? nunquid non spectaculum facti sumus & angelorum mentibus & mortalium quisquiliis? 10. Traducimur à vobis vestrique similibus ut stulti, dum JEsum Christum prædicamus more nobis consueto, vos autem tanquam viri omnium pene sententiâ prudentes, & sapientiâ pleni auditis, quando eundem Jesum annunciatis aliâ quadam ratione dicendi vobis peculiari: nos ægri atque infirmi, hoc est, rerum adversarum tum multitudine tum magnitudine obruti, ac prope oppressi, vos autem validi ac robusti, secundo videlicet rerum cursu fruentes ac bonis omnibûs circumfusi, vos denique illustres & omnium voce ac prædicatione celebres, nos contrà probrîs & contumeliis cooperti. 11. Usque in hanc horam fame sitique premimur, adversùs tempestatum injurias malè tecti ab omnibus excludimur, in ultimas terras amandamur, verberibûs tanquam vilissima mancipia pulsamur, huc illuc trudimur, nulloque fixo domiciliô tuti

10. *Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles.*

11. *Usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus.*

tuti incertis ſedibus continenter vagamur. 12. Manuum opificiô vitam ægerrimè toleramus, conviciis laceſſiti bene precamur maledicis linguis, adverſa denique forti ac patienti animô absque replicâ perferimus. 13. Injuriis atrocibus proſcindimur, & reddimus gratiarum actiones, & laudum divinarum cantica. Denique ut paucis multa complectar, nihil nobis egentius, nihil ſpoliatius, nihil contemptibilius fingi poteſt. Videntur omnes angulorum omnium ſordes in nos congeſtæ, ut expiemus in nobis, quod alii deliquerunt, neque pluris habemur, quàm extrema mundi fæx, & rejectamentum, lutúmve, quod pedibûs calcatur quotidie. 14. Neque ſanè hæc vobis ſcribo, ex amarulento quodam indignationis ſtudio, ut vos pudore ſuffundam, ſed id potiùs mihi propoſitum eſt, ut vobis tanquam filiis meis amantiſſimis pro ſalubri admonitione differentiam oſtendam inter eos, qui eandem mecum in miniſterio Evangelico orbitam terunt, & inter Magiſtros veſtros grandiloquos, qui longè diverſam ſemitam tenent. 15. Tametſi enim decem millia prædagogorum & am-

12. *Et laboramus operantes manibûs noſtris: maledicimur & benedicimus: perſecutionem patimur & ſuſtinemus:*

13. *Blaſphemamur, & obſecramus tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus, omnium peripſema usque adhuc.*

14. *Non ut confundam vos, hæc ſcribo, ſed ùt filios meos chariſſimos moneo.*

15. *Nam ſi decem millia prædagogorum ha-*

beatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo JEsu per Evangelium ego vos genui.

amplius haberetis, qui vos erudiant, & supra fundamentum à me positum inædificent, at verò quàm paucos patres numeratis, qui paternâ vos charitate complectantur? solus ego hoc nomen mihi arrogo, & jure quidem optimo, in Christo enim JEsu per Evangelium ego vos genui, & ipsius Ecclesiæ summo Dei beneficiò aggregavi. Decet autem omnino filios vestigiis Patrum insistere.

16. *Rogo ergò vos, imitatores mei estote, sicut & ego Christi.*

16. Quare vos enixè rogo & obtestor, ut neglectis iis, quæ ad inanem pompam atque ostentationem referuntur, meam potiùs vivendi docendíque rationem probetis, vobísque imitandam proponatis, nam & ego, quoad ejus fieri potuit Christum mihi tanquam exemplar omnibus numeris absolutum imitandum proposui.

17. *Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, & fidelis in Domino, qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo JEsu, sicut ubique in omni Ecclesia doceo.*

17. Interea, donec oretenus de hoc ipso vos pluribûs edoceam, mitto vobis Timotheum perdilectum filium meum, & Ministrum fidelem in Domino, qui vobis in memoriam revocet doctrinam à me tradi solitam per omnes Ecclesias, conversationem item meam, totúmque vitæ institutum, nempe ut habeatis, quæ in me ùt genuini filii in patre imitemini.

18.

18. Non me latet, complures in eâ fuisse sententiâ, me non ampliùs rediturum Corinthum, atque hoc supposito immunes se credidisse ac liberos à multis Christianæ vitæ officiis, 19. spero autem me Deo volente brevì venturum ad vos. 19 Tunc discutiam spiritus illos æstimatione sui prætumidos, & observabo attentiùs non doctrinæ profunditatem, non sermonis elegantiam, sed spiritualem docendi agendive facultatem, quid nempe præstiterint pro amplificatione regni Dei. 20. Illud enim non disserendi subtilitate, aut dicendi lepore ac venustate firmatur ac propagatur, sed arcanâ divinæ potentiæ ac sapientiæ virtute atque efficaciâ. 21. Cæterùm si scire cupitis, qualisnam futurus sit adventus meus, cùm ad vos redierо, an pacificus & in spiritu lenitatis, an verò illætabilis & in virgâ correptionis, respondeo, me id vestro arbitrio permittere. Si enim hac epistolâ permoti ad mentem redieritis, & scandala omnia amoveritis, experiemini patrem me benignissimum pristinâ vos charitate complectentem, & acrioribus remediis supersedentem, si autem obstinati in vestris diffi-

18. *Tanquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam.*

19. *Veniam autem ad vos citò, si Dominus voluerit: & cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt, sed virtutem.*

20. *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute.*

21. *Quid vultis? in virgâ veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?*

diſſidiis, aliiſque corruptelis perſeveratis, non poſſum non partes Judicis aſſumere, & pro poteſtate mihi à Deo conceſsâ omni cum rigore animadvertere in diſcolos & immorigeros filios.

PARAPHRASIS

CAP. V.

1. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat.*

1. AT ecce, quæ publicis rumoribûs ad me perlata ſunt, me prohibent vobiscum mitiùs agere. Fama ſiquidem quaquaverſum ſparſa vulgavit tam infandum inter vos libidinis flagitium, quale ne quidem inter gentes à Chriſti fide alienas auditum unquam, ut quis videlicet novercæ nefario atque inceſto concubitu impunè commiſceatur, quod vel ipſi idolorum cultores, ùt portentum libidinis execrantur.

2. *Et vos inflati eſtis: & non magis luctum habuiſtis, ut tollatur de medio veſtrûm, qui hoc opus fecit.*

2. Interea cùm fratris veſtri funeſtum caſum vix non ſanguineis lachrymîs deberetis proſequi, ejúsque conſortium ùt peſtem fugere, vobis ipſis tanquam ex omni parte perfectis

fectis applauditis, nimiâ vestri æstimatione & complacentiâ fœdum in modum delusi. Ego verò tam atrox flagitium dissimulare nequeo, neque impunitum relinquere, mihi enim ita mandante Deo incumbit pro conservatione Ecclesiæ suæ vigilare assiduè. 3. Quamobrem non quidem corpore, spiritu tamen vobis præsentissimus 4. constitui in nomine Domini nostri JEsu Christi ex potestate mihi aliisque Ecclesiæ præsidibus, traditâ hunc impurissimum nebulonem satanæ tradere, & reipsâ trado torquendum, cúmque à communione fidelium segrego, ut opprobrium supplicii cedat ipsi in expiationem flagitii, & afflictio corporis redundet in salutem animæ, ne damnationem æternam incurrat die illo supremo, quo Dominus noster JEsus Christus venturus est cum potestate supremâ ad judicandum orbem universum. 6. Profectò post tolerantiam inter vos tam scelerati monstri non est, quòd vobis multùm blandiamini de insigni sapientiâ ac probitate. An ignoratis (quod vel ipso rerum usu atque experimento facilè quivis intelligat) exiguâ fermenti particulâ massam universam, cui

3. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est,

4. In Nomine Domini nostri JEsu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri JEsu,

5. Tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri JEsu Christi.

6. Non est bona gloriatio vestra. Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit?

cui miſcetur, acorem illum contrahere, adeóque pari ratione vel unicum facinoroſum hominem exemplô ſuo plures innocentes & ingenuos pervertere poſſe ?

7. Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azymi. Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.

7. Ut vos igitur purgetis, omnéque offendiculum tollatis, neceſſe eſt omnino, hunc inceſtuoſum, ac proin peſtilentem hominem procul hinc relegari tanquam vetus quoddam fermentum, ut ſitis ſecundùm profeſſionis veſtræ vinculum nova ſine fermento maſſa, id eſt, ut nihil inter vos invenire ſit, quod pravitate exempli vos poſſit pervertere. Hebræis non licebat agnum paſchalem comedere niſi cum pane azymo, quia verò is tantùm per figuram repræſentabat Servatorem noſtrum amantiſſimum, qui pro nobis noſtrâque ſalute ſacrificatus paſcha noſtrum novúmque eſt,

8. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ: ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.

8. veſcamur ſanè illo, ſed non veteri fermentô malitiæ & perverſitatis, ſed cum panibus azymis ſinceris atque veris, hoc eſt, caſtis atque integris moribus. Purgemus ergò conſcientias noſtras à priſtinis ſordibus, eáſque eliminatâ omni malignitate, fraudulentiâ ac ſimulatione domicilia faciamus innocentiæ ac candoris ingenui, firmiterque apud nos

nos ſtatuamus, totum vitæ noſtræ curriculum feſtum eſſe continuum, quod religiosè celebrare & tranſigere convenit abſtinendo ab omni morum corruptelâ. 9. Neque tamen ſufficit ab omni graviori noxâ deinceps committenda deſiſtere, cum ipſis facinoroſis hominibus commercium omne abrumpendum eſt. Hæc tamen regula interpretationem ac limitationem admittit. 10. Cùm enim hac epiſtolâ vobis præcipio, ut omnem cum impuris ſcortatoribus ſcortísve conſuetudinem abrumpatis, non perinde hoc à me accipi volo, quaſi omnino nefas ſit, cum ſcortatoribus, avaris, rapacibus, aut idolorum cultoribus verſari, qui ſunt extra Eccleſiam, aliàs exeundum vobis foret ex hoc mundo, cujus illi maximam partem conſtituunt, & in novum aliquem commigrandum. 11. Hoc ergò præceptum illos tantummodo concernit, qui veri Numinis cultum ac fidem profitentur: & in hoc ſenſu absque exceptione loquor, modísque omnibûs cupio, ut ad amuſſim illud ſervetis, & ſi quis ex fratribus veſtris legitimè ac publicè reus inveniatur vel fornicationis, vel frau-du-

9. Scripſi vobis in epiſtola, ne commiſceamini fornicariis.

10. Non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis ſervientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exiiſſe.

11. Nunc autem ſcripſi vobis, non commiſceri: ſi is, qui frater nominatur, eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax: cum ejusmodi nec cibum ſumere.

dulentiæ ex impulſu ſordidæ avaritiæ in negotiatione commiſſæ, vel idololatriæ, aut furti, aut calumniæ, cum hujusmodi commercium omne abrumpendum, & ne cibum quidem ſumendum cenſeo: videtur enim approbari flagitium, ſi flagitioſo familiaris eſſe pergas, & improbi, qui à cœptis deſiſterent, ſi adverterent, ſe aliis horrori eſſe, & abominationi, quò diutiùs tolerantur, eò magis obſtinantur.

12. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, judicare? nónne de iis, qui intus ſunt, vos judicatis?*

12. Non me immiſceo eorum negotiis, qui omnino extra Eccleſiam ſunt, qui enim forìs ſunt, ad forum noſtrum ac jurisdictionem non pertinent, ſed Dei illos judicio ac ſupplicio relinquimus, illorum autem, qui in ejus gremium admiſſi ſunt, vitam & mores nunquid obſervare vos & caſtigare oportet, ſi delicta graviora & cum ſcandalo publico perpetrent, quandoquidem & Magiſtrorum veſtrorum agendi rationem acri cenſurâ non raró perſtringitis?

13. *Nam eos, qui foris ſunt, Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipſis.*

13. Itaque ſi me auditis, ſceleratum hoc ac putridum membrum è corpore ac cætu veſtro reſecate, neque diutiùs patiamini, ejus vos conſuetudine convictúque inquinari.

PA-

PARAPHRASIS

CAP. VI.

1. PRæmiſsâ hac tam ſalubri admonitione plura adhuc reſtant vobis exprobranda. Idoneis enim auctoribûs comperi, eſſe inter vos complures, qui ſubortas inter ſe lites causásque civiles ad judices paganos deferunt, malúntque eorum ùtùt nomini Chriſtiano infenſorum, quàm ſanctorum, nempe Chriſtianorum deciſioni ſtare. 2. Adeóne rudes eſtis ſingularium favorum, quibûs noſtra gaudet religio, ut ignoretis, quod tamen perſæpe ex me intellixiſtis, futurum aliquando, ut ſancti cunctos mortales in ſupremo mundi die judicent? quòd ſi univerſus mundus cum omnibus coronatis capitibus ac principibus terræ veſtro judicio ſubjicietur, veſtræque ſententiæ acquieſcet, adeóne exigua vobis videtur capacitas veſtra, ut vos impares credatis diſcutiendis ac dirimendis leviculis illis cauſis, quas inter vos agitatis? 3. An ignoratis, quòd cùm JEſus poteſta-

1. Audet aliquis veſtrûm habens negotium adversùs alterum, judicari apud iniquos, & non apud ſanctos?

2. An neſcitis, quoniam ſancti de hoc mundo judicabunt? & ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis judicetis?

3. Neſcitis, quoniam angelos judicabimus? quantò magis ſæcularia?

statem à Patre acceptam sedendi pro supremo illo decretorio tribunali nobis communicaverit, sententiam laturi simus in ipsos reprobos spiritus eorúmque Principem infernalem, quantò magìs decidere poterimus controversias subortas circa negotia hujus sæculi, quæ ad vitæ hujus mortalis usum pertinent, & momenti planè sunt levissimi? 4. Opponetis quidem in contrarium contingere haud quaquam posse, ut civiles concertationes litésque forenses universim declinentur. Esto res ita se habeat, at verò quid necesse est judices infideles adire? Equidem cùm de rebus caducis & corporeis, quæ ad hanc brevissimam vitam sive tuendam sive ornandam disceptetur, præstaret millies, & abundè sufficeret eos à vobis constitui judices, qui minimi sunt pretii inter vos. 5. Hæc idcirco à me commemorata sunt, ut hanc potissimùm ob causam justum vobis pudorem incutiam, cui enim credibile videatur, eò rem devenisse, ut ne unus quidem inter vos tantâ sapientiâ ac prudentiâ præditus inveniatur, qui fratrum suorum lites componere & contentiones dirimere aut sciat, aut velit?

4. Sæcularia igitur judicia si habueritis: contemptibiles, qui sunt in Ecclesiâ, illos constituite ad judicandum.

5. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum?

6. Sed

6. Sed profectò ita res se habet (quod non sine magno animi sensu ac dolore dico) frater cum fratre injustè judiciô experitur, & alter alterum ad judices infideles & à Christianâ religione alienos trahit. 7. Nolite, obsecro, vobis ipsis plus æquô blandiri, fucúmque facere. Cùm tales in vobis regnent discordiæ, palàm facitis, quàm procul absitis à perfectione Christianæ legis; magna planè animi impotentia est, & ut semel dicam, non leve crimen, quòd de rebus terrenis non sine gravi infidelium offensione tam acriter disceptatis. Quare non potiùs injurias, fraudes, rerúmque vobis debitarum repulsam patienti fortique animô toleratis? 8. Sed proh dolor! im̃emores fraternæ necessitudinis vos mutuò persequimini, fraude ac dolo circumvenitis, & citra ullum sive pudorem, sive timorem, injuriâ damnóque afficitis? 9. Quid? an ignoratis, tales Christianæ charitatis sanctæque justitiæ violatores cœlesti regno, & paternâ Dei immortalis hæreditate in æternum excludendos? Nolite, quæso, vano errore deludi, sed sic prorsus habetote: neque scortatores, neque idololatras, neque mœchos,

6. Sed frater cum fratre judicio contendit: & hoc apud infideles?

7. Jam quidem omninò delictum est in vobis, quòd judicia habetis inter vos. Quare non magìs injuriam accipitis? quare non magìs fraudem patimini?

8. Sed vos injuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus.

9. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare; neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri,

10. *Neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

11. *Et hæc quidam fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri JEsu Christi, & in Spiritu Dei nostri.*

12. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.*

chos, 10. Neque cinædos, neque qui præposterâ masculorum venere utuntur, neque fures, neque avaros, nec ebrietati deditos, neque convitiatores, neque rapaces regni Dei possessionem consecuturos. 11. Hactenus (id quod de nonnullis intellectum volo) tales eratis, quales modò descripsi, ejusmodi pene sceleribûs inquinati, sed (quæ Dei benignitas fuit) per baptismi lavacrum ab his sordibus abluti estis, sed sanctificati estis, verámque justitiam adepti per gratiam Domini nostri JEsu Christi & virtutem Spiritûs Sancti. Unius ejusdémque fidei professio tam arctè vos debuisset conjungere, ut nulla vis sufficeret scissionibus inter vos excitandis, & agitandis processibus judicialibus cum infallibili charitatis dispendio. Quamobrem vobis jam significavi, præstare potiùs, ut injurias omnes atque adeo facultatum vestrarum jacturam æquo animô perferatis, quàm ut mutuis contentionibûs litibúsque forensibus vosmetipsos in extremam ruinam præcipitetis. 12. Reponet autem nonnemo: an ergò mihi non liceat per viam juris repetere, quod meum est? Licet sanè, sed

ſed non omne quod licitum, ſemper & quocunque caſu expedit, ut fiat. Meliori ſanè jure, quàm alii, qui ad defendendas mordicùs ſuas prætenſiones atque altercationes hoc clypeô utuntur, dicere poſſem, omnia mihi permiſſa eſſe: ego autem animô ita ſum comparatus, ut nolim rebus caducis ſervilem in modum adhæreſcere, eáſque inordinatè & ultra modum diligere. Exempli causâ ſcio, nullâ me lege prohiberi, quò minùs neceſſaria pro meâ ſuſtentatione exigam, cùm in bonum veſtrum laborem, meque totum quantum impendam: nolui autem hoc qualicunque jure inter vos uti, ne videlicet cum obligatione ab iis dependerem, à quibus aliquid accepiſſem, útque vobis exemplum darem charitatis ab omni emolumento proprio alienæ, quâ à Miniſtris Evangelii illud promulgari oporteret. 13. Quandoquidem autem uſus ciborum eſt indifferens, ventérque deſtinatus eſt ad eos recipiendos, iique viciſſim ad illum nutriendum, nunquid ingentis dementiæ eſt mutuas accuſationes gliſcere ad ea comparanda vel retinenda, quæ vitæ quidem ſunt utcunque neceſſaria,

13. Eſca ventri, & venter eſcis: Deus autem & hunc & has deſtruet: corpus autem non fornicationi, ſed Domino: & Dominus corpori.

ſed tantùm ad uſum breviſſimum, & nunquam ferme deſunt hominibus probitate conſpicuis. Me quod attinet, tanti eas non curo, ut à conſuetâ meâ gratìs prædicandi conſuetudine recedere velim. Hæc tamen indifferentia neutiquam ſe ad omnia extendit, tametſi enim venter pro eſcâ, & eſca pro ventre ſit, corpus tamen minimè conditum eſt, & deſtinatum pro uſu & diſpumatione libidinis. Quantumcunque terreſtre ſit & animale, Dei tamen imperio ſubjacet, & Dominus pro ſuâ poteſtate de illo diſponere valet tanquam de re ſuâ.

14. *Deus verò & Dominum ſuſcitavit, & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam.*

14. Quin imò Deus, qui Chriſtum Dominum revocavit ab inferis, illud pariter, ùtùt periiſſe videatur, virtute ſuâ excitabit ad ſuperos. Quis veſtrûm hac de re ambigat?

15. *Neſcitis, quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? tollens ergò membra Chriſti faciam membra meretricis? Abſit.*

15. Quemadmodum etiam, quòd corpora veſtra ſint quodammodo membra Chriſti? ex hac qualitate neceſſariò ſequitur, ea cum capite ſuo aliquando vivificanda ac reunienda, ac proin ſanctè tractanda & reverenter cum omni ſollicitudine pro eorum puritate, cùm quilibet ita ſecum ratiocinari debeat: Quid? ſubtrahámne JEſu Chriſto ſua membra, quæ ad

cor-

corporis ejus mystici integritatem pertinent, & prostibulo alicui in detestabilem usum consignem? 16. Non enim ignorare potestis, eum qui meretrici nefariè copulatur, non tantùm ex parte, sed ex integro ab eâ possideri, & unione quadam funestissimâ unum quodammodo ex duobus fieri corpus, quemadmodum ex conjunctione legitimâ utriusque conjugis duo sunt in carne una. 17. Econtrà qui Domino adhæret, & præpotenti amoris vinculô ei quodammodo agglutinatur, unus planè spiritus efficitur cum illo, & ejusdem propemodum naturæ fit particeps, atque adeo nihil mortale aut caducum cogitat, tantum abest, ut sese fœdis voluptatibûs constringendum præbeat. 18. Fugite ergò fornicationem cane pejùs & angue. Ut autem de hoc capitali hoste victoriam plenam referatis, minimè hærendum est in extimâ ejus superficie ac specie. Existimatis forsan non esse illud adeò grande fœdúmque piaculum, sed patiamini, quæso, hunc vobis crassissimum errorem eximi. Qui aliorum criminum se reos faciunt, id citra corporis injuriam aut contumeliam agunt, propriám-

16. *An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? erunt enim, inquit, duo in carne unâ.*

17. *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.*

18. *Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.*

ámque ſolummodo animam inquinant. Quicunque autem libidinosè agit, præter animam etiam proprium corpus polluit, & contumeliosè tractat tum ratione ſordium, quibûs ſeipſum conſpucat, tum ratione laſcivorum motuum, quibus in ſe excitatis in beſtiam tandem degenerat.

19. *An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritûs ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri!*

19. An vos latet, corpus veſtrum templum eſſe Spiritûs Sancti, qui quâdam ratione ſedem ſuam in vobis collocavit, ex quo illum baptiſmô expiati cœlitùs percepiſtis? Itaque oportet vos eſſe Deo ſic penitus addictos, ut memineritis, veſtri vos juris non ampliùs eſſe, nec de vobis pro libitu diſponere poſſe.

20. *Empti enim eſtis pretiô magno. Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.*

20. Chriſtus enim Dominus vos morte ſuâ pretioſiſſimâ redemit, & in libertatem aſſeruit lytrô inæſtimabili. Æquum igitur eſt vos tanto beneficio Deo immortali obſtrictos tum corpore tum etiam ſpiritu omnem honorem & gloriam exhibere, cùm & hic, & illud ad ipſum tanquam ſupremum Dominum omni jure titulóque pertineant, ejúsque præſentiâ ac ſanctitate honorentur tanquam templa & ſacraria veneranda.

Pa-

PARAPHRASIS

CAP. VII.

1. Tempus nunc est, ut ad aliqua quæsita respondeam mihi vestris epistolis proposita. Et 1mò quidem, tametsi perquàm laudabile & eximium quidpiam sit omni prorsus abjectâ conjugis consuetudine eâ consentiente castimoniam perpetuò colere, 2. ad evitandam tamen fornicationem, aliásque libidinis sordes auctor sum vobis, ut suam quisque uxorem, & proprium quæque fœmina virum ad honestum conjugii usum sanctè retineat, & opportuno tempore adhibeat. 3. Porrò vir uxori debitam benevolentiam exhibeat, reliquáque conjugii officia præstet, quæ jure à viro exiguntur, nec absimili ratione vicissim uxor viro ea ne deneget, quæ connubii lege jure optimo debet. 4. Sicut enim uxor potestatem corporis sui ex nuptiarum lege in virum transtulit, ita & maritus in uxorem. 5. Quare nolite ab invicem separari, neque recusare mutuum debitum, nisi uterque

1. *De quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere:*

2. *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat.*

3. *Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro.*

4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.*

5. *Nolite fraudare*

invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.

que consentiat, & ad modicum tempus, ut orationi liberiùs vacare possitis. Oportet autem, ut postmodum ad eandem vitæ socialis consuetudinem redeatis, ne sub prætextu pietatis vos exponatis assultibus diaboli, eóque instigante inconcessæ libidini succumbatis miseri.

6. *Hoc autem dico secundùm indulgentiam non secundùm imperium.*

6. Hæc autem nolim à vobis ita intelligi, quasi usum matrimonii ad declinandum periculum alicujus impudicitiæ absolutè præcipiam, sed humanæ conditionis memor, vestræque infirmitatis conscius hoc ei remedium ad vitanda graviora mala utcunque indulgendum censeo.

7. *Volo enim omnes vos esse, sicut me ipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic.*

7. Optarem equidem, ut vos omnes exemplô meo cælibes viveretis, sed Deus, qui pro libitu dona sua distribuit, his aliqua tribuit, quæ aliis negat, & quemlibet suâ providentiâ per diversas semitas ducit ac dirigit, adeò ut hic quidem hoc modo, ille verò secus & longè aliâ quapiam ratione comparatus sit, & animô constitutus.

8. *Dico autem non nuptis & viduis: bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego.*

8. Si considerem prærogativas castimoniæ, suadeo sanè iis, qui nondum matrimoniô ligati, vel eo jam liberati sunt, ut eam exemplô meo studiosè sectentur, sanctéque observent, si tamen præstare id valeant.

9.

9. Quòd si cupiditatum æstu, atque impotenti libidine vincuntur, nec voluptatum illecebris deliniti castè atque integrè se vivere posse sperant, ineant sanè pace meâ matrimonium, satiùs enim multò est sedare flammas concupiscentiæ honesto conjugiô, quàm iis succendi assiduè; & tandem tentationi fœdæque libidini succumbere. 10. Iis autem, qui nuptiarum fœdere obstricti tenentur, non meâ tantùm sententiâ, sed Domini ipsius præceptô denuntio, ut sanctitatem connubii ad extremum usque spiritum perpetuò colant, neque uxor à viro sibi recedendum unquam putet, aut vir sibi fas esse persuadeat, uxori nuntium remittere, nisi gravis subsit ratio. 11. Si talis separationem urgeat, prout contingere nonnunquam potest, alterum è duobus necessariò eligendum, ut aut absque connubiô cælibem vitam ducat, vel si se continere nequeat, ad priorem conjugem & cum eo in gratiam redeat. Idem observandum est marito, cujus vinculum conjugale minimè solvitur etiam licitâ separatione thori. 12. Interrogabitis modò, an fidelis quispiam retinere possit uxorem suam nec-

9. *Quòd si non se continent, nubant. Meliùs est enim nubere quàm uri.*

10. *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere:*

11. *Quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.*

12. *Nam cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem ha-*

bet infidelem, & hac consentit habitare cum illo, non dimittat illam.

13. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illâ, non dimittat virum.

14. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.

necdum Christianis sacris initiatam, vel an uxor Christiana obligetur ei cohabitare, qui Christianus non est: Fateor hac de re, quid facto opus, nullum me accepisse præceptum à Domino. 13. Nihilominus suadeo, si utroque casu ambo pacificè amicéque vivant citra Creatoris contumeliam, vel periculum subversionis, & ab omni cæteroquin divortio alieni sint, suadeo, inquam, ut conjugalis vitæ societatem continuent. 14. Sanctitas enim mariti Christiani sanctificat quodammodo uxorem gentilem, & uxoris Christianæ sanctitas comunicatur etiam viro infideli, eúmque morali quadam denominatione, & quasi sanctitatis extrinsecæ aspergine, paulatim adaptat ad veram justitiam ac sanctitatem percipiendam. Differentia fidei non reddit per se illicitam amborum conjunctionem, quin imò puritas alterutrius sufficit ad perpurgandum & sanctificandum usum conjugii: pietas enim consortis fidelis benedictionem & favorem supremi Numinis in infidelem attrahit, & exemplis eximiæ probitatis paulatim disponit ad amorem & æstimationem sinceræ Religionis. Quòd

Quòd si mutuam separationem eligeretis, tunc liberi vestri jam dispositi ad sanctificationem per sanctitatem patris vel matris, vel sancti per ipsum baptismum, in maximo forent discrimine, ne postmodum immundi & vel adulterini redderentur, vel saltem perversi. Si enim fidem jam amplexi sunt, possent facto divortiô ab eâ rursus abduci instigatione alterutrius ex parentibus idololatræ, sin minùs, ab eâ amplectendâ absterrerentur ejus exemplô, & in infidelitatis immunditiâ educarentur. Quòd si fidem sanctam ejurare nollent, quasi ex illegitimo thoro nati pro adulterinis haberentur & rejicerentur factâ separatione à parente infideli. Nunc autem continuato conjugiô sancti, id est, mundi sunt ac legitimi utpote ex legitimo matrimonio concepti & nati, & industriâ parentis fidelis facilè possunt baptizari, in fide instrui, atque ita verè sanctificari. 15. Quòd si infidelis repudiare velit conjugem Christianam, aut si uxor infidelis nolit unà cum fideli vitam degere, non illis prohibeo separationem mutuam, qui enim legem evangelicam amplectuntur, neutiquam mancipia sunt

15. Quòd si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi: in pace autem vocavit nos Deus.

ſunt eam ignorantium, aut averſantium, & libertas ſeparationis haud dubiè ſi qua eſt, eſt reciproca. Quandoquidem enim Deus nos vocavit ad vitam tranquillè & pacificè ducendam, quæ nulla eſſe poteſt, ubi inter fidelem atque infidelem alienatio voluntatum intercedit, præſtat utique hanc ſeparationem fieri, quàm perpetuam animorum diviſionem vigere, vel ut conſors fidelis continuas audiat blaſphemias eructari contra JEſum Chriſtum ab altero conſorte, vel de fide periclitetur ob aſſiduas inſtigationes ad eam ejurandam. Sanè ſi qua ratio pugnaret pro continuatione mutuæ cohabitationis, eſſet fors ſpes aliqua ad veram fidem permovendi perſonam infidelem.

16. *Unde enim ſcis mulier, ſi virum ſalvum facies? aut unde ſcis vir, ſi mulierem ſalvam facies?*

16. At verò, ô mulier, ſatin tibi perſpectum ac liquidum eſt, virum tuis moribûs atque exemplis poſſe aliquando ad ſalutem ſempiternam perduci, túque vir, potésne tibi abſque temeritatis notâ prudenter polliceri, uxorem tuam ab idolorum cultu certò deſtituram?

17. *Niſi unicuique ſicut diviſit Dominus, unumquemque ſicut vocavit Deus, ita ambu-*

17. Fiat ergò ſeparatio mutua, niſi Deus, qui cuilibet pro liberâ ſua voluntate gratias ſuas largitur, tam efficacem det marito vel uxo-

uxori fideli, ut non solùm nullum sit periculum deficiendi à fide, sed spes insuper non modica affulgeat, eorum instructione ac patientiâ tandem alterum consortem infidelem adducendum, ut manus det agnitæ veritati, noménque Christo Domino. Tametsi autem transitus ad veram religionem mutationem aliquam inducat in matrimonio permittendo illius dissolutionem in casu allegato, eadem tamen mutatio locum minimè habet in reliquis vitæ statibus. Persistendum enim est in eo, in quo quis erat, antequam fidem christianam amplecteretur, & qualem unumquemque voluerit esse Deus, talem se quisque exhibere debet, divinæque vocationi pro virili respondere, quam ego doctrinam omnibus Ecclesiis trado. 18. Si circumcisus baptismô abluatur, non debet erubescere circumcisionem, neque de procurando novo præputio esse sollicitus, pariter, qui præputium habebat, dum christianæ militiæ aggregaretur, circumcisionem nullo modô admittat, nec Judaicos ritus ac cæremonias consectetur. 19. In ordine enim ad professionem veræ religionis, & salutem sempiter-

let, & sicut in omnibus Ecclesiis doceo.

18. *Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur.*

19. *Circumcisio nihil est, & præputium ni-*

hil est, sed observatio mandatorum Dei.

20. *Unusquisque in quâ vocatione vocatus est, in ea permaneat.*

21. *Servus vocatus es? non sit tibi cura: sed & si potes fieri liber, magis utere.*

22. *Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, servus est Christi.*

piternam nil refert, præputium habeas nécne, Judæus fueris, aut gentilis, sed tota perfectio consistit in exactâ observatione legis divinæ. 20. Quilibet ergò suo gradu contentus vivat, in eóque statu permaneat, in quo erat, cùm vocaretur ad veritatis Christianæ agnitionem, neque suam conditionem fastidiat, quasi minus aliquid consecutus sit, quàm cæteri, & pauciora habeat ad gratiam, & justitiam assequendam adjumenta. 21. Si servus es, noli ratione servitutis affligi, quasi ea sit Christianis indigna conditio, tametsi etiam libertatem recuperare posses, utere tamen conditione tuâ servili, in quâ degis, tanquam mediô à Deo tibi suppeditato ad procurandam tuam salutem, & majorem in cœlo gloriam promerendam. Quamvis non videaris libertate ullâ gaudere, eâ tamen gloriari potes tanquam & tibi propriâ, tanquam à miseriâ peccati, ac mortis servitute per Christum manumissus. 22. Qui enim servi erant, priusquàm Christum libertatis auctorem agnoscerent, quamprimùm ad ejus obsequium admissi sunt, per ejus gratiam eximuntur imperio satanæ, & ser-

ſervitute vitiorum, ejúſque liberti efficiuntur. Simili ratione, qui priùs erant ingenui, antequam ejus gratiâ ad veram fidem vocarentur, quamprimùm eam amplectuntur, in ſervitutem ejus tranſeunt: Oportet ſiquidem, ut intellectum ſuum ſubjiciant fidei myſteriorum, quæ ratione aſſequi non poterant, priúſque aſſueti ſuis cupiditatibus effrœnatis obſequi, jugum poſtmodum ſubeant exactæ diſciplinæ, & deliciis omnibus renuntient. Nolite fratres mei dilectiſſimi de hac beatiſſimâ ſervitute conqueri. 23. Quin imò ejus auctori immortales grates reddite, & cavete, ne tanto pretiô redempti hominibus rurſus ut mancipia vos ſubjiciatis, ſi prava jubeant. 24. Omnibus ergò ſuadeo, ut in eo ſtatu, quem inierunt, permaneant, planéque perſuaſum habeant, nullum eſſe hominum genus, cui beneficiô Chriſti non pateat ad cœlum aditus. Perinde igitur ac miles coram duce ſtationem ſervare ſolet, ſic vos apud Deum eſtote conſtantes in eo quisque vitæ genere, cui vos ineffabili ſuâ providentiâ deſtinavit, perpetuò ſcilicet memores, vos in ejus conſpectu continenter ver-

23. *Pretiô empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum.*

24. *Unusquisque, in quo vocatus eſt, fratres, in hoc permaneat apud Deum.*

versari, qui vigili oculô omnia observat, sibique illibatâ fide servientes liberalissimè remuneratur, quacunque tandem conditione sitis.

25. De virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium autem do tanquam misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis.

25. Hactenns de matrimonio, nunc de statu Virginitatis agendum est. Quandoquidem nullum à Deo præceptum accepi, vos ad illam obligandi, non illam quidem præcipio, suadeo tamen, non legislatorem hac in re me profiteor, sed tanquam per Dei gratiam ad apostolicum munus vocatus sententiam consiliúmque meum aperio ea proponens, quæ coram Deo judico vobis esse cumprimis salutaria, dignus utique, cui jure optimo habenda sit fides.

26. Existimo ergò hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse.

26. Existimio ergò ob innumera incommoda & molestias, quæ plerumque sequuntur nuptias, illum longè beatissimum esse, & prudentissimè agere, qui vinculo matrimonii alligari se non patiatur.

27. Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem.

27. Verbô dicam: si uxori addictus es, & jure conjugii obstrictus, ferendum tibi hoc jugum ùtùt permolestum, neque ullâ ratione excutiendum. Si autem ab hoc vinculo immunis es, fruere, obsecro, hac libertate, neque cum illius dispendio maximo, de ducendâ uxore, & subeundis conjugii

jugii legibus cogita. 28. Si uxorem accepisti, non peccâsti, neque virgo si nupserit, deliquit. Utriusque actio licita, sancta & perhonesta est: hoc tamen affirmare possum, eos, qui matrimonii jugo colla subdiderint, carnis afflictionem, onera, fastidia, maximásque molestias ei annexas declinare neutiquam posse. Cùm autem vos amem tenerrimè, vestræque libertati ac tranquillitati consultum maximè cupiam, optarem vos curis ac molestiis immunes, quibus conjugati ùt plurimùm sunt obnoxii. 29. Tempus, quod nobis reliquum est ad procurandam nostram salutem, est admodum breve, quare, fratres mei, illud neutiquam prodigendum est in voluptatibus ùtùt licitis. Proinde qui uxoribus copulati sunt, perinde se gerant, atque si eîs omninò carerent, nempe ut non ita eis adhæreant, quasi earum conjunctio perpetua futura sit, nec patiantur se earum causâ his caducis mortalibúsque rebus penitus implicari, aut plus æquô voluptatibus indulgeant. 30. Qui premuntur adversîs, non aliter animô sint constituti, quasi nihil incommodi paterentur, qui verò fortunâ utun-

28. *Si autem acceperis uxorem: non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit: tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco.*

29. *Hoc itaque dico fratres: tempus breve est, reliquum est, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes sint:*

30. *Et qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt,*

tanquam non possidentes:

utuntur prosperâ, bonísque omnibus affluunt, inde tam parùm insolescere debent, ac si nec ad votum res fluerent, neque mens ullam exuberantis lætitiæ dulcedinem persentisceret: qui mercimoniis vacant, ut rem familiarem augeant, congestis divitiis tam parum afficiantur, acsi nihil omnino possiderent.

31. *Et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi.*

31. Qui in sæculo degunt, & in eo persistere coguntur, rebûs mundanis ne perperàm & præposterè ad pompam & luxum abutantur, ne pascantur & oblectentur iîs immodicè, sed præcisè ad necessitatem, idque sobriè & neglectim quasi per transennam. Oportet meminisse nos, quòd mundus hic perpetuæ vicissitudini sit obnoxius, quòd rerum facies in momenta singula vertatur, quòd ejus bona evanidum quendam fulgorem habeant, unicúmque remedium iîs rectè utendi sit ad eorum jacturam animo sereno, & imperturbato semper paratum stare.

32. *Volo autem vos sinè sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo.*

32. Quandoquidem autem satis arduum est secundùm hæc principia vitam conjugalem ducere, meum autem ardentissimum votum est, ut curis procul omnibus vivatis tranquillè, hinc statum cœlibem vobis magnopere

pere suadeo, commendóque. Sanè
qui cœlibem vitam agit, cœlestia ac
divina meditatur, sedulóque invigi
lat, atque omni animi contentione
laborat, ut sese Deo probet, eíque
uni tantummodo placeat. 33. U-
xoratus verò seipsum in varias par-
tes curásque quasi dividere debet, &
id potissimùm spectare, ut uxori sa-
tisfaciat, cui placere cupit. 34.
Fœmina vicissim innupta, præsertim
si Virgo sit, tota est in contempla-
tione rerum divinarum, & unicè sol-
licita pro conservandâ puritate men-
tis & corporis. Quòd si nupta sit,
curis ac negotiis rei œconomicæ ùt
plurimùm distinetur, in id potissi-
mùm intenta, ne viro displiceat.
35. Cæterùm, ne quis minùs rectè
officii sui rationem intelligat, repe-
tam denuo quæ dixi. Quando in
favorem & commendationem con-
tinentiæ tam studiosè & copiosè dis-
sero, non ideâ mente ago, ut vobis
onus ullum imponam, aut laqueum
injiciam, sed ut indicem, quanam
ratione honestè & commodè cæte-
ris omnibus curîs abjectis uni Do
mino perfectè servire, placere, &
orationi liberiùs vacare possitis. 36.
Quare si quis filiam habeat ætate sa-

*33. Qui autem cum
uxore est, sollicitus est,
quæ sunt mundi, quomo-
do placeat uxori & divi-
sus est.*

*34. Et mulier innup-
ta, & virgo cogitat, quæ
Domini sunt, ut sit san-
cta corpore & spiritu.
Quæ autem nupta est, co-
gitat, quæ sunt mundi,
quomodo placeat viro.*

*35. Porrò hoc ad u-
tilitatem vestram dico:
non ut laqueum vobis in-
jiciam sed ad id, quod
honestum est, & quod fa-
cultatem præbeat sine im-
pedimento Dominum ob-
secrandi.*

*36. Si quis autem tur-
pem se videri existimat*

super virgine suâ, quòd sit superadulta, & ita oportet fieri: quod vult, faciat; non peccat, si nubat.

37. *Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc judicavit in corde suo, servare virginem suam, bene facit.*

38. *Igitur & qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, meliùs facit.*

39. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quòd si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat: tantùm in Domino.*

40. *Beatior autem e-*

tis provectam, existiméque sibi decori esse, quòd eam nondum alteri despond:rit, vel tempus esse eam in matrimonium tradendi, id enimverò absque piaculo præstiterit. 37. Similiter qui maturâ deliberatione præmissâ firmiter statuit filiam suam servare virginem, utpote nullâ in contrarium efficaci ratione, aut metu alicujus inconvenientiæ occurrente, si huic proposito inhæreat, haud dubiè bene agit, 38. imò rectiùs quàm prior. Ille filiam suam jugo alligat sancto quidem & perhonesto, quod obstat, ne tam facilè in flagitia proruat fragilitati sexûs, & ardori concupiscentiæ juvenilis secus difficulter evitabilia, iste verò occasionem ei præbet amplectendi vitam angelicam, suóque cœlesti sponso JEsu Christo liberiùs perfectiúsque serviendi. 39. Idem de viduis dictum volo. Quamdiu maritus vivit, uxor necdum est libera, mors autem solvit vinculum, quo tenebatur, adeò ut ad secundas nuptias procedere possit, si ita ipsi expedire videatur, modò id fiat in Domino, sive secundùm præscriptum Domini, nempe cum sectatore ejusdem religionis christianæ. 40. Nihilominus

nus, si meum amplecti vellet consilium, remaneret vidua, longéque evaderet beatior. Hoc autem consilium ei suggero tantò liberiùs, quantò magìs certus sum, divino me ad id spiritu compelli, hunc siquidem me habere minimè dubito, cùm sciam, eum mihi pernecessàrium esse ad dirigendas in viam salutis animas vestras, quodque cui Deus ministerium quoddam committit, huic etiam auxilia suppeditet & consilia suggerat, quæ requiruntur ad id pro dignitate & cum fructu exoptato obeundum.

rit, si sic permanserit secundùm meum consilium: puto autem, quòd & ego Spiritum Dei habeam.

PARAPHRASIS

CAP. VIII.

1. Expeditis controversiis, quæ statum matrimonii, ac virginitatis concernunt, declamandum mihi nunc est contra abusum quendam, quem induxerunt nonnulli inter vos spectabiles, qui cùm sciant, cibos idolis immolatos esse indifferentes ac lici-

1. *De iis autem, quæ idolis sacrificantur, scimus, quia omnes scientiam habemus. Scientia inflat, charitas verò ædificat.*

licitos, illis vescuntur liberrimè nullâ aliorum præsentium ratione habitâ. At verò mihi credite, scientia sæpe fallit, & nisi perdiligenter attendamus, mentem inflare solet vanâque sui æstimatione extollere supra alios ipsis tanquam stupidis & ignorantibus insultando, quâ ratione non minus perniciosa est, quàm charitas ædificationem proximi spectans proficua. Nunquam licet superbè gloriari & abuti scientiâ suâ in scholâ JEsu Christi. 2. Quicunque in eâ se bene versatum existimat, eóque nomine sibi nimiùm placens cæteris se anteponit, & plus æquô sibi indulget, hic profectò nescit, quod omnium primum scitu dignum est, neque quomodo suâ scientiâ uti debeat. 3. Qui autem verâ Deum proximúmque charitate complectitur, hic enimverò Deo familiariter notus, probatúsque est, solidámque ab eo scientiam hausisse putandus est. 4. Itaque, ut ad propositum meum redeam, extra omnem controversiam est, idolum quodlibet sensu vitáque destitui; ejúsque objectum repræsentatum nullam adorationem promereri, sed unicum omnino esse rerum omnium Dominum

2. Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit, quemadmodum oporteat eum scire.

3. Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo.

4. De escis autem, quæ idolis immolantur, scimus, quia nihil est idolum in mundo, & quòd nullus est Deus, nisi unus.

num

num ac Deum omnipotentem. 5. Nam tametsi gentes plures sibi fingant Deos ac Dominos tam in cœlo, quàm in terrâ, suâ tamen ridiculâ credulitate non tam illis divinitatem tribuunt, quàm seipsos aliósque splendidè decipiunt. 6. Siquidem longè certissimum est, unicum esse verum Deum, summum illum parentem nostrum, & conditorem rerum omnium, cujus vi ac potestate subsistimus, à quo bona omnia habemus quæ possidemus, ad cujus etiam honorem & gloriam creati sumus. Certum pariter est, unicum esse Dominum, nempe JEsum Christum, per quem adeò, nosque adeò vitam ac sensum habemus, cui etiam redemptionem nostram debemus. 7. Sed non omnes hac scientiâ sunt præditi, unde contingit nonnullos rudiores tacito quodam animi sensu immunda esse sibi persuadere, quæ idolis fuerunt oblata, neque tamen propterea ab eorum usu hactenus abstinuerunt, quòd Christianos scilicet cernerent absque scrupulo iis vesci, quo fit, ut illa ipsorum conscientia de fidei dogmatis haud satis instructa, ratione hujus erroris per accidens polluatur: vel potest etiam con-

5. *Nam etsi sunt, qui dicantur dii, sive in cælo, sive in terrâ (siquidem sunt dii multi & domini multi.)*

6. *Nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus, JEsus Christus: per quem omnia, & nos per ipsum.*

7. *Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum conscientiâ usque nunc idoli quasi idolothytum manducant: & conscientia ipsorum cùm sit infirma, polluitur.*

contingere, ejusmodi cibos à ſacrificiis reliquos ab iis cum reverentiâ & veneratione manducari ſuſpicantibus etiamnum, quaſi trunco illi, cui offerebantur, divinum quid ineſſet.

8. *Eſca autem nos non commendat Deo. Neque enim ſi manducaverimus, abundabimus: neque ſi non manducaverimus, deficiemus.*

8. Dicent equidem auctores hujus ſcandali, Deum non attendere ad qualitatem ciborum, quibûs utimur, & ſive illis veſcamur, ſive abſtineamus, nihil inde boni aut mali in nos redundare.

9. *Videte autem, ne fortè hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis.*

9. Non equidem id diffiteor, fratres mei, charitas tamen vos obligat, ut providè attendatis, num hac licentiâ uti poſſitis absque præjudicio & damno fratrum veſtrorum, quibus hæc ipſa licentia non ita perſpecta & perſuaſa eſt. Ego ſanè neutiquam judico, id ſalvâ conſcientiâ veſtrâ fieri poſſe.

10. *Si enim quis viderit eum, qui habet ſcientiam, in idolio recumbentem: nonne conſcientia ejus cùm ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta?*

10. Si quis enim, qui ſupponit vos non ignorare quid licitum ſit necne, vos viderit conviviis accumbere, in quibus hujusmodi cibi apponuntur, an non exemplô veſtro provocatus idem faciet, ne notam ſingularitatis incurrat, id tamen, cùm non eandem vobiscum certitudinem habeat de licito talium eſcarum uſu, non absque ſcrupulo aget & remorſu quodam conſcientiæ, quod vos absque ullâ formidine vel anxietate præſta-

ſtatis? 11. adeóque veſtræ ſcientiæ, cui charitatis directio deeſt, imputabitur ruina ſpiritualis animæ, quam tanti Dei Filius æſtimavit, ut pro eâ ſanguinem & vitam ſuam prodigere non dubitarit? 12. Nolite autem arbitrari, exiguum hoc eſſe malum, hac enim ratione delinquendo contra fratrem veſtrum, dum occaſionem præbetis inquinandæ ejus conſcientiæ, delinquitis pariter graviſſimè contra Chriſtum ipſum humanæ libertatis vindicem, cui tanto pretiô emptam animam per ſummam injuriam pravo veſtro exemplô abripitis, ſatanæque traditis infeniſſimo utriusque hoſti. 13. Ego ſanè in omnem æternitatem mallem carnibûsabſtinere, quàm iis veſcendo etiam minimo ex fratribus meis ullum præbere offendiculum.

11. *Et peribit infirmus in tuâ ſcientiâ frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt?*

12. *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis.*

13. *Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.*



PARAPHRASIS

CAP. IX.

1. *Non ſum liber? non ſum Apoſtolus? Nonne Chriſtum JEſum Dominum noſtrum vidi? Nonne opus meum vos eſtis in Domino?*

1. NOn adductis ſolùm rationibûs vos in meam ſententiam pertrahere contendo, ut ſcandalum proximi veſtri omni ſtudiô declinetis, ſed exemplô inſuper meo ad id vos excito. Tametſi enim jure quàm optimo ea à vobis exigere poſſem, quæ neceſſaria ſunt ad vitæ ſuſtentationem, nolui tamen id facere, ne anſam præberem ulli querimoniæ. Atque idcirco nunquid pleniſſimam libertatem poſſideo obſtrictus nemini? an non ſum verus apoſtolus? quòd ſi ad hunc titulum promerendum neceſſe eſt vidiſſe Dominum, an non illum hiſce meis oculis conſpexi, quando ex perſecutore, qualis antè fueram, me ſubitò Miniſtrum Evangelii ſui creavit? nunquid etiam converſionem veſtram meis debetis laboribus?

2. *Et ſi aliis non ſum Apoſtolus, ſed tamen vobis ſum: nam ſignaculum*

2. Si cæteri me nollent ùt Apoſtolum agnoſcere, vos certè mihi hanc prærogat-

gativam non possetis negare, fides enim, quàm Evangelii dogmatis & miraculis inter vos per me editis præstitistis, pro sigillo est, atque testimonio, quo apostolatus meus signatur, atque confirmatur, quasi divinâ auctoritate subnixus, 3. nec non pro clypeo defensionis contra eos, quibus vitæ meæ rationem curiosiùs explorantibus vocatio mea dubia vel suspecta videri posset. 4. Si res ita se habet, cur nobis non liceat victum potúmque vestris procurare expensis? 5. nec non fidelem quampiam fœminam circumducere, quæ nostris necessitatibus invigilet, solatiúmque ferat sollicitæ instar sororis? hoc ipsum factitant cæteri Apostoli, fratres Domini, & ipse Petrus. 6. Cur igitur Barnabæ, mihiq́ue eodem ministerio fungentibus non iisdem concessum sit uti privilegiis? potestatem utique habeo idipsum præstandi, hac tamen studiosè abstineo, ne simplicioribus, inter quos dego, offensionem ullam præbeam. 7. Quis unquam militem vidit in acie stare, excubias agere, cæteraq́ue militaris disciplinæ munia obire absque stipendio? quis vineam plantat & colit, quin botrum ex

apostolatûs mei vos estis in Domino.

3. *Mea defensio apud eos, qui me interrogant, hæc est.*

4. *Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi?*

5. *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?*

6. *Aut ego solus, & Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi?*

7. *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de*

lacte gregis non manducat?

8. *Nunquid secundùm hominem hæc dico? an & lex hæc non dicit?*

9. *Scriptum est enim in lege Moysi: non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo?*

ex eâ decerpat, ac deguſtet? quis gregem paſcit & ab ejus lacte ſibi penitus abſtinendum exiſtimat? 8. Non hæc in favorem meum dixero, aut humanâ tantùm ratione conſuetudinéque nixus. 9. Id ipſum adſtruunt ſacræ paginæ, Moyſésque expreſsè vetat bovi trituranti obligari os. Tametſi autem Dei providentia curam gerat omnium rerum creatarum, minimè tamen hæc verba de ſolis bobus intelligenda ſunt.

10. *An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt. Quoniam debet in ſpe, qui arat, arare: & qui triturat, in ſpe fructûs percipiendi.*

10. Ultra hunc ſenſum litteralem attolli oportet mentem noſtram altiùs, idque nobis prædicatoribus jure ſanè meliori applicare. Cùm ergò æquiſſimum ſit & agricolam ſui laboris in colendo agro, bovémque in triturando frumento fructum aliquem referre, nobis ſanè in culturam animorum veſtrorum incumbentibus aliqua compenſatio, ſi peteretur, jure negari non poſſet.

11. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?*

11. Et ſanè non levem ingratæ craſſæque mentis incurreretis notam, ſi eam ob rem velletis conqueri: etenim ſi nos divini verbi ſatores ſpiritualium rerum amplam vobis ſementem fecimus, an grande quid, ſcilicet inauditum quaſi videri debet, ſi quid temporalis commodi inde in noſtram ſuſtentationem meſſuerimus?

ecquid

ecquid non longè plura vobis tribuimus mentes veſtras donis cœleſtibus locupletando, & ad perennem felicitatẽ diſponendo, quàm à vobis accipere valeamus in qualecunque corporis noſtri alimentum? 12. Pſeudodoctores illi, quos tanti æſtimatis & extollitis, liberrimè veſtris utuntur facultatibûs, & à vobis, quæ neceſſaria ſunt, pro victu quotidiano liberaliter obtinent, cur ergò non eodem cum illis utamur jure, quin imò meliori, cùm primi fuerimus Magiſtri veſtri, plúſque laboris vobis ritè inſtruendis impenderimus? haud dubiè eodem gaudemus privilegiô, maluimus tamen extrema quæque perpeti, quàm illo uti, ne ullum prædicationi Evangelii poneremus obſtaculum. 13. Miniſtri templi Judæorum nutriuntur ex redditibus templi, quíque altari deſerviunt, fruuntur ejuſdem oblationibûs. 14 Eâdem ſanè ratione voluit Dominus Miniſtros novæ legis & præcones ſui Evangelii non eſſe deterioris conditionis quàm illos, & ab iis, quibus annunciant verbum Dei, neceſſaria vitæ ſubſidia accipere. 15. Quòd autem hac facultate uſus non fuerim, id neque ignorantiæ meæ tribuendum, neque ita accipiendum, quaſi

12. *Si alii poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potiùs nos? ſed non uſi ſumus hac poteſtate: ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi.*

13. *Neſcitis, quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt? & qui altari deſerviunt, cum altari participant?*

14. *Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.*

15. *Ego autem nullo horum uſus ſum. Non*

autem scripsi hæc, ut ita fiant in me: bonum est enim mihi magis mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet.

16. *Nam si evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est, si non evangelizavero.*

17. *Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem invitus, dispensatio mihi credita est.*

18. *Quæ est ergò merces mea? Ut evangelium prædicans sine sumptu ponam Evangelium, ut non*

quasi impoſterum uti cogitem. Mallem certè vitæ jacturam perpeti, quàm gloriæ ac meritorum, quæ mihi comparavi in prædicando gratis Evangelio, aut ulli materiam præbere exprobrandi mihi, quòd emolumenta mea studiosè quæram in functione hac apostolicâ. 16. Neque enim hoc nomine gloriari queo, quòd doctrinam evangelicam vobis utcunque annuntiem, cùm potiùs ejus muneris mihi à Domino impositi functio, dum in Apostolum me assumpsit, summo jure exigatur, ut si eâ tantisper supersedeam, vel illam penitus deseram, supplicium mihi meritò metuendum videatur. 17. Quemadmodum enim si lubenti promtóque animô intuitu divinæ gloriæ Evangelium prædicem, mercedem quandam excellentem spe possum præcipere, ita vicissim si hoc munus obeam servilem in modum & instar mercenarii, rem quidem debitam mihíque commissam præsto, sed fructu non adeo magno, præsertim si laudem exinde vanam, vel temporalem utilitatem prensem. 18. Quæ igitur erit diligentiæ aut laboris mei vel merces, vel gloria? nempe ita Evangelicæ prædicationis munere de-

fun-

fungi, ut nullo ſumptu ſtet iis, qui mihi aures dederint, & ipſe interea Evangelici Miniſtri auctoritate ac poteſtate cum aliorum incommodo vel onere abuti nullo modo videar. 19. Cùm enim nemini obſtrictus eſſem, quippe qui à nemine quidquam acceperim, ita tamen me geſſi, eámque vitæ rationem inſtitui, ut me omnibus quodammodo ſervum exhibuerim, quò plures ad Chriſti fidem, religionémque traducerem. 20. Si quando cum Judæis agendum erat, qui legis cærimonias adhuc retinent, illis me attemperavi, quantùm quidem fas erat, tametſi probè ſcirem me ad earum obſervantiam neutiquam obligatum, ut eos ſcilicet hac conformitate mihi devincirem, inducerémque ſuaviùs ad dandas Chriſto manus. 21. Paganis verò, qui ne quidem ſciebant quid lex præciperet, factus ſum velut exlex, cùm tamen reverà non ſine lege Dei eſſem, ſed potiùs Chriſti legi ſubjectus viverem, uſus hac piâ induſtriâ, ut eos lucrifacerem, qui nullam divinæ legis habebant notitiam. 22. Cum rudibus egi quaſi mortalium ſimpliciſſimus, attemperavi me eorum imbecillitati, ut vel hac

abutar poteſtate meâ in Evangelio.

19. *Nam cùm liber eſſem ab omnibus, omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem.*

20. *Et factus ſum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer:*

21. *Iis, qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem (cùm ipſe non eſſem ſub lege) ut eos qui ſub lege erant, lucrifacerem. Iis, qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſem (cùm ſine lege Dei non eſſem: ſed in lege eſſem Chriſti) ut lucrifacerem eos, qui ſine lege erant.*

22. *Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Om-*

nibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.

23. Omnia autem facio propter Evangelium: ut particeps ejus efficiar.

24. Nescitis, quòd ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? sic currite, ut comprehendatis.

25. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam.

hac ratione ipsos ad veram fidem ac salutarem disciplinam perducerem. Denique in omnes me formas indui, omnium moribus me conformavi, ut omnes, quantùm in me est, salvos facerem. 23. Ad hanc ipsam agendi rationem illud præterea, ut verum fatear, non parùm me animavit, quod ipsemet vehementer cupiam fructum percipere ex propagatione Evangelii, & amplissimam mercedem iis propositam qui secundùm ejus canones vitam suam instituunt. 24. Vita hæc mortalis, quam ducimus, stadium est, ubi omnes ad eandem metam præmiúmque cursu contendimus, sed non omnes victoriam palmámque consequuntur, quia non omnes pari celeritate feruntur, ut præfixam metam attingere valeant. Quare, fratres mei, ita currite, id est, tanto studiô præcepta Dei observate, ut palmam propositam sempiternæ beatitudinis eximiâ vestrâ diligentiâ consequamini. 25. Porrò quisquis agonale certamen seu luctam gymnasticam aggreditur, miram rerum omnium continentiam sectatur, quæ corpus minùs agile, firmúmque reddere possunt. Jam verò si athletæ tan-

tantum in se laboris ac temperantiæ suscipiunt, ut humanæ laudis præconium & perituram coronam obtineant, quid nos pro immortali ac sempiternâ conveniet agere? 26. Ego quidem, qui probè novi, perseverantes tantummodò eâ coronari, ita curro, ut nequaquam currendo deficiam in hoc mortalis vitæ curriculo, quódque mihi non levi est solatio, stimulóque, inter dura quæque & adversa, quibûs obruor, de prœmio mihi destinato spem longè firmissimam in sinu foveo. Continuam equidem cum carne meâ luctam habeo, cui tanquam hosti perniciosissimo implacabile bellum infero, & sanè per Dei gratiam non inanibus planè ictibus aërem aut umbras verbero, nempe non incassum malesanas ac rebelles ejus cupiditates perpetuis assultibus frangere ac debellare studeo. 27. Castigo illam, laboribûs attero, verberibûs contundo, & menti rationíque penitùs subjugare assiduis jejuniis & afflictationibûs non cesso, ne quo modo, cùm aliis viam salutis docendo monstraverim, ab eâ infelix ipsemet aberrem turpiter, & inter reprobos connumerer, postquam tot alios labo-

26. *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno non quasi aerem verberans:*

27. *Sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo: ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

boribus ac sudoribus meis apostololicis ad perennem felicitatem promovero.

PARAPHRASIS

CAP. X.

1. *Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt.*

1. Videtis, fratres mei, quanti momenti sit in bene cœptis perseverare, neque sufficere, si vocati simus ad agnitionem Evangelii, nisi etiam huic vocationi respondeamus bene operando. Ut autem hanc vobis veritatem declarem apertiùs, exempla afferam in hanc rem tam idonea & exquisita, ut nullus ampliùs dubio vel exceptioni sit locus. Patres nostri, qui in Veteri lege vivebant, omnes eandem nubis columnam pro itineris sui duce habuerunt, omnes transierunt mare

2. *Et omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari;*

2. Moyse præeunte, cui sese penitus regendos curandósque permiserant, ubi typum quendam baptismi acceperunt sub illis undis, & nubeculâ eos tegente, nam aqua quidem baptismi materiam, nubis verò colum-

lumna Spiritum Sanctum indicabat, qui dum corpus undâ abluitur, animam expiat. 3. Omnes eâdem escâ refecti sunt, manna videlicet, quod Deus quotidie manè formaverat in eorum alimentum, ac figuram alterius verè cœlestis ac divini cibi, quo fruimur in lege evangelicâ. 4. Omnes ex eâdem biberunt scaturigine, quam Deus omnipotenti virtute suâ è petrâ quadam produxerat eos insequente, quocunque pergebant, ad relevandam sitim. Favores hi majoribus nostris collati figuræ & symbola erant illorum, quos in nos congerere destinaverat, atque idcirco petra illa, unde aqua scaturiebat, repræsentabat JEsum Christum, cujus sanguine omnia delicta nostra abolentur.

5. Tanta amoris divini testificatio videtur sanè omnium animos debuisse sibi ad reciproca obsequia devincire, eósque idcirco Deo longè charissimos in omne ævum reddere, inventi tamen sunt complures, qui offensam tanti Benefactoris incurrerunt, quod funestus eorum interitus in vastâ illa solitudine fati. supérque testatur. 6. Hæc porrò vindicta in eos cecidit, ut illorum exem-

3. & omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt.

4. Et omnes eumdem potum spiritalem biberunt (bibebant autem de spiritali, consequente eos petrâ: petra autem erat Christus)

5. Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto.

6. Hæc autem in figurâ facta sunt nostri,

ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt.

exemplô disceremus frœna neutiquam laxare pravis cupiditatibus, quibus illi obstricti, cùm carnes à Moyse expeterent, miserandum in modum periêre.

7. *Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum est: sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.*

7. Néve ad idolorum cultum postliminio redeamus aliquorum instar ex eis, qui bene poti saginatíque coram vitulo aureo, quem conflaverant absente ductore, à mensâ surrexerunt ad celebrandas more Gentium choreas in ejus honorem.

8. *Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt unâ die viginti tria millia.*

8. Admonemur etiam, ne in exitiale fornicationis flagitium prolabamur, quo se illi contaminârunt cum uxoribus Madianitarum, quod supremum Deum adeò exacerbavit, ut intra unicum diem ejus jussu viginti tria millia virorum interfecta sint.

9. *Neque tentemus Christum: sicut quidam eorum tentaverunt, & à serpentibus perierunt.*

9. Caveamus etiam, ne JEsum Christum tentemus, id est, ne dubium ullum admittamus circa ejus pollicitationes, uti factum ab illis scimus in deserto, ubi eorum incredulitas venenatis serpentum morsibûs castigata fuit.

10. *Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt & perierunt ab exterminatore.*

10. Abstineamus denique ab omni murmure & querimoniâ contra Dominum, ne cum ipsis nos Angelus divinæ justitiæ Minister exterminet.

11. *Hæc autem om-*

11 Hæc omnia supplicia promeriti erant palmari suâ ingratitudi-

nia in figurâ contingebant illis: scripta sunt autem, ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt.

tudine, at verò, uti modò commemoravi, Deus non solùm justitiam suam palàm facere voluit illos hac ratione plectendo: desiderat insuper, ut hæc rigidæ animadversionis exempla nobis documento sint, qui in postrema hæc tempora incidimus, ut modicum illud tempus, quod adhuc reliquum est, nostræ saluti studiosissimè impendamus. Ingratitudo nostra longè gravior est, quàm illa Hebræorum, quandoquidem favores illis exhibiti umbræ quodammodo fuerunt gratiarum, quas in novâ lege accepimus.

12. *Itaque qui se existimat stare, videat, ne cadat.*

12. Nemo igitur sibi plus æquô blandiatur fidatque vanâ atque arroganti securitate, quasi extra omnem teli jactum positus, & siquidem tanti momenti est perseverantia, qui stultâ de se opinione inflatus existimat se titubare non posse sive in Christianæ fidei, sive in virtutis professione, is etiam atque etiam sibi attendat, ne improvisô lapsu cadat. Fucum vobis facitis, si superata jam creditis graviora certamina, & prope debellatum.

13. *Tentatio vos non apprehendat nisi humana: fidelis autem Deus est, qui non patietur vos ten-*

13. Assultus vestri hactenus leviores tantùm velitationes fuere, ex quibus nemo prudens gloriæ laudem captaverit. No-

tari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.

lim tamen idcirco vos magnopere turbari. Tanta enim eſt Dei benignitas, ut nunquam permiſſurus ſit vos ſupra vires periclitari. Quin imò ex ipsâ tentatione eo dante fructum uberrimnm referre poteritis. Perficiet illa zelum veſtrum aliásque virtutes, neque diu durabit hæc dimicatio: pugnate fortiter, & veſtra brevì erit victoria & gloria. Cavete tamen, ne vos ipſos temerè & ultro diſcrimini exponatis factis quibusdam indiſcretam præſidentiam ſpirantibus, quæ primâ fronte momenti videntur exigui, nec attentione peculiari digna, reipsâ tamen periculi pleniſſimos ſortiuntur exitus.

14. *Propter quod chariſſimi mihi, fugite ab idolorum culturâ.*

14. Quapropter per eam vos oro atque obteſtor, quâ vos proſequor, benevolentiam, ut abſtineatis ab omni re, quæ ſuſpicionem excitare poteſt, quaſi idolis nonnullum honorem exhibere velletis, præſertim ab eſu ciborum ipſis immolatorum. Error hic longè gravior eſt opinione veſtrâ, útque eum probè capiatis, ſolidiora longè rationum momenta afferam, quàm hactenus fecerim.

15. *Ut prudentibus loquor, vos ipſi judicate quod dico.*

15. Prudentiæ veſtræ mihi dudum perſpectæ tantum confido, ut veſtrum eâ de re judicium ultrò expe-

petam, tanti enim momenti ponderísque videntur, quæ dicturus sum, ut minimè dubitem vos penitus convictos in meam ituros sententiam. 16. Quando cum gratiarum actione calicem à Christo Domino consecratum accipimus, eúmque postmodum benedicimus ùt scaturiginem omnium cœlestium gratiarum, an non sacrosanctum JEsu Christi sanguinem haurimus? an non in hac sacrâ communione, quæ nos ipsi admirabili nexu conjungit, ostendimus, nos ipsum ùt Dominum nostrum demissimè revereri? pari ratione quando in memoriam passionis ejus acerbissimæ panem frangimus, an non vero corpore JEsu Christi pascimur? an non ei tam arctè unimur, ut in eandem cum ipso substantiam immutati quodammodo transeamus? hæc autem participatio ejusdem cibi & potûs non solùm intimam nos inter & Deum unionem producit, sed etiam eam denotat, quæ inter nos ipsos vigere deberet. 17. Manducando enim eundem panem, & bibendo ex eodem calice satis testamur, quamvis numerô plures simus, unum tamen corpus nos efficere; quemadmodum plura grana

16. ***Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?***

17. ***Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.***

18. *Videte Israël secundùm carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?*

19. *Quid ergo? dico, quòd idolis immolatum sit aliquid? aut quòd idolum sit aliquid?*

20. *Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum.*

na unum eundémque panem conficiunt. 18. Conjicite oculos tantisper in sacrificia carnalia Hebræorum. Nunquid inter eos qui victimis vescuntur Deo immolatis, participant de altari, hoc est, consentiunt sacrificio, & tanquam Deum eum venerantur, cui illud offertur? 19. Si hæc vera sunt, uti sunt verissima, quando vos unà cum idolorum cultoribus in cibum ea sumitis, quæ idolis sacrificata sunt, nunquid non tacitam cum iis contrahitis societatem, & idolis hac ratione venerationem aliquam defertis? reponet fors quispiam, me loqui pugnantia, cùm priùs asseveraverim, idolum nihil aliud esse, quàm truncum sensu vitáque destitutum, consequenter esum ciborum illi immolatorum indifferentem esse. Nullâ ratione à pristinâ meâ recedo sententiâ, hunc tamen usum ex aliâ ratione vobis prohibeo. 20. Gentes non Deo immolant, sed dæmonibus. Neutiquam autem ferre possum, vobis quidquam commercii esse cum hoc Orci satellitio, quod tamen haud dubiè fieret, si de eorum sacrificiis participaretis. Alterutrum ergò eligite. Si vultis calicem

licem Domini bibere, renunciare oportet calici dæmoniorum. 21. Sique ejus menſæ accumbere vultis, ante omnia eorum conviviis abſtinere neceſſe eſt: neque enim cor veſtrum inter Deum, ejúsque hoſtes juratiſſimos dividere conceſſum eſt. 22. An ex deſtinato, ſtudioque eum ad iracundiam provocare ſatagimus? adeóne deſipimus, ut eo nos validiores eſſe exiſtimemus? an verò contrà credimus, nos ab eo pro meritis caſtigari poſſe? Diceretis equidem, utcunque modò reclamem, id tamen vobis permiſſum eſſe: ego autem vobis edico, hanc qualemcunque licentiam non ſufficere ſemper in ipsâ praxi. Non omne, quod mihi licet, ſemper aliis expedit. 23. Dantur quædam licentiæ, quibûs tamen uti prohibemur, ubi ædificationi & ſaluti proximi earum uſus repugnat. 24. Ceſſant nimirum, ubi charitas ſuadet contrarium. Non enim propria commoda, aut delectationem noſtram ſtudiosè quærere, ſed fratrum noſtrorum emolumenta potiùs, ac ſalutem animæ debemus attendere. 25. Pace meâ comedite de omni re, quæ in publico foro venditur, modò non inqui-

21. *Non pot ſt's Menſa Domini particip s eſſe & menſa aæmoniorum*

22. *An æmulamur Dominum? Numquid fortiores illo ſumus? Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.*

23. *Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.*

24. *Nemo, quod ſuum eſt, quærat, ſed quod alterius.*

25. *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interro-*

gantes propter conscientiam.

26. *Domini est terra, & plenitudo ejus.*

27. *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire: omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.*

28. *Si quis autem dixerit: hoc immolatum est idolis: nolite manducare propter illum, qui indicavit, & propter conscientiam:*

29. *Conscientiam autem dico non tuam, sed alterius: Ut quid enim libertas mea judicatur ab alienâ conscientiâ?*

30. *Si ego cum gra-*

inquiratis anxiè, unde ea proveniat. 26. Domini enim est terra, & quidquid usquam è terrâ gignitur, Dei donum est, adeóque bonum, cùm sit Conditoris Optimi. 27. Quin etiam si infidelium quispiam vos ad mensam invitet, si placet accumbere, accumbite, & pro libitu absque ullo discrimine vel scrupulo de omni cibo comedite, qui vobis apponitur. 28. Si autem è convivis nonnemo vos admoneat, hunc vel illum cibum idolis fuisse sacrificatum, tunc enimverò abstinendum reor, 29. non tam propter conscientiam vestram, quàm illius, qui studiosè indicavit, ne is fortassis idipsum, quod animô indifferenti comeditis, comedat cum aliquâ veneratione tanquam rem ex illâ immolatione quodammodo sacram, adeóque animô non perinde indifferenti & innoxio. Verum quidem est, à conscientiâ erroneâ hominis nondum satis instructi perperàm condemnari libertatem, quam mihi lex evangelica concessit vescendi etiam tali ciborum genere. Sed cur ego libertate meâ ita temerè utor, ut hoc libertatis beneficium ægro fratri, qui meâ actione læditur, interitum afferat? 30. Si cum debitâ

bitâ gratiarum actione sumo, quod Deus in alimentum meum producere, mihíque largiri dignatus est, injuriam facit utique, quisquis mihi id crimini vertit, id ipsum tamen non in omni casu permissum assero. Ut verò absque scrupulo deinceps agatis, en vobis regulam universalem. 31. Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quidpiam agitis, date diligenter operam, ut omnia ad Dei immortalis gloriam referatis, quæ etiam ædificationem proximi vestri involvit. 32. Cum Judæis, cum Gentibus, cum fidelibus eam agendi rationem servate, quæ nulli unquam scandalum præbeat. 33. Denique exemplum meum vobis hac in re imitandum propono. Studeo, quacunque ratione possum, gratificari omnibus, & attemperare me nonnullorum imbecillitati perinde, ac aliorum capacitati majori. Meorum commodorum penitus oblitus unicè in aliorum utilitatem curas omnes ac cogitationes meas converto, ut nempe multi per me salutem consequantur sempiternam.

tia participo, quid blasphemor pro eo, quod gratias ago?

31. *Sive ergò manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.*

32. *Sine offensione estote Judæis, & Gentibus & Ecclesiæ Dei:*

33. *Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens, quod mihi utile est, sed quod multis: ut salvi fiant.*

PARAPHRASIS

CAP. XI.

1. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.*

1. PRoposui me vobis in exemplum, & adhuc proponere non vereor, quemadmodum & ego actiones meas omnes atque consilia ad perfectam quandam Christi Domini tanquam prototypi mei imitationem quàm diligentissimè componere studeo, qui cùm imago sit Patris sui & rex gloriæ, imbecillitati tamen mortalium sese mirum in modum attemperavit, quamdiu inter eos in terris degere voluit. Nunc plusquàm satis de idolothytis disseruimus, pergendum nunc ad alia.

2. *Laudo autem vos fratres, quòd per omnia mei memores estis: & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.*

2. Antequam verò ad rem veniam, non possum non, dilectissimi fratres, hoc potissimùm nomine vos magnopere laudare, quòd recenti adhuc memoriâ teneatis præcepta mea, & traditiones observetis, quas à me accepistis. Pergite tantùm vos ita dociles ac morigeros exhibere deinceps, & leges, quas modò præscribo, dili-

diligenter custodite. 3. Ante omnia nôsse vos oportet & meminisse, quòd JEsus Christus sit caput viri, vir caput mulieris, & Deus caput JEsu Christi, id est, quemadmodum JEsus Christus secundùm humanam naturam suo Patri subditus est, ita & vir JEsu Christo, & fœmina viro subesse debet. 4. Quare vir, qui in templo orationi vacat, vel explicat, quæ à Deo revelatione accepit, si capite quomodocunque tecto id faciat, injuriam facit Christo suo Capiti, eò quòd cùm ei soli subjiciatur, hoc signo servilis conditionis declarare videtur, se alterius cujuspiam in hoc mundo esse mancipium. 5. Pari ratione fœmina, quæ non attendit se ex professione Christianæ religionis obligatam esse ad exteriorem modestiam perinde ac ad puritatem animi, séque sine Creatoris offensâ non posse dissimulare discrimen, quod is inter virum illámque constituit, si dum orationi intenta est, vel rerum divinarum, quas peculiari revelatione à Deo accepit, expositioni, capite detecto id faciat, injuriam marito suo irrogat. 6. Quandoquidem enim velum, quod est signum suæ subjectionis, vertici suo

3. *Volo autem vos scire, quòd omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris vir: caput verò Christi, Deus.*

4. *Omnis vir orans, aut prophetans velato capite deturpat caput suum.*

5. *Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum, unum enim est, ac si decalvetur.*

6. *Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si verò turpe est mulieri*

tonderi, aut decalvari, velet caput suum.

7. Vir quidem non debet velare caput suum: quoniam imago & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est.

8. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro.

9. Etenim non est concreatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum.

10. Ideo debet mu-

suo non imponit, palàm facit, quòd eum tanquàm Caput suum non, uti par est, vereatur. Certè hoc perinde eam dedecet, quàm si publicè calva compareat. Quandoquidem enim velum aspernatur exemplô viri, cur non & cum illo crines suos resecari præcipit? quòd si nec tonderi velit, nec calva comparere, cùm hoc sexûs sui honestati ac decentiæ repugnet, operiat ergò caput suum, uti postulo. 7. Viro autem tegumentum capitis non convenit, siquidem auctoritate ac potestate suâ supra uxorem gloria est, & imago Dei, in quo scilicet elucet Dei Majestas & imperium, cui immediatè subjicitur, hanc autem gloriam minimè oportet occultari, neque hanc superioritatem ullo subjectionis signo infringi, fœminam autem velari decet, cùm gloria sit mariti per subjectionem, quam illi debet, & hoc velamine utcunque profitetur. 8. Neque enim vir ex muliere, sed contrà potiùs ex viro mulier effecta & condita est. 9. Neque vir conditus est propter mulierem, sed potiùs mulier propter virum, ut eum adjuvet tum in societate vitæ, tum in propagatione prolis. 10. Idcirco

mu-

mulier capiti velamen imponat, oportet, quo se viro subjectam atque obnoxiam esse testetur, nec non ex reverentiâ, quam debet Angelis fidelium cætui præsentibus, quorum oculos attendere perdiligenter debet, ne offendat ullâ immodestiâ vel inverecundiâ. Nolim tamen exinde viros insolentiùs efferri ac superbire, quandoquidem circa favores, quos Deus in hac mortali vitâ distribuit, & mercedem amplissimam, quam in alterâ præstat, nullum omnino discrimen facit inter utrumque sexum, qui æqualiter ipsi subjicitur. 11. Porrò vir & fœmina ita inter se comparantur ut vir quidem hactenus emineat, consortiô tamen & operâ fœminæ indigeat, ut illa viri ad tuendam & alendam familiam suam domesticam & alias vitæ necessitates. 12. Et quemadmodum prima fœmina ex viro formata est, ita nunc sexus virilis ex fœmineo ortum ducit. Itaque neque ille suâ potestate abutatur ut tyrannus, neque mulier de suâ conditione ut nimiùm abjectâ conqueratur, sed ambo uni Deo coalescant, qui eos hac conditione creavit, ut alter alterius ope auxilióque indigeat. Quemad-

lier potestatem habere supra caput propter Angelos.

11. *Verumtamen neque vir sine muliere: neque mulier sine viro in Domino.*

12. *Nam sicut mulier de viro, ita & vir per mulierem; omnia autem ex Deo.*

admodum autem à viro mulier, & per mulierem rursus vir propagatur, ita ab uno Deo tanquam auctore pendent universa.

13. *Vos ipsi judicate: decet mulierem non velatam orare Deum?*

13. Quæ cùm ita sint, vos ipsi nunc ferte sententiam, num deceat mulierem absque velo preces in Ecclesiâ fundere.

14. *Nec ipsa natura docet vos, quòd vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi.*

14. Natura ipsa hanc indecentiam damnat, dum fœminis longiores crines conferat, ut pro velo serviant, & in signum subjectionis, ad quam ratione sexûs obstricti sunt.

15. *Mulier verò si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.*

15. Adeò ut non minùs ad decorem & ornatum illarum faciant, si longiores sint, quàm viros dedeceant, quippe qui liberi sunt.

16. *Si quis autem videtur contentiosus esse: nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.*

16. Quòd si quis mordicùs & contentiosè hunc abusum velit defendere, nolim equidem pugnaciùs cum eo contendere, illud tantùm dico, me à tali consuetudine penitus abhorrere, quippe quam Ecclesia Dei pariter repudiat.

17. *Hoc autem præcipio: non laudans, quòd non in melius, sed in deterius convenitis.*

17. His monitis præmissis alium longè graviorem abusum in vobis carpendum & eliminandum subjungo. Audio celebrari à vobis conventus in Ecclesiâ, non, ut par erat, cum spirituali fructu atque emolumento, sed potiùs (quod maximè dolendum est) cum detrimento non exiguo.

18. *Primùm quidem*

18. Ecclesia, in quâ congregamini, locus

locus deberet esse pacis ac concordiæ mutuæ fovendæ, interim plures in vobis factiones ac contentiones dominari intelligo. Peste hac omnes afflatos esse non crediderim, aliquos interim eâ infectos non dubito.
19. Divina enim providentia permittere solet hæreses, ac dissensiones, & hæ quodammodo videntur necessariæ necessitate non quidem antecedente & absolutâ, sed pro humanâ imbecillitate, ut probentur & dignoscantur palàm, qui in fide sunt constantes.
20. Itaque firmissimè persuasum habeo modum in Ecclesiâ olim usitatum celebrandi convivia ad exemplum ultimæ cœnæ Christi Domini memoriâ vestrâ jam excidisse.
21. Omissâ enim eorum celebratione secundùm primævum ritum ac formam quilibet pro suâ tantùm personâ ac ventre sollicitus properè comedendo absumit, quæ sibi apparari jusserat, priusquàm fideles omnes convenerint, unde contingit pauperem fame propemodum emori, dum interea divites vinô cibisque lautioribus ad crapulam usque saginantur.
22. Enimverò num ædes non habetes, in quibus edatis ac bibatis, si pristina vobis non arridet

convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo.

19. *Nam oportet & hæreses esse, ut &, qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.*

20. *Convenientibus ergò vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare.*

21. *Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.*

22. *Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum?*

aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo.

ridet disciplina? adeóne exigua vobis in Ecclesiam Dei reverentia, ut eam hac ratione vos profanare non pudeat? an fratres vestri, fideles videlicet, ita vobis eviluerunt, ut mensæ eos vestræ nolitis accumbere? an existimatis vos leviter tantùm contra charitatem delinquere, si vestro ciborum apparatu atque ostentatione in ruborem detis pauperes illos, qui tantis sumptibus impares symbolam suam pertenuem mensis vestris inferre verentur, aut fortasse non habent, quod cœnent. Quid dicam ad hæc? laudo equidem vos, quòd aliquas traditiones à me acceptas utcunque observetis, at verò quando attentiùs considero, in re tanti momenti vos à pristinâ Ecclesiæ consuetudine recedere, magnâ potiùs vos reprehensione indigere judico.

23. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis: quoniam Dominus JEsus in quâ nocte tradebatur, accepit panem,*

23. Ut verò manibus quasi palpetis abusûs vestri gravitatem, & discatis, quâ moderatione ac temperantiâ vos celebrare conveniat convivia vestra, ponam vobis ob oculos ultimam cœnam, quam JEsus Christus Dominus noster cum suis Apostolis instituit, uti ex ore ipsius accepi, vósque jam dudum edocui. Scitote ergò, Dominum nostrum JEsum Christum

eâ

eâ ipſâ noĉte, quâ Judæis proditus
fuit per Judam, cùm menſæ unà ac-
cumberet cum ſuis Apoſtolis, nobiſ-
que non aliud amoris pignus relin
quere vellet, quàm ſeipſum, panem
accepiſſe, 24. & cùm gratias egiſ-
ſet Patri ſuo cœleſti, ſacrámque be-
nediĉtionem impertiſſet, fregiſſe, de-
diſſéque omnibus aſſidentibus dicen-
tem: accipite & comedite, hoc eſt
corpus meum, quod pro vobis tra-
detur, hoc porrò facite, ut mei me-
moriam ac recordationem perpetuò
colatis. 25. itidem & poculum ac-
cepiſſe, ubi cœnâſſet, dicentem: hoc
poculum eſt novum teſtamentum
meo ſanguine ſancitum, hoc facite,
quotiescunque biberitis, ut memo-
riam mei ritu ſolenni celebretis.
26. Quotiescunque enim hunc pa-
nem ederitis, & ſacrum hoc pocu-
lum libaveritis, mortem Domini in
mentem revocabitis, donec in ſupre-
mo illo mundi die ad nos redeat ju-
dicaturus vivos & mortuos. Pro-
feĉtò exiſtimo hanc enarrationem
ſufficere poſſe pro inſtruĉtione,
quemadmodum vos conveniat præ-
parari ad accumbendum ritè huic ſa-
cræ menſæ. 27. Quicunque enim
hunc panem ſumpſerit, vel hunc ca-
licem

24. Et gratias agens fregit & dixit: accipite & manducate: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem

25. Similiter & calicem, poſtquam cœnavit, dicens: hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem.

26. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.

27. Itaque quicunque manducaverit panem

hunc, vel biberit calicem Domini indignè: reus erit corporis & ſanguinis Domini.

28. *Probet autem ſeipſum homo: & ſic de pane illo edat & de calice bibat.*

29. *Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit: non dijudicans corpus Domini.*

30. *Ideo inter vos multi infirmi & imbeciles, & dormiunt multi.*

licem indignè hauſerit proditor eſt corporis & ſanguinis Domini, reúsque mortis ac ſi illud cruci affigeret, & hunc ſacrilegè effunderet. Hæc verba tremenda quidem ſunt, ſed veriſſima, unde vellem hunc fructum caperetis, 28. ut quilibet ſtatum conſcientiæ ſuæ examinet ſincerè & absque fuco vel indulgentiâ, & non niſi præmiſſo hoc rigoroſo examine de pane iſthoc comedat & de calice bibat. 29. Nam qui edit aut bibit indignè, quaſi hauſto venenô judicium & ſententiam propriæ condemnationis ſibi manducat & bibit, quandoquidem JEſus Chriſtus ad ipſum venit in ejus exitium, non verò in alimentum, ipſe verò ſacrilegâ hac ſumptione ſententiam æternæ ſuæ damnationis in propriis viſceribus circumfert. Et ſanè rationi vel maximè congruit tale judicium, quandoquidem non dijudicat aut diſcrimen ullum facit inter ſacratiſſimam Chriſti carnem, & inter viliſſimos alios cibos. Tantam irreverentiam non raró etiam pœna in hac vitâ conſequitur. 30. Unde enim, obſecro, tot inter vos languidi & infirmi? tót etiam in flore ætatis morte immaturâ abrepti, niſi

nisi ob exiguam reverentiam, quâ illum excipiunt, qui cùm sit ipsa sanctitas, animæ puritate atque innocentiâ delectatur unicè. 31. Quòd si nos ipsos diligenter exploraremus, ac sedulò omnes animi nostri recessus lustraremus, alieni ab omni palpo perversarum nostrarum cupiditatum, si exactam iniremus disquisitionem nostrarum actionum, & perspecta flagitiorũ nostrorũ enormitate ea detestaremur firmissimo emendationis propositô factô, antequam accederemus mensam Domini, non incideremus tam frequenter in manus divinæ Nemesis. 32. Interim non parùm manemus obstricti divinæ bonitati, quòd nobiscum tam clementer & paternè agat, castigando nos in hac vitâ, ut hac ratione æternum evadamus exitium, quod nos perinde maneret, ac alios mundi cultores improbos, atque potiùs erudimur in futurum, quàm plectamur de præterito. 33. Itaque, fratres mei, cùm conventus vestros celebratis, cœnásque memoratas acceditis, quæ in alium planè finem institutæ non fuerunt, quàm ad fovendam mutuam inter fideles pacem & concordiam, præstolamini invicem ad ostendendam unitatem animo-

31. *Quòd si nos metipsos dejudicaremus, non utique judicaremur.*

32. *Dum judicamur autem, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.*

33. *Itaque, fratres mei, cùm convenitis ad manducandum, invicem exspectate.*

rum, ac dilectionem sinceram, in quâ vivitis.

34. *Si quis esurit, domi manducet: ut non in judicium conveniatis. Cætera autem, cùm venero, disponam.*

34. Si quis verò tamdiu non possit esse abstemius, donec omnes unà convenerint, auctor illi sum, ut domi suæ manducet. Hæc vobis præscribo, ne cœtus vestri in propriam redundent perniciem, qui novis potiùs vos favoribûs donísque cœlestibus cumulare deberent. De cæteris rebus, quæ adhuc ordinandæ sunt, & promovendæ ad ultimam perfectionem disciplinæ Christianæ, disponam postmodum, cùm ad vos venero.

PARAPHRASIS

CAP. XII.

1. *De spiritualibus autem, nolo vos ignorare fratres.*

1. PRæter memoratum abusum irrepsit alius quispiam, ut intelligo, videlicet nonnullos, qui in baptismo donum quoddam peculiare Spiritûs Sancti acceperunt, inde vanâ gloriâ efferri, nec quâ decet prudentiâ illo uti. Non patiar vos errori huic diutiùs immorari, sed scaturiginem vobis ostendam harum gra-

gratiarum, quas tantopere exoptatis, & acceptas ſubin in materiam veſtræ ſuperbiæ convertitis. 2. Meminiſtis adhuc, fuiſſe vos aliquando à veri Dei cultu & cognitione alienos, impiæ ſuperſtitioni atque idololatriæ deditos, verbô Gentiles, qui veſano quodam impetu ad ſimulachra Deorum planè muta atque ſurda, ùt rapi contigiſſet, nulla nec loci, nec temporis, nec veſtri habitâ ratione quaſi œſtrô perciti abripiebamini. Quòd ſi in eo miſero ſtatu cœcitatis atque ignorantiæ ductu veſtrorum Majorum atque impulſu dæmonum vos permiſiſtis ad exe- cranda illa idola atque aras tanquam victimas pertrahi, ſcitote modò ſingulari Dei beneficiô Spiritum Sanctum vobis obtigiſſe Magiſtrum, cujus directionem vos ſequi oporteat per omnia. 3. Qui loquitur divini hujus Spiritûs inſtinctu, non poteſt JEſum blasphemo ore inceſſere, & viciſſim, qui JEſum ùt Dominum ſuum, quod Chriſtiani faciunt, reveretur, non poteſt non illuſtratus eſſe, & ad id permotus à divino Spiritu. Quid plura? ne minima quidem cogitatio, aut affectus ad rem honeſtam in vobis excitari poteſt, niſi

2. Scitis, quoniam cùm Gentes eſſetis, ad ſimulachra muta prout ducebamini euntes.

3. Ideo notum vobis facio, quòd nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema JEſu. Et nemo poteſt dicere, Dominus JEſus, niſi in Spiritu ſancto.

4. *Divisiones verò gratiarum sunt, idem autem Spiritus:*

5. *Et divisiones ministrantium sunt, idem autem Dominus.*

6. *Et divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.*

7. *Unicuique autem datur manifestatio Spiritûs ad utilitatem.*

8. *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ secundùm eundum Spiritum:*

9. *Alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia*

nisi eo auctore ac motore. 4. Cæterùm charismata, quæ Christiani in Ecclesiâ suâ habent, sunt diversa admodum, unus tamen idémque Spiritus ea distribuit tanquam auctor & fons primarius. 5. Diversa quoque sunt ministeria, quibus pro virili in vinea Dei quisque laboret, sed idem est unus omnium Dominus, qui ad hæc vel illa nos destinat. 6. Virtus patrandi mira non ejusdem est efficaciæ in omnibus, idem tamen Deus, cujus virtute ac potestate hæc omnia fiunt. Nolite autem vobis persuadere, distributionem horum charismatum, quæ indicia & argumenta sunt inhabitantis in eo, qui illa recepit, Spiritus Sancti, inæqualem esse absque ratione & veluti casu quodam. 7. Deus ea dispertiendo attendit, quid magis expediat, sive ad confirmandos fideles, sive ad convertendos Gentiles. 8. Inde est, quòd divini Spiritûs beneficiô huic quidem sermo sapientiæ tribuitur, quæ altissimas rerum causas maximèque reconditas rimatur: alii verò sermo scientiæ ad humanam civilémque disciplinam probè instituendam, 9. alii mysteriorum fidei eximia quædam planeque singularis no-

notitia ad ea tum explicanda, tum etiam adversùs impios defendenda, alteri porrò excellens quædam ad varia morborum genera curanda vis atque potestas. 10. Hic potestatem habet ad signa edenda, ille futura prævidet, atque prædicit, iste secreta cordium novit, & probè discernit inter diversas eorum agitationes, alius donô linguarum præcellit, alius intelligentiâ & interpretatione Scripturarum. 11. Sed hæc omnia efficit unus ille atque idem Spiritus, qui Ecclesiam universam fovens ac vegetans, & multiplici donorum largitione exornans privatim singulis hæc sua divina munera pro suo arbitratu partitur. 12. Nam quemadmodum corpus hominis naturale unum quoddam est complexum constans pluribus membris, & hæc licèt dignitate usúque inæqualia unicum faciant compositum, pari ratione Christus JEsus Caput nostrum plures habet fideles, qui ab ipso tanquam membra dependeant, & quamvis nec scientiâ nec aliis dotibus pari gradu instructi sint, in unum tamen, idémque corpus mirâ quadam ratione coalescunt. 13. Ad formandum hoc cor-

sanitatum in uno spiritu:

10. *Alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.*

11. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.*

12. *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus.*

13. *Etenim in uno*

Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi sive Gentiles, sive servi, sive liberi: & omnes in uno Spiritu potati sumus.

14. *Nam & corpus non est unum membrum sed multa.*

15. *Si dixerit pes: quoniam non sum manus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore?*

16. *Et si dixerit auris: quoniam non sum oculus, non sum de corpore: num ideò non est de corpore?*

17. *Si totum corpus oculus: ubi auditus? si totum auditus: ubi odoratus?*

18. *Nunc autem posuit Deus membra, unum-*

corpus unitate perfectâ omnes regenerati sumus, Judæi, Gentiles, servi, liberi in eodem spiritu per baptismum: omnes ex eodem fonte gratias hausimus, omnes eodem potu sanguinis nempe Christi recreati sumus & participes effecti unius spiritûs ipsius, qui per omnia membra permeans singula vegetet, suísque functionibus idonea reddat. 14. Porrò corpus cùm dico, non unum duntaxat membrum intelligo, sed unum quidpiam ex pluribus necessariò compactum & coagmentatum, quorum aliqua ùtùt viliora perinde rationem partis habent, ac perfectiora. 15. Quòd si in humano corpore dissidiô ac velut intestino bello excitato pes diceret: non sum brachium, an ideo negaret se esse partem corporis? 16. Si auris diceret, se non esse oculum, num ideo desineret esse pars corporis? 17. Si totum corpus tantùm oculus vel auris esset, ubi odoratus, ubi reliquæ facultates? 18. Nunc autem Deus admirabili quadam sapientiâ singula per se membra suis muneribus ac functionibus destinata eleganti discrimine in corpore collocavit, ùt optimum factu, ipsíque corpori

pori consentaneum duxit. Atque
hæc distinctio est pernecessaria.
19. Si enim omnia membra essent
æqualia, eidémque actioni opportu-
na, non constituerent unum corpus
organicum, quemadmodum id fa-
ciunt ratione diversitatis, 20. præ-
ter hanc, quæ haud dubiè non pa-
rum confert ad integritatem & per-
fectionem totius corporis, interce-
dit inter hæc ipsa membra propter
mutuam indigentiam dependentia
quædam adeò necessaria, 21. ut
oculus manui exprobrare nequeat,
quòd ejus operâ non indigeat, ne-
que idipsum objicere caput pedibus.
22. Quinimò membra, quæ viden-
tur debiliora, & vix ullius usûs, sunt
vicissim magìs necessaria. 23. Quæ-
que viliora sunt, vel minùs honesta,
majori sollicitudine studióque ser-
vamus, tegimúsque, quàm alia, quæ
utpote decentiora aspectum non ve-
rentur, ipsa enim natura magnam vi-
detur corporis nostri habuisse ratio-
nem, quæ partes, in quibus esset
species honesta, posuit in promptu,
quæ autem ad nostram necessitatem
datæ aspectum essent deformem
habituræ, eas seposuit, & quodam-
modo contexit, atque abdidit, quam
natu-

*quodque eorum in corpo-
re sicut voluit.*
19. *Quòd si essent om-
nia unum membrum, ubi
corpus?*
20. *Nunc autem multa
quidem membra, unum
autem corpus.*
21. *Non potest autem
oculus dicere manui: ope-
râ tuâ non indigeo: aut
iterum caput pedibus:
non estis mihi necessarii.*
22. *Sed multò magis,
quæ videntur membra
corporis infirmiora esse,
necessariora sunt.*
23. *Et quæ putamus
ignobiliora esse membra
corporis, his honorem a-
bundantiorem circum-
damus: & quæ inhone-
sta sunt nostra, abundan-
tiorem honestatem ha-
bent.*

naturæ tam diligentem fabricam imitata est hominum verecundia.

24. *Honesta autem nostra nullius egent: sed Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem.*

24. Quæ enim honestam speciem habent in nobis, iis externo, atque aliunde adscito decore opus non est. Porrò Deus ita providè omnia attemperavit, formando hominis corpus, voluitque ut majorem curam haberemus partium minùs elegantium ac honestarum, atque ita, quod deesse videtur, extrinsecâ suppleamus industriâ ac dignitate,

25. *Ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra.*

25. ne in corpore dissidium sit ac velut intestinum & domesticum bellum, unde corporis pernicies, atque interitus existat, sed contrà potiùs naturæ quodam ductu atque impulsu pars quælibet invigilet tutelæ alterius, atque ita in unum cuncta conspirent.

26. *Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.*

26. Inde est, quòd uni patienti reliqua condolent, & uni bene habenti congaudent, & quodammodo gratulantur cætera. Quæ dicta sunt hactenus de corpore naturali, serviunt ad perfectiorem intelligentiam corporis mystici, quod est Ecclesia.

27. *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.*

27. Dico enim vobis, fratres mei, vos omnes conjunctim esse corpus Christi, & singulos esse membra illius ita iter se nexa colligatáque, ut alia ab aliis pendeant mutuo

tuo connexionis vinculô. Quemadmodum ergò Deus corpus physicum ex pluribus membris constituit dignitate & officio discrepantibus, ita pariter 28. disposuit, ut in ejus Ecclesiâ hi essent Apostoli, illi Prophetæ, alii Doctores. Postmodum libero voluntatis suæ beneplacitô distribuit mirâ varietate inter fideles potestatem patrandi miracula vim sanandi infirmos, gratiam exercendi opera misericordiæ indigentibus, artem conscientias dirigendi, donum plurium linguarum, & facultatem interpretandi. 29. Nunquid enim omnes sunt Apostoli? omnes Prophetæ? omnes Doctores? 30. Nunquid omnes signa edere possunt, ægros curare, diversis linguis loqui, eas intelligere & explicare? nullâ ratione fratres mei. Imò hoc minimè expediret: neque est cur contra tam inæqualem distributionem mussitetis, cùm vobis ostenderim, quibus rationibus fundata sit, & quo animo excipienda. 31. Non repugno, ut aliqua è prædictis charismatis desideretis, optarem autem magnopere, ut in illa potissimùm cogitationes ac curas vestras converteretis, quæ & aliis, & vobis ipsis plus emo-

28. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesiâ primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum.*

29. *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores?*

30. *Numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?*

31. *Æmulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.*

emolumenti afferre valent. Sed quænam illa? en compendiô vobis monstrabo semitam longè breviorem, certiorémque acquirendæ perfectionis, quàm illæ sint prærogativæ, unde tantopere gloriamini.

PARAPHRASIS

CAP. XIII.

1. *Si linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.*

2. *Etsi habuero prophetiam & noverim mysteria omnia & omnem scientiam: & si habuero*

1. ÆStimatis mirum in modum donum linguarum, ejúsque defectum ægerrimè fertis, ego verò longè aliter comparatus sum, vestróque judicio ac gustui nequaquam accedo. Tametsi enim linguas omnium mortalium, & ipsorum Angelorum callerem, si charitatem non habeam, similis forem inani atque obstreperâ meâ loquacitate vasculo æreo, aut campanulæ tinnienti, cujus sonitus brevì dissipatur, & evanescit in auras. Idem sentio de aliis dotibus. 2. Tametsi notitiâ præditus essem rerum futurarum, tametsi mysteria omnia antiquæ novæque legis introspexissem, clarámque rerum omnium tam divinarum, quàm humanarum noti-

notitiam haberem, aut fidem adeò
firmam, ut montes propriis sedibus
avulsos aliò transferam, si charitate
destituar, nullius sum pretii ac mo-
menti coram Deo. 3. Quinimò
asseverare non vereor, si facultates
omnes erogâssem in pauperes, me-
úmque corpus flammis ustulandum
tradidissem pro defensione Christia-
ni nominis, hæc omnia nil penitus mi-
hi profutura, si sola deesset charitas,
quæ vitam tribuit vímque merito-
riam omnibus actionibus honestis.
Nihil eâ præstantius inveniri aut fin-
gi potest. 4. Charitas patiens est,
neque dolore frangitur, neque cala-
mitate ullâ compelli se patitur ad
ullam querimoniam. Benigna est,
omnésque injurias excipit placidâ
fronte, & absque vindictæ spiritu,
bonis aliorum neutiquam invidet, a-
liena est ab omni malitiâ, præcipita-
tione, impudentiâ, & vanâ compla-
centiâ in suis actionibus. 5. Ambi-
tione non excœcatur, non fascina-
tur lucri cupiditate, quin aliorum
commodis magis afficitur, non ir-
ritatur, non insurgit in iras, ne qui-
dem ullam de nocumento alteri in-
ferendo admittit cogitationem. 6.
Si quis injuriâ aut contumeliâ affi-
ciatur

*omnem fidem, ita, ut mon-
tes transferam, charita-
tem autem non habuero,
nihil sum*

3. *Et si distribuero in
cibos pauperum omnes fa-
cultates meas, & si tradi-
dero corpus meum, ita, ut
ardeam, charitatem au-
tem non habuero, nihil
mihi prodest.*

4. *Charitas patiens
est, benigna est: charitas
non æmulatur, non agit
perperàm, non inflatur.*

5. *Non est ambitiosa,
non quærit, quæ sua sunt,
non irritatur, non cogi-
tat malum,*

6. *Non gaudet super
iniquitate, congaudet au-
te veritati:*

ciatur, si rebûs adversis prematur, si
ex humanâ fragilitate cespitet, non
inde exhilaratur, non sibi propte-
rea gratulatur aut tacitè plaudit, sed
contrà potiùs exultat, & quodam-
modo triumphat, si quid ab alio
bene prosperéque geratur, si veritas
justitiáque floreat, & innocentes ab
inimicorum calumniis vindicentur.

7. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.

7. Onera quæcunque ei imponas,
fert illa fortiter, quin illis succum-
bat, quidquid ei dixeris, credet il-
lud non ex rusticâ, sed sanctâ simpli-
citate reliquos omnes suo pede me-
tiens. Si proximus emendationem
respuat, sperat nihilominus eam secu-
turam, & interea molestias omnes,

8. Charitas nunquam excidit, sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur.

quas illi facessit, devorat. 8. De-
nique, ut omnia uno verbo comple-
ctar, charitatis flamma nunquam ex-
tinguitur, sed in alteram usque vitam
nos comitatur. Desinent vaticinia,
quia de præsenti gaudebimus omnes,
neque quid ultra sperandum aut me-
tuendum supererit. Linguarum di-
versarum facultas atque usus cessabit,
& imperfecta illa scientia, quam ha-
buerimus veritatum æternarum ob-
literabitur aliâ clariore notitiâ su-

9. Ex parte enim cognoscimus & ex parte prophetamus.

perveniente. 9. Quamdiu enim in
hac caligine vitæ mortalis peregrina-
mur,

mur, has veritates ex parte tantùm cognoſcimus & inſtar ænigmatis aut viſionis obſcuræ prophetis conſuetæ.
10. Quamprimùm verò intellectus noſter clariſſimo jubare cœleſtis gloriæ illuminabitur, tum verò quidquid eſt rude, inchoatum, & imperfectum cognitionis noſtræ ex mente eliminatum locum cedet clariſſimæ perfectæque ſcientiæ, doteſque, quæ præſenti imperfecto ſtatui utcunque conveniunt, ceſſabunt penitus. Felicem hanc immutationem eò faciliùs capio credóque firmiùs, quòd ejus jam ideam & prægustum quendam in meipſo habeam. 11. Cùm eſſem parvulus, garriebam vel balbutiebam ùt parvulus, neque ultra ætatem & capacitatem infantium ſapiebam, quamprimùm autem virilem ætatem attigi, evanuit omnis ſimplicitas infantiæ. Idem ſcientiæ noſtræ eveniet. 12. Hic in terris Deum non cognoſcimus niſi ſub denſo quodam velamine vel ſipario, nec ad eum pertingimus niſi eminùs per creaturas, neque eum in his ſpeculis niſi imperfectè admodum & perobſcurè contemplamur. In cœlo autem de facie ad faciem videbimus illum apertè, neque ulla

10. *Cùm autem venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt.*

11. *Cùm eſſem parvulus, loquebar ùt parvulus, ſapiebam ùt parvulus, cogitabam ùt parvulus. Quando autem factus ſum vir, evacuavi, quæ erant parvuli.*

12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.*

ejus perfectio nos latebit. Hic mysteriorum ejus vix particulam intelligo, idque confusè, ibi omnes ejus divitias, atque magnificentiæ splendorem clarissimè intuebor: nunc sensim mihi appropinquat ad me nonnullô radiorum suorum fulgore collustrandum, tunc verò accedam ad illum propiùs ad plenam ab eo gloriæ lucem recipiendam. Quemadmodum nunc ipse me novit intimè, ita tunc & illum eâ claritate ac perfectione attingam, quam ejus incomprehensibilis Maiestas atque pulchritudo permittet.

13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas tria hæc: major autem horum est charitas.*

13. In præsentiâ quidem tria hæc præcipua Spiritûs Sancti munera possideo, fidem, spem, & charitatem, priora autem illa duo post mortem evanescent, in cœlo enim clarè conspicitur, in quem credidimus, & sperata beatitudo securè jam tenetur. Sola charitas ibi remanet, ut adeò jure merito concludere possim, eam principem locum citra omnem controversiam obtinere, neque satis pro dignitate æstimari posse, neque nimiam esse sollicitudinem atque diligentiam, quæ illi obtinendæ impenditur.

Pa-

PARAPHRASIS

CAP. XIV.

1. QUando vos exhortor ad sectandam & exercendam charitatem, non id eâ mente facio, ut vos retraham ab expetendis charismatis à Spiritu Sancto conferri solitis sive in Baptismo, sive in conventibus vestris. Id unum cupio, ut ea maximè expetatis, quæ ad ædificationem proximi potiùs serviunt, quàm ad inanem pompam & ostentationem. Complures dantur species, quas paulò ante recensui, at verò facultas tradendi & explicandi veritates æternas præ omnibus aliis æstimanda mihi videtur & expetenda. 2. Qui loquitur linguâ peregrinâ, quin eam explicet, loquitur sanè in gloriam Dei, qui solus eam intelligit, non verò in utilitatem hominum, qui orationis vim & sensum non percipiunt. Neque tamen idcirco contemnenda est hæc gratia, Spiritus enim Dei est, qui loquitur, eique revelat mysteria, quæ proponit. 3. Qui

1. *Sectamini charitatem, æmulamini spiritalia: magis autem ut prophetetis.*

2. *Qui enim loquitur linguâ, non hominibus loquitur, sed Deo: nemo enim audit. Spiritu autem loquitur mysteria.*

3. *Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem.*

4. *Qui loquitur linguâ semetipsum ædificat, qui autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat.*

5. *Volo autem omnes vos loqui linguis: magis autem prophetare. Nam major est, qui prophetat, quàm qui loquitur linguis: nisi fortè interpretetur, ut Ecclesia ædificationem accipiat.*

6. *Nunc autem fratres, si venero ad vos linguis loquens: quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in scientiâ, aut in prophetiâ, aut in doctrinâ?*

3. Qui autem linguâ intelligibili perorat, ædificat auditores, excitat ad pietatem, consolatur in rebus adversis, & in fide eos roborat. 4. Ille sibi tantùm prodest, alter etiam Ecclesiæ Dei. 5. Optarem equidem fratres mei, ut omnium gentium linguis loqueremini, mallem tamen vos inclytos donô prophetiæ seu facultate instruendi rudes, quos habetis: qui enim hac prævalet, haud dubiè plus emolumenti Ecclesiæ affert, nisi qui illa priori pollet, simul quid dicat, intelligat, & declarare noverit, ut fideles inde fructum referant. Meipsum hac occasione vobis pro exemplo propono. 6. Fingite, quæso, me adesse modò in vestrûm omnium cœtu multiplici ac vario linguarum genere instructum, & peregrina apud vos verba fundere. Quid vobis, obsecro, prodessent sermones mei? quem fructum perciperetis ex meâ prædicatione, nisi prophetarum more vobis exponerem mysteria, quæ recondita sunt sub obscuro verborum involucro, & intelligentiâ vestrâ penetrari non valent? nisi vobis explicarem difficiles sacrorum Codicum textus? nisi vobis notitiam communi-

nicarem, quam hausi tum proprio studiô, tum divinâ revelatione? nisi vos docerem, quæ ad Christianæ vitæ disciplinam ac probitatem morum pertinent? 7. Considerate ea, quæ vitâ carent, & sonitum aliquem gignunt, velut est tuba, aut cythara: si sonus hic obtusus sit, miniméque distinctus, quânam quæso ratione dignosci poterit, quid sibi hoc illudve instrumenti genus velit? 8. Tuba in bello & acie usurpatur, denotátque omnia militiæ exercitia, si illa verò haud usitatum & inconditum sonum ederet, milites certè imperia ducum haudquaquam dignoscerent. 9. Eadem sermonis est ratio. Si loquendo mentem vestram idiomate intelligibili explicare non valetis, auditores vestri nescient, quid dicatis, & tametsi aures illorum obtundatis clamoribûs, aërem verberabitis incassum, & planè surdis canetis. 10. Quælibet gens prorium habet idioma, quodlibet idioma proprios terminos peculiare quid significantes, alísque incognitos, 11. adeo ut si cui colloquens idiomate utar ei peregrino, pro barbaro omnis humanitatis experte habear, ipsúmque habeam, eò quòd nullus alterius loquen-

7. *Tamen quæ sine animâ sunt vocem dantia, sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur id, quod canitur, aut quod citharizatur?*

8. *Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum?*

9. *Ita & vos per linguam, nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id, quod dicitur? eritis enim in aëra loquentes.*

10. *Tam multa, ut puta, genera linguarum sunt in hoc mundo: & nihil sine voce est.*

11. *Si ergò nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus: & qui loquitur, mihi barbarus.*

12. *Sic & vos, quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ quærite, ut abundetis.*

13. *Et ideò, qui loquitur linguâ, oret, ut interpretetur.*

14. *Nam si orem linguâ, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est.*

15. *Quid ergò est? orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente.*

16. *Cæterùm si benedixeris spiritu: qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicas, nescit.*

quentis sensum mentémque assequatur. 12. Quare, fratres mei, deponite hunc errorem, & nolite tanto studiô dona illa commemorata affectare, vel si etiam illis vultis affluere, Ecclesiæ utilitatem in scopum vobis proponite. 13. Si quis multiplici linguarum genere instructus est, efflagitet etiam à divino Spiritu facultatem, quæ sibi revelata sunt, aliis explicandi. 14. Si enim exempli gratiâ preces persolvam ignoto idiomate, quin percipiar ab aliis, & memet ipsum intelligam, oratio, quam pronuntio, sonus est præcisè verborum exterior, qui aures quidem percellit, mentem autem meam neutiquam instruit, aut pietatis aliquo sensu commovet. 15. Quid igitur agendum, ut non incassum loquar & orem? equidem sic orandum existimo, ut oratio & orantis spiritui, & aliorum etiam intelligentiæ prosit, itaque psallendum, ut non modò qui canit, sed etiam, qui audiunt, mentem atque intelligentiam oblectent. 16. Profectò, quisquis demum sis, qui in cœtu ecclesiastico laudes Dei decantas, vel ejus benedictionem supra populum imploras, si terminis peregrinis utaris, quomodo laicus igna-

ignarus idiomatis ac significationis suas preces tuis junget, dicereque poterit: Amen? 17. Et tu quidem, quantùm ad teipsum attinet, qui linguam calles, probéque intelligis, quæ precaris, omnino rectè gratias agis, verba, quæ pronuntias, sancta sunt tibíque proficua, sed qui audiunt, nec percipiunt, quæ dicuntur, nullam inde capiunt utilitatem, cùm tamen eorum instructionem ac ædificationem semper præ oculis habere deberet, & tanquam finem tibi propositum intendere, secùs charitate te destitutum profiteris. 18. Ego quidem grates Deo immortali singulares habeo, quòd linguas omnium vestrûm calleam. 19. Interim tanti non facio hoc donum, ut non malim pauca verba, quæ quivis facilè intelligat, in Ecclesiâ loqui, ut alios erudiam, & salutaribus institutis imbuam, quàm bene longam peregrinâ linguâ contexere orationem exiguo auditorum meorum fructu. 20. Idem & vos, fratres mei, hac de re judicium formate, meæque accedite sententiæ: alienos quidem vos esse cupio ab omni malitiâ infantium instar, his ipsis tamen sensu mentéque neutiquam assimilari, qui nempe nugis glori-

17. *Nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non ædificatur.*

18. *Gratias ago Deo meo, quòd omnium vestrûm linguâ loquor.*

19. *Sed in Ecclesiâ volo quinque verba sensu meo loqui, ut & alios instruam: quàm decem millia verborum in linguâ.*

20. *Fratres, nolite pueri effici sensibûs, sed malitiâ parvuli estote: sensibûs autem perfecti estote.*

gloriantur non absque virorum prudentum risu, sed maturo judiciô, & ratione perspicaci agere.

21. *In lege scriptum est: quoniam in aliis linguis, & labiis aliis loquar populo huic: & nec sic exaudient me, dicit Dominus.*

21. Deus per Prophetam suum Isaiam denuntiat: loquar huic populo diverso idiomate, labiisque peregrinis, & ne sic quidem meam intelligent mentem. Hujus vaticinii veritas tunc adimpleta est, quando Apostoli post missionem Spiritûs sancti Judæis divinitatem Salvatoris nostri prædicando diversis linguis annuntiârunt, quo miraculo nequaquam permoti, sed obstinati manserunt in suâ incredulitate.

22. *Itaque linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus: Prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus.*

22. Unde patet, linguarum donum signum esse divinâ providentiâ ordinatum ad conversionem Gentium, quæ tamen non semper exinde consequitur, non verò in eorum commodum, qui veritati Evangelii manus jam dedêre: donum autem exponendi divina mysteria, & perspicuè explicandi ad fidelium utilitatem refertur, qui solatiô indigent in adversis, & instructione vitæ sanctiùs instituendæ.

23. *Si ergò conveniat universa Ecclesia in unum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles: nonne dicent, quòd insanitis?*

23. Nullibi exactiùs ordinem atque decorum servare convenit, quàm in vestris conventibus. Porrò si simpliciores quidam aut etiam à fide alieni, qui solam vernaculam suam callent,

lent, eos accedant, vosque audiant unà omnes diversis linguis loquentes, nunquid vos velut amentes furere atque insanire existimabunt? 24. Contrà verò si vos deprehendant colloquentes de sublimibus fidei mysteriis, vel sacram Scripturam exponentes, eorum vita dissolutior omnium præsentium ac loquentium suffragiis atque argumentis adductis redaguetur. 25. Facinora, quæ vel non observârunt, vel leviora crediderunt, eorum obtutui patebunt cum omni suâ gravitate ac turpitudine, hácque repræsentatione perculsi venerabundi in terram procident, adoraturi Deum, pronuntiabúntque publicè, verè Deum in medio vestrûm habitare, & per vos loqui. 26. Quid ergò factô opus? Respondeo, distributionem charismatum inter vos haudquaquam æqualem esse, uti jam sæpiùs insinuavi. Hic facultatem habet psallendi, ille docendi, alius revelationes peculiares accepit, quibûs arcana cordium humanorum vel mysteriorum divinorum in lucem profert, alius omni genere linguarum loquitur, alius verò scientiam habet eas interpretandi. Oporteret autem singulos

24. Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus;

25. Occulta cordis ejus manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians, quòd verè Deus in vobis sit.

26. Quid ergò est, fratres? cùm convenitis, unusquisque vestrûm psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant.

los hæc dona tanquam ſymbolam ſuam ad publicam utilitatem conferre, & reipſâ impendere.

27. *Sive linguâ quis loquitur, ſecundùm duos, aut ùt multùm tres, & per partes, & unus interpretetur.*

27. Hujus rei gratiâ expedit, ut quotiescunque convenitis, duo ſolùm aut tres peregrino utantur idiomate, & quidem ſucceſſivè, verba autem eorum ab alio ſtatim explicentur pro communi captu & intelligentiâ.

28. *Si autem non fuerit interpres, taceat in Eccleſiâ, ſibi autem loquatur, & Deo.*

28. Quòd ſi nullus hac facultate interpretandi inveniatur præditus, conticeſcant illi, & cum Deo ſolo per orationem agant, quin fratres ſuos importunâ loquacitate turbent, quæ defectu intelligentiæ proſit memini.

29. *Propheta autem duo, aut tres dicant, & cæteri dijudicent.*

29. Qui facultatem habent alios inſtruendi, hoc velim obſervent. Sufficit duos treſve ex iis modeſtè ac religioſè diſcurrere in quolibet cœtu, reliqui verò, qui pari notitiâ ſunt præditi, doctrinam allatam diſquirendo & ſecundùm ſua momenta librando exenterent, atque ſententiam ferant.

30. *Quòd ſi alii revelatum fuerit ſedenti, prior taceat.*

30. Si uno loquente Spiritus Sanctus alteri aſſidenti illuſtrius quid ſuggerat de eâdem materiâ, tunc iſto verba faciente prior ille ſtatim conticeſcat.

31. *Poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare: ut omnes diſcant, & omnes exhortentur.*

31. Cuilibet enim veſtrûm fas eſt ſuam ſingillatim proferre ſententiam, ut omnes inſtruantur, & excitentur ad ſa-

lu-

lutem suam pro viribus procurandam. 32. Atque in hoc nulla est difficultas. Spiritus enim prophetiæ liberæ facultati prophetantium obnoxius est, id est, qui donum quodpiam Spiritûs Sancti acceperunt, eo uti possunt, aut silere, quandocunque id expedire judicaverint ad Dei gloriam, vel in utilitatem proximi, reliqui autem possunt esse arbitri & judices talium prophetarum. 33. Et sanè Deus, qui dissensiones non amat, sed consensum animorum, gratias suas largitur ad conservandam pacem & concordiam mutuam inter fideles, & qui iis ad hunc finem non utitur, grandi se sacrilegiô obstringit, id quod ubique doceo, & vobis etiam atque etiam ponderandum relinquo. 34. Hactenus dicta non concernunt fœminas, has enim tacere volo in conventibus ecclesiasticis, idque meritò, nullâ enim ratione permissum illis est ibi verba facere, & juxta S. Scripturæ monitum oportet eas memores esse suæ subjectionis atque observantiæ. 35. Si declarationem quampiam eorum, quæ audierunt, desiderent, postulent eam à viris suis, cùm domum redierint, & nequaquam in publico cœtu,

32. *Et spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt.*

33. *Non enim est dissensionis Deus, sed pacis: sicut & in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo.*

34. *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit.*

35. *Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesiá.*

tu, ubi contra omnem decentiam ac verecundiam agerent, si loqui non vererentur.

36. *An à vobis verbum Dei processit? aut in vos solos pervenit?*

36. His ita statutis circa morum disciplinam si quidquam moveretis in contrarium, perperàm sanè ageretis. Quis enim vestrûm ausit leges novas condere iis contrarias, quæ observantur per omnes alias Ecclesias, aut sibi persuadere, nihil omnino derogandum vel immutandum pessimis vestris excessibus aut abusibus?

37. *Si quis videtur propheta esse, aut spiritualis, cognoscat, quæ scribo vobis quia Domini sunt mandata.*

37. Nolite id in animum vestrum inducere. Quisquis etiam inter vos propheta audit, vel vir spiritu Dei plenus, ac probitate conspicuus, is pariter pro certo teneat, Deum per me eloqui & præcipere, ut ea omnino fiant, quæ dixi.

38. *Si quis autem ignorat, ignorabitur.*

38. Si verò fidem adhibere nolit, & ùt vera agnoscere, quæ proposui, is neque à Deo agnosceretur, atque inter suos connumerabitur, cujus legatum contemnit & audire respuit.

39. *Itaque fratres æmulamini prophetare: & loqui linguis nolite prohibere.*

39. Sed tempus modò est, ut huic discursui coronidem imponam, quod meliùs præstare non possum, quàm repetendo, & commendando vobis consilium meum ab initio datum. Inter charismata Spiritûs Sancti eligite illud, quod vos idoneos reddit ad alio-

rum

rum institutionem, & utilitatem. Donum tamen linguarum non idcirco contemnite, neque illo præditos ab ejus usu prohibete, quandoquidem Ecclesiæ potest denique cedere in emolumentum. 40. Tandem fratres mei, omnia peragite secundùm decorum, & ordinem rectum cuilibet convenientem. Hoc vobis impensissimè & ex animo commendo,

40. *Omnia autem honestè, & secundùm ordinem fiant.*

PARAPHRASIS

CAP. XV.

1. PArùm vobis prodessènt data hactenus à me consilia & monita omnia; nisi scrupulum omnem vobis eximerem circa articulum fidei, unde tanquam à basi ac fundamento totum systema ac ipsa veritas nostræ religionis dependet. Quamobrem, fratres mei, in memoriam vobis revoco lætum illud & exoptatissimum nuntium de resurrectione, quod à me acceptum pronâ mente accepistis, & fide etiamnum

1. *Notum autem vobis facio, fratres, Evangelium, quod prædicavi vobis, quod & accepistis, in quo & statis.*

num tenetis, uti spero, firmissimâ.

2. *Per quod & salvamini: quâ ratione prædicaverim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis.*

2. Cujus etiam beneficiô Christiana sacra suscepistis, & baptismo lustrati salutem consequimini, nisi tamen memoriâ exciderit (quod Deus avertat) quâ ratione res ea se habeat secundùm meam institutionem ac doctrinam, secùs enim ruente vel non satìs stabilito præcipuo hoc religionis nostræ capite vana esset & lubrica fides reliquis dogmatibus à me traditis præstita.

3. *Tradidi enim vobis inprimis, quod & accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm Scripturas:*

3. Itaque memoriâ repetite, quòd bene perpensâ & libratâ hujus veritatis præcellentiâ ante omnia vobis declaraverim, quod neutiquam proprio ingeniô excogitavi, neque à personâ suspectâ accepi, sed testimonio omnino infallibili, videlicet JEsum Christum, ùt divina Scripturarum oracula prædicant, mortem oppetiisse, ut pro omnium mortalium piaculis Deo Patri litaret, ejúsque gratiam ac benevolentiam suo pretiosissimo sanguine hominum generi conciliaret,

4. *Et quia sepultus est, & quia resurrexit tertiâ die secundùm Scripturas:*

4. sepulchro quoque illatum, & mox tertio ab obitu die ut earundem Scripturarum testimonia confirmant, redivivum,

5. *Et quia visus est Cephæ, & post hoc undecim.*

5. apparuisse 1mo. Petro soli, iterúmque ei præsentibus cæteris Apostolis,

lis, 6. poſtmodum ſpectandum ſe exhibuiſſe ſimul eodémque tempore plusquam quingentis fratribus, quorum aliqui jam vitâ functi, alii autem hodiedum vivunt teſtes hujus veritatis, 7. præterea à Jacobo peculiariter conſpectum, & poſtmodum ab omnibus Apoſtolis, 8. poſtremò denique & mihi apparuiſſe tanquam abortivo & omnium indigniſſimo, 9. reverà enim non tantùm noviſſimum inter Apoſtolos locùm teneo, ſed nec inter eos numerari aut nominari dignus ſum, quippe qui Eccleſiam Dei hoſtilem in modum, utì ſcitis, olim inſectatus ſim. 10. Si modò alius ſum, quàm fuerim, gratia Dei tantam mutationem effecit. De me aliud teſtari non poſſùm, niſi quòd hæc gratia Dei nequaquam inanis in me fuerit, aut otioſis manibûs, ut ita dicam, excepta, ſed ejus vi atque efficaciâ plus aliis omnibûs Evangelii Miniſtris laboraverim, eâ ſiquidem opitulante, & clariſſimo ſuo jubare dirigente quanta non auſus ſùm aggredi & perficere? quidquid ſum, & quidquid præſtiti, id totum illi debeo, hæc alma & præpotens gratia mecum collaboravit, & ſi quem fructum

6. Deinde viſus eſt plusquam quingentis fratribus ſimul: ex quibus multi manent, usque adhuc, quidam autem dormierunt:

7. Deinde viſus eſt Jacobo, deinde Apoſtolis omnibus:

8. Noviſſimè autem omnium tanquam abortivo, viſus eſt & mihi.

9. Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.

10. Gratiâ autem Dei ſum id, quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibûs laboravi: non ego autem, ſed gratia Dei mecum:

ctum retuli, hic illi præcipuè & ante omnia tribuendus est.

11. *Sive enim ego, sive illi, sic prædicamus, & sic credidistis.*

11. Porrò cùm omnes testes simus resurrectionis JEsu Christi, quem propriis oculis omnes conspeximus, perinde est, an mihi an aliis Apostolis, idipsum perhibentibus fidem adstruatis. Eandem illi veritatem annuntiant, quam vobis promulgavi, & quemadmodum eam modò expono, ita illam assensu firmissimo excepistis.

12. *Si autem Christus prædicatur, quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?*

12. Quare si resurrectio Christi passim palámque prædicatur, quî potest contingere, quòd aliqui ex vobis negare ausint futuram aliquando resurrectionem mortuorum.

13. *Si autem resurrectio mortuorum non est: neque Christus resurrexit.*

13. Cùm enim membra eodem se modo habeant, utì caput, si non resurgimus, ne credendum quidem erit, Christum Dominum à mortuis fuisse excitatum.

14. *Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergò prædicatio nostra, inanis est & fides vestra*

14. Quòd si Christus non est excitatus à mortuis, nimirum consequens est, inanem prorsus esse prædicationem nostram, vanam quoque fidem vestram, quia hac ratione palmarem vobis falsitatem venditamus, cui tamen spes vestra tota quanta innititur.

15. *Invenimur autem & falsi testes Dei, quoniam testimonium*

15. Itaque falsarii sumus, & impostores insignes, Deúmque, cujus legatos nos profitemur, aucto-

rem

rem facimus mendacii enormis dicendo, quòd filium suum ad vitam revocaverit, si res aliter se habeat, si nimirum mortui non resurgant.
16. Hæc enim duo prorsus sic sunt inter se connexa, ut qui alterum admiserit, alterum quoque fateri cogendus sit, & qui alterum neget, æquè utrumque rejiciat, atque adeo si mortui non resurgunt, ne Christus quidem fuerit suscitatus.
17. Dixi hactenus, fidem vestram inanem esse, si Christus non resurrexit. Rationem do, quia peccata vestra non sunt remissa & abolita, mors siquidem est pœna peccati, ut adeo, si divinus noster Servator illam non superavit, neque de hoc triumphâsse dicendus sit. Moriendo quidem pretium persolvit redemptionis vestræ, & peccata vestra expiavit, at verò per ejus anastasin pretium illud vobis applicatum, & hæc peccatorum remissio communicata fuit per gratiam justificantem. Ex hoc errore alia adhuc sequerentur absurda,
18. nempe eos, qui baptismo lustrati in fide Jesu Christi diem supremum clauserunt, tametsi acerbissimos pro Christo cruciatus pertulerint, maximósque labores exantlârint,

diximus adversùs Deum, quòd suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt.

16. *Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.*

17. *Quòd si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris*

18. *Ergò & qui dormierunt in Christo, perierunt.*

rint, periisse, & extinctos penitus, adeoque deceptos splendidè sperando & exspectando vitam longè illâ præstantiorem, quâ exuebantur pro defensione Christiani nominis, ac religionis.

19. *Si in hac vitâ tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

19. Nos quidem, qui eandem cum illis fidem profitemur, si merces nostra ad brevissimæ hujus vitæ felicitatem restricta est, omnium profectò mortalium miserrimâ conditione vivimus, quippe qui tot aspera, tot dura, tot adversa perferimus.

20. *Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium;*

20. Sed macti animô estote fratres mei. Extra omne dubium est, JEsum Christum verè à mortuis suscitatum: Primus è sepulchro egressus est tanquam princeps eorum, qui obierunt, ut certos redderet, & ipsos aliquando excitandos è tumulis, ducémque atque imperatorem suum secuturos, & interea constantes nos atque fideles in ejus obsequio permaneremus.

21. *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.*

21. Et sanè rationi admodum congruebat ut cùm per hominem mors irruperit in hunc mundum, per hominem nobis redderetur vita.

22. *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.*

22. Quemadmodum enim vitiô primi parentis Adæ omnes posteri necessitatem moriendi cum noxâ primigeniâ contrahimus, ita & Christi benefi-

neficiò cuncti vitam immortalem aliquando consequemur. 23. Unusquisque autem resurget secundùm ordinem dignitatis ac meritorum suorum. Christus quidem tanquam primitiæ jam revixit, consequens erit, ut quí ei fideliter adhæserunt, in secundo adventu & ipsi resurgent, cùm nempe venturus est ad supremum & universale judicium. 24. Tunc enimvero, ubi quilibet corpus suum reassumpserit, prædestinatorum Ecclesiam Patri suo cœlesti exhibebit tanquam regnum decoris & gloriæ, quod in ejus nomine & ad ejus gloriam congregavit, ut in eo solus dominetur, & exinde omnem honorem ac venerationem accipiat, simúlque omnem dæmonum atque inferorum principatum abolebit, omnem potestatem, omnémque virtutem, qui nunc regnum illud sanctitatis atque justitiæ evertere modis omnibus allaborant. Ita fractis demum Orci viribûs, regnóque triumphantis Christi Ecclesiæ stabilito finis veniet universæ carnis, cessabunt generationes, mundíque facies universa immutabitur. 25. Interea perget mysticum hoc Ecclesiæ militantis regnum tantisper ad-

23. Unusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus: deinde ii, qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt.

24. Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo & Patri, cùm evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem.

25. Oportet autem illum regnare, donec po-

nat omnes inimicos sub pedibus ejus.

26. *Novissima autem inimica destruetur mors: Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Cùm autem dicat :*

27. *Omnia subjecta sunt ei; sine dubio præter eum, qui subjecit ei omnia.*

28. *Cùm autem subjecta fuerint illi omnia: tunc & ipse filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.*

administrare Christus Dominus, donec Pater æternus omnes adversarios ejus pedibus conterendos subjecerit, quo facto non ampliùs pro ejus defensione movebit arma, sed pace fruetur exoptatissimâ. 26. Atque hæc omnia die illo novissimo evenient, quo mors inimica hominum implacabilis postremò debellata sucumbet per eorum anastasin, in quos antea potestatem quandam sibi usurpabat. 27. Inde non erit difficile id demum concludere, hanc fuisse Patris æterni voluntatem, ut potestas Filii sui se super omnia extenderet, nullúsque etiam immortalium spirituum ejus jurisdictioni exemptus foret. 28. Porrò postquam universa se Christi imperio submiserint, hic ipse se potestati Patris unà cum omnibus suis membris mysticis subjiciet, & obedientiam, quam ei semper exhibuit, palàm faciet, quippe qui secundùm ejus nutum Ecclesiam rexerit, & prædestinatos ad portum salutis perduxerit. Admirabili hac dependentiâ Filii increati secundùm corpus suum mysticum, hac item conjunctione arctissimâ membrorum ejus omnium, quæ in ipso & ex ipso vivent, quemad-

madmodum ipſe de Deo & in Deo vitam habet, Electi pluribus rebûs non amplius egebunt ſive ad ſui conſervationem, ſive ad propriam beatitudinem. Deus enim, qui omnes pervadet, & in omnibus requieſcet communicando ſe absque ſui diviſione, ſempérque unitatem eſſentiæ ſuæ retinendo omnia erit omnibus, & omnia in omnibus, id eſt, in Deo invenient neceſſaria omnia ad perfectam felicitatem, quin ipſe completa erit eorum beatitudo. Hæc argumenta nullam videntur pati replicam, pergam autem ulteriùs vos penitus convincere. Conſuetudinem neutiquam probo, unde vos redarguam, eámque in eum tantùm finem allego, ut oſtendam, vobis ipſis vos contradicere, cùm negatis aut in dubium revocatis reſurrectionem.

29. Si enim mortui non reſurgunt, quid ergò ſibi volunt, qui ex vobis baptismum recipiunt pro ſuis parentibus vel amicis eo non accepto vitâ functis? Quid aliud eſt ſibi contradicere, quàm negare reſurrectionem, ſimúlque vitam religiosè obſervare, qui fidem ac ſpem reſurrectionis indicat? 30. Quid prodeſt nobis Evangelii Miniſtris tot adire labores,

29. Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? ut quid & baptizantur pro illis?

30. Ut quid & nos periclitamur omni horâ?

bores, tot calamitates & ærumnas perferre.

31. *Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro.*

31. Ego certè Deum in testem vocare non vereor per eam gloriam quam in JEsu Christo Domino nostro habeo de vestrâ ad ejus fidem & obsequium conversione, me quotidie & in singula quasi momenta mori.

32. *Si (secundùm hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.*

32. Quem autem exinde fructum tandem consequor, quòd tanto studio ac contentione me totum animarum saluti impenderim, quódque Ephesi omnes assultus eorum & impugnationes, qui bestiis longè erant truculentiores fortiter exceperim, si spes nulla, mortuis restituendam postliminio vitam? Epulemur sanè & bibamus strenuè, quantum libuerit, sensibus nostris laxemus omnia frœna licentiæ, nihilque reputemus illicitum, quod experimur nobis volupe: fors crastinâ die moriendum nobis, & post mortem nulli erimus. Ita vulgò loquuntur, qui veritatem, de quâ mihi sermo, in dubium revocant.

33. *Nolite seduci: corrumpunt bonos mores colloquia mala.*

33. Nolite, obsecro, talibus profligatorum hominum axiomatis aures præbere, fugite eorum consortia, memores, quòd morum probitas sceleratis colloquiis corrumpatur facillimè.

34. *Evigilate justi, & nolite peccare: ignoran-*

34. Excutite somnum peccati, & ambulate

late in viis innocentiæ atque justitiæ. Non abs re hac oratione ad vos utor, neque enim ignoro, aliquos vestrûm perperam esse instructos de hoc argumento, mihique plurimùm gratularer, si ex meâ reprehensione confusi, & saniora docti hanc rerum divinarum ignorantiam, quâ laborant hactenus, aliquando tandem deponerent. 35. Sed excipiet nonnemo: de resurrectione mortuorum non dubito, quâ ratione autem ea evenire queat, & quænam corpora è sepulchris reassumenda, non capio, non intelligo. 36. Demens (sic enim loqui necesse est) naturam consule, ipsa te docebit, & quæstionem hanc resolvet. Si quam experientiam agriculturæ habes, an nescis, quod seminas, visceribus terræ abditum vivificari non posse, ac germinare, nisi prius interiit, & quodammodo per corruptionem mortuum fuerit? 37. Neque id ipsum prorsus corpus, quod postmodum metitur, seminari, sed purum tritici aut siliginis granum, quod in terram immissum spicam subin generat. 38. Deo videlicet immortali cuilibet sementis generi in terræ visceribus abdito propriam suam molem ac

tiam enim Dei quidam habent, ad reverentiam vobis loquor.

35. *Sed dicet aliquis: quomodo resurgunt mortui? qualive corpore venient?*

36. *Insipiens, tu quod seminas, non vivificatur, nisi priùs moriatur.*

37. *Et quod seminas non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus cæterorum.*

38. *Deus autem dat illi corpus, sicut vult: &*

unicuique seminum proprium corpus.

39. *Non omnis caro eadem caro: sed alia quidem hominum, alia verò pecorum, alia volucrum, alia autem piscium.*

40. *Et corpora cœlestia, & corpora terrestria: sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium.*

41. *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à stellâ differt in claritate.*

42. *Sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.*

ac corpus largiente ac formante. 39. Considera etiam res omnes vitâ præditas, & animadvertes aliam esse carnem hominum, aliam pecorum, aliam volucrum, aliam piscium. 40. Si oculos sublimiùs in altum tollas, deprehendes corpora cœlestia singula singulis, iisque differentibus perfectionibus prædita, si rursus in terram demittas, eandem varietatem in terrestribus observabis, sed longè major est cœlestium dignitas atque pulchritudo, quàm terrestrium. 41. Quin etiam non eadem est omnium cœlestium corporum species, plurimùm enim splendor solis à lunæ splendore differt, & in cæteris quoque syderibus aliud aliis lucis magnitudine & nobilitate præstat, omnia verò à solis lunæque fulgore plurimùm distant. 42. En typum resurrectionis clarissimum. Eadem erit in omnibus hominibus, in quantùm quilibet suum corpus resumet, diversa tamen, quia non eadem erit gloria ac felicitas resurgentium. Mortale corpus & obnoxium morbis, quæ ducunt in interitum, aliquando absumitur, quod verò revocatur ad vitam, non modò erit integrum atque omni ex parte perfectum, sed im-

immortalitate donatum nulli prorſus aut ægritudini, aut imbecillitati ſubjacebit. Cùm igitur moritur, quaſi ſemen in terram projicitur, ſed dum reſurget, perennem, & immortalem vitam nanſciſcetur. 43. Seminatur, ut ita dicam, in ſtatu admodum contemptibili, reſurget autem ingenti circumdatum gloriâ, ſeminatur ægrum atque infirmum, ſuſcitabitur autem multâ virtute atque vigore præditum 44. Seminatur animale, id eſt, ejusmodi, quod vitam habuerit cæteris animantibus communem, eam tamen morte amiſſam cum aliâ vitâ quaſi ſpirituali, longéque excellentiori reſurgendo commutat, unde ſpiritui quodammodo ſimile evadit non quidem quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum exiſtendi & agendi liberum ab omni ægritudine, imbecillitate, & indigentiâ nutrimenti, ſubtile, leve, penetrabile, immortale, gloriâ atque ſplendore inſigne, neceſſe eſt enim hæc duo veluti corpora vel duos potiùs corporis ſtatus diſtinquere. 45. Quando protoparens noſter Adamus è terrâ formatus eſt, animam viventem, id eſt, immortalem accepit. Quando ſecundus Adam ſive repa-

43. Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloriâ; ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute:

44. Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale. Si eſt corpus animale, eſt & ſpiritale, ſicut ſcriptum eſt:

45. Factus eſt primus homo Adam in animam viventem, noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem.

reparator humani generis JEſus Chriſtus in hunc mundum venit, non ſolùm animam habuit unde viveret, ſed etiam unde aliis vitam nobiliorem tribueret. Quandoquidem autem utrique debemus aſſimilari, & poſterior pro ſalute ac redemptione noſtrâ carnem induit, hanc quoque longè præſtantiorem vitam nobis communicabit,

46. *Sed non prius, quod ſpiritale eſt, ſed quod animale: deinde quod ſpiritale.*

46. ut adeò hinc non immeritò deducere valeamus, corpus noſtrum aliquando vitâ ſpirituali donandum, quod modò ſenſitivâ, cæteríſque animantibus communi præditum eſt, Deus enim vult, ut corruptio præcedat immortalitatem, infirmitas gloriam, & mors reſurrectionem.

47. *Primus homo de terrâ terrenus: ſecundus homo de cœlo cœleſtis.*

47. Primus homo è terrâ formatus non poterat non eſſe terrenus, 2dus. homo Chriſtus Dominus de cœlo deſcendens pari ratione non poteſt non eſſe cœleſtis.

48. *Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes.*

48. Morti ſumus omnes obnoxii inſtar primi, quia ab eo originem ducimus, glorioſi erimus & immortales inſtar ſecundi, quia is de cœlo deſcendit, ut nos velut perditas oves in terris quæreret paſtor verè bonus, ſuæque immortalitatis redderet participes.

49. *Igitur, ſicut portavimus imaginem terre-*

49. Quemadmodum ergò imaginem ter-

terreni gessimus rebelles & cœci posteri, ita etiam cœlestis illius imaginem præferamus, sectando ejus exempla, obedientiam, vitæque integritatem. 50. Hæc idcirco dico, quia nec caro nec sanguis, id est, homines carnis voluptatibus dediti, & flagitiorum cœno immersi regnum Dei possidebunt, & peccati corruptela locum non habebit in immortali illâ & immarcescibili gloriâ. Dixeram priùs hominum animas suis corporibus uniendas denuo. 51. Nunc autem grande vobis mysterium pando: omnes quidem morte oppressi velut quodam sopore obdormiemus, & rursum ad vitam revocabimur, sed non omnes immutabimur, neque corporis gloriam ac beatam immortalitatem assequemur, quotquot nimirum in gratiâ non decedimus. Nolite autem existimare, resurrectionem istam universalem multum temporis & negotii requirere. 52. Mortui è sepulchris resurgent in momento, in ictu oculi, ad ultimæ tubæ clangorem, Angelus enim tubam inflabit, & ad ejus sonitum, qui per universum orbem exaudietur, mortui suscitabuntur ab omni post-hac

ni, portemus & imaginem cœlestis.

50. *Hoc autem dico, fratres, quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit.*

51. *Ecce mysterium vobis dico: omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.*

52. *In momento, in ictu oculi, in novissimâ tubâ: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti: & nos immutabimur.*

53. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem.*

54. *Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: absorpta est mors in victoriâ.*

55. *Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?*

56. *Stimulus autem mortis peccatum est, virtus verò peccati lex.*

hac corruptione immunes, & nos mutabimur. 53. Momentum hoc nobis exoptatissimum est, quia tunc corpora nostra in alium beatiorem statum transibunt. Sublatâ crassitie evadent subtilia, deposito pondere agilia, sublatâ caligine splendida, devictâ morte immortalia, & miseriis omnibus exempta. Quando hæc bona nobis obvenient, & natura nostra corruptibilis ab omni deinceps corruptione liberabitur, 54. & depositis mortis exuviis immortalitatem induet, tunc vaticinia impleta erunt, & veritas illius patebit, quod Propheta divino instinctu prædixerat: mors penitus debellata est, nullum ampliùs vestigium superest ejus tyrannidis, nec quidquam ipsi ampliùs subditum erit. 55. O mors, ubi est victoria tua, quæ te tam insolentem & arrogantem reddidit? ubi tua trophæa? ubi stimulus tuus? 56. Mors per peccatum irrepsit in hunc orbem, & peccatô pro stimulo & venenato aculeo instar scorpii usa est ad nos eo configendos & enecandos, peccatum verò invaluit per legem, non quòd illius causa extiterit, sed quòd occasionem tantùm subministravit, ubi enim nulla prohibi-

hibitio, ibi nulla transgressio. 57. Sed agamus nunc Deo gratias immortales, qui nos istorum hostium victores reddidit per Jesum Christum Dominum nostrum. 58. Tantum ergò favovem, fratres mei dilectissimi, nolite ingratâ & immemori mente præterire, persistite constantes & firmi in fide earum veritatum, quas vobis modò declaravi, comparate vobis ingentem meritorum thesaurum assiduâ exercitatione virtutum omnium, charitatis præcipuè, & utcunque gravia sint & peracerba, quæ vos premunt, nolite animum idcirco despondere, cùm sciatis, Deum immortalem labores vestros amplissimâ mercede certissimò remuneraturum.

57. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum JEsum Christum.*

58. *Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles: abundantes in opere Domini semper, scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino.*

PARAPHRASIS

CAP. XVI.

1. INter hæc pietatis opera, quæ vobis commendo, non postremum locum tenet eleemosyna, ad quam

1. *De collectis autem quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Ga-*

latiæ, ita & vos facite.

quam proin vos quàm impensissimè adhortor: cùm verò non sufficiat bonum præstare, nisi id ritè fiat, illud moneo, ut in collectis vestris pro fidelibus Jerosolymæ degentibus eundem servetis ordinem, quem præscripsi Ecclesiis Galatiæ.

2. *Per unam Sabbati unusquisque vestrûm apud se seponat, recondens, quod ei bene placuerit, ut non cùm venero, tunc collectæ fiant.*

2. Nempe ut quilibet pro ratione facultatum, quas à Deo accepit, quantum licuerit, singulis Dominicis apud se reponat, quod constituit per reliquam septimanam erogare, ne primùm pecunia corrogetur, quando ad vos venero.

3. *Cùm autem præsens fuero: quos probaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Jerusalem.*

3. Optarem enim paratas invenire eleemosynas & proximâ opportunitate Jerosolymam transmittere per eos, quos ad id officii idoneos judicabitis. In hunc finem dabo illis litteras commendatitias

4. *Quòd si dignum fuerit, ut & ego eam, mecum ibunt.*

4. & si necesse sit, ut ipsemet eò me conferam, prosequemur iter conjunctim.

5. *Veniam autem ad vos, cùm Macedoniam pertransiero: nam Macedoniam pertransibo.*

5. Ego autem isthîc quamprimùm adero, ubi Macedoniam pertransiero, est enim mihi certum & constitutum, eam provinciam omnino obire.

6. *Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hyemabo: ut vos me deducatis, quocunque iero.*

6. Porrò apud vos longiori fors tempore permanebo, & ibi transigam totam hyemem, ut me postmodum discedentem eò libentius comitando prosequamini, quocunque perrexero,

ro. 7. Nolo enim vos nunc in
transitu solùm & quasi festinanter
præteriens videre, & amplecti obiter,
cùm noverim esse pernecessàrium, ut
per aliquod tempus apud vos sub-
sistam ad eliminandos abusus non-
nullos, qui in vestram Ecclesiam ir-
repserunt. Dabit Deus, utì spero,
successùm prosperum hac in re. 8.
Ephesi certè commorari cogor us-
que ad ferias Pentecostes. 9. Cùm
hæc urbs satìs ampla sit, & populo-
sa, adeóque messem uberem offerat
& opportunitatem optimam pro-
mulgandi Evangelium JEsu Christi,
résque magnas conficiendi. Prævi-
deo quidem tempestatem magnam
contra me concitandam, multáque
adversa perferenda, at verò Deo
meo protectori confisus nil habeo,
quod reformidem 10. Quòd si
Timotheus interea ad vos venerit,
date, quæso, operam, ut securo lo-
co & absque metu apud vos consiste-
re valeat. Laborat is in eâdem vineâ
Domini mecum, idémque Evange-
lium prædicat. 11. Quare, ta-
metsi paulò junior sit, nolite eum
idcirco spernere, sed benevolè au-
dite, & omni postmodum benevo-
len-

7. *Nolo enim vos modò in transitu videre, spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit.*

8. *Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten.*

9. *Ostium enim mihi apertum est magnum, & evidens, & adversarii multi.*

10. *Si autem venerit Timotheus, videte, ut sine timore sit apud vos: opus enim Domini operatur, sicut & ego.*

11. *Ne quis ergò illum spernat: deducite autem illum in pace, ut veniat ad me: exspecto enim illum cum fratribus.*

lentiâ recreatum ſalvum & incolumen Epheſum deducite, ubi eum unà cum fratribus exſpecto.

12. *De Appollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multùm rogavi eum, ut veniret ad vos cum fratribus: & utique non fuit voluntas, ut nunc veniret: veniet autem, cùm ei vacuum fuerit.*

12. Apollo à vobis tantopere ſollicitatus, & à me enixè rogatus, ut ad vos inviſeret, ſecúmque ſuos commilitones eò perduceret, noluit hactenus illud iter in ſe ſuſcipere, facturus illud commodiùs, cùm ipſi vacaverit.

13. *Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini.*

13. Interea, fratres mei, vigilate attenti, neque vos ſinite lethargô voluptatum opprimi, ſed torporem omnem excutite, fidem animô perceptam conſtanter retinete, reſiſtite fortiter quibuscunque aſſultibus, neque cedite ullis adverſitatibus.

14. *Omnia veſtra in charitate fiant.*

14. Charitas denique quæcunque cogitatis, loquimini, agitis, vigore ſuo animet, & quodammodo condiat.

15. *Obſecro autem vos fratres, nôſtis domum Stephanæ, & Fortunati & Achaici: quoniam ſunt primitiæ Achajæ, & in miniſterium ſanctorum ordinaverunt ſe ipſos:*

16. *Ut & vos ſubditi ſitis ejusmodi, & omni cooperanti & laboranti.*

15. Nôſtis, opinor, familiam Stephanæ, Fortunati & Achaici, qui ſunt primitiæ noſtri Evangelii in Achajâ, ſeséque totos impendunt obſequio pauperum fidelium. 16. Habete illos, obſecro, pro veſtro prototypo, omnem eis obedientiam præſtate, utì & aliis, qui cum eis vel mecum collaborâbunt in prædicatione Evangelii.

17. *Gaudeo autem in præſentiâ Stepha-*

17. Gaudeo verò ſummopere, quòd eos mihi videre contigerit, ea enim mihi exhibuerunt

runt obsequia, quæ à vobis, ut par erat, sunt neutiquam præstita. 18. Astiterunt mihi nomine omnium singulari charitate ac benevolentiâ, adeóque non tam mihi, quàm vobis, quorum nomine huc venerant, omne officii genus reddiderunt. Quare obstricti estis ut qui maximè ad eos peculiari honore & favore prosequendos. 19. Hîc finem impono epistolæ meæ. Omnes Ecclesiæ Asiæ, Aquila & Priscilla uxor ejus, in cujus ædibus habito, 20. & reliqui fratres, qui hîc sunt, salutant vos in Domino. Ex hac unione animorum, quam vobiscum fovent, discite, qualem inter vos mutuò colere debeatis. Salutate vos itaque invicem in osculo sancto. 21. Me quod attinet, salutem vobis dico formulâ haud usitatâ, útque plus efficaciæ habeat, significo vobis, quæ sequuntur, præter morem meam exarata esse manu propriâ. 22. Si quis amore non prosequitur Dominum nostrum Jesum Christum, anathema sit. Omnes eum fugiant, ùt hominem pestilentem & execrandum, cui impunè non abibunt commissa flagitia, Dominus enim veniet, & jam propè est, ut in illum senten-tiam

næ, & Fortunati & Achaici, quoniam id, quod vobis deerat, ipsi suppleverunt.

18. *Refecerunt enim & meum spiritum & vestrum. Cognoscite ergò, qui hujusmodi sunt.*

19. *Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in Domino multùm, Aquila & Priscilla cum domesticâ suâ Ecclesia: apud quos & hospitor.*

20. *Salutant vos omnes fratres. Salutate vos in osculo sancto.*

21. *Salutatio, meâ manu Pauli.*

22. *Si quis non amat Dominum nostrum JEsum Christum, sit anathema, Maran Atha.*

tiam damnationis proferat ore suo.

23. *Gratia Domini nostri JEsu Christi vobiscum.*


23. Si autem impiis debitam pœnam imprecor, vicissim ex animo precor, ut gratia Domini nostri JEsu Christi sit semper vobiscum.

24. *Charitas mea cum omnibus vobis in Christo JEsu. Amen.*

24. In illo vos intimè & tenerrimè complector, & ut me etiam ametis, votis omnibus exopto.
Amen.



AR-



ARGUMENTUM
EPISTOLÆ SECUNDÆ D. PAULI
AD
CORINTHIOS.

Consolatur alterâ hac epistolâ D. Paulus Corinthios, quos antea acriori reprehensione perculerat, mutatique præter exspectationem consilii, quòd ad eos, utì promiserat, non inviserit, rationem reddit. Fornicarium anathemate priùs perculsum, nunc verò pœnitentem communioni fidelium denuo restituit, agitque de verâ pœnitentiâ, de dignitate Ministrorum Novæ Legis, de patientiâ in adversis, de eleemosynâ, déque insignibus prærogativis, quibûs pseudoapostolos longè præcellit, ut adeo hæc epistola tum apologia sit ejus apostolatûs contra æmulos, tum idea & instructio eorum, qui ad Evangelii promulgationem vocantur.

Præmissâ consuetâ salutationis formâ caput primum or-

ditur ab agendis gratiis Patri cœlesti pro consolationibus, quas ab eo in ærumnis & afflictionibus suis acceperat. Certos subin reddit Corinthios de paternâ hac sollicitudine, qua Deus & illos complectitur, ut nimirum hac ratione ipsos erudiat & excitet ad fovendos pariter & recreandos alios fideles. Tum de suis agit insectationibus, earúmque magnitudinem adeo exaggerat, ut dicere non vereatur, se tædiô præsentis vitæ correptum fuisse. Postmodum se comiter excusat, quòd ad eos non venerit, & argumenta prævenit, quæ ex prætensâ levitatis & inconstantiæ notâ opponi poterant contra certitudinem doctrinæ suæ, quam solidissimam esse, & inconcussàm demonstrat. Ad extremum fatetur ultrò, distulisse se profectionem suam, ut interim longioris moræ indulgentiâ uterentur ad reformandam morum suorum licentiam, ne, si maturiùs veniret, compelleretur vel invitus ad eos gravioribus censuris feriendos, vel asperiùs objurgandos, prout jam fecerat.

Cap. 2do. sententiam excommunicationis, quâ, utì dictum epist. 1ma., scortatorem perculerat, revocat, ne pœnitentiæ prolixitate ad desperationem adigeretur. Sanctè illis denuntiat, se sincero amore, ac studio procurandæ salutis æternæ compulsum ad scribendum eis duriusculè, útque eos blandè consoletur, sibique d vinciat, declarat, non omnes à se argui ùt reos, sed scandalo illo tam graviter à se castigato complures eorum perinde ac seipsum, offensos atque exacerbatos fuisse. In fine disserit de diversis effectibus prædicationis, quæ bonum odorem apud aliquos, contrarium apud alios post se relinquit, vitam mortémque afferens, prout diversàm invenit animorum dispositionem in auditoribus libertati suæ nunquam non plenissimè à Deo permissis.

Cap. 3. candidè eis profitetur, se hominum commendatio-

dationes flocci facere, ut eorum tamen benevolentiam captet, addit, morum ſanctimoniam, quâ præditi, zelum eorum atque dilectionem eximiam tanquam fructus prædicationis ſuæ pulcherrimos ſibi pro litteris commendatitiis apprime ſervire, lætarique ſe magnopere, quòd eorum cordibus fidem in Jeſum Chriſtum non atramentô, ſed ſpiritu Dei profundè inſculpſerit. Ab hoc diſcurſu progreditur ad explicandam Legis antiquæ novæque differentiam, hanc demonſtrat illâ longè præſtantiorem eſſe, conſequenter Miniſtros ejus in gradu eminentiori conſtitutos, cùm Miniſtri dignitas Miniſterii qualitati commenſurari debeat. Proſequitur usque ad calcem capitis hiſtoriam Moyſis, aitque velamen, quo faciem ſuam contexerat, ne nimio ſplendore hebræi populi oculos offenderet tanquam ſignum ſervitutis perappoſitè congruiſſe legi timoris atque rigoris ſervilis, Chriſtianam verò religionem plenâ gaudere libertate, ac proin nullo velo indigere. Abſolvit hoc caput deplorando Judæorum cœcitatem, qui necdum patiuntur hoc à ſe velamen removeri, ſuæque legi mordicùs adhæreſcunt, quia nolunt agnoſcere Jeſum Chriſtum ùt verum per aſſumptionem naturæ noſtræ Legis priſtinæ abrogatorem. Spem tamen nonnullam eis facit emergendi demum è profundâ caligine, ſi vocem Spiritûs divini audire velint, atque ad Deum ſeſe aliquando ſeriò convertendi, qui ſuos novis quotidie veritatis gratiæque radiis illuminare non deſinit.

Cap. 4. oſtendit, nihil egiſſe ſe contra dignitatem & ſanctimoniam ſui Miniſterii, ſed integerrimè officiô ſuo perfunctum, declinâſſe ſe occaſiones omnes præbendi fidelibus ſcandalum, & prædicaſſe Verbum Dei non ad ſuam ſed Jeſu Chriſti gloriam promovendam. Probat hanc veritatem quotidianis ſuis ærumnis, quas perferendo inquit ſe mor-

tem Servatoris sui ubique circumferre, neque id absque ingenti suo solatio, quidquid enim in mundo toleratur, nihil esse in comparatione gloriæ sempiternæ nobis præparatæ.

Ad initium cap. 5ti. agit de eodem argumento, vitámque, quam hîc ducimus, absentiam quandam nuncupat, & peregrinationem, quæ nos separat, & removet à Deo. Ostendit, animas sanctiori vitæ deditas miris æstuare desideriis huic omnis boni principio arctissimè sese reuniendi, quíque verâ Dei dilectione sunt præditi, id unum votis omnibus exoptare, ut corporis exuvias aliquando deponere iis liceat, non quidem sui ipsius odiô, sed ex amoris quadam impatientiâ, quâ ad ejus beatificam possessionem feruntur. Ut tamen hanc sempiternæ felicitatis promulsidem salubri timore temperet, agit postmodum de discussione actionum nostrarum, aitque quemlibet extremo illo judicii die remunerandum secundùm merita sua. Tum suum in ipsos amorem studiúmque declarat, asseverátque, se per omnia in eorum salutem intentum maximè. Quando de seipso honorificè loquitur, id agit, ut in ipso glorientur tanquam Magistro probatæ fidei, & excitatas contra se pseudoapostolorum calumnias idoneis responsis dissipent, quando verò abjectiùs de se rebúsque suis disserit, id facit, ut eorum imbecillitati sese accomodet, qui arrogantiæ cujuspiam illum insimularent, si seipsum commendaret elatiùs. Fatetur exemplô Jesu Christi homines ardentissimo amore complexi constringi sese ad dilatanda erga proximum charitatis viscera. Inde occasionem arripit eis significandi, Filium Dei pro eis acerbam mortem oppetiisse, ut in ipso & per ipsum vitam habeant, atque idcirco baptismi lavacrô eos in novam creaturam regeneratos esse: de-

scen

ſcendiſſe illum ad nos de cœlo, ut reconciliaret Patri ſuo, & prædicatores ab eo miſſos ad annunciandam nobis hanc pacis redintegrationem.

Cap. 6. hortatur eos ad æſtimandam pro meritis tantam gratiam, oſtendítque ſibi tanquam Dei Miniſtris ac legatis incumbere, ut illam ubique promulgent: ſubin propenſiſſimum ſuum in eos affectum denuo declarat, rogátque, ut amorem pro amore reddant, omniáque cum infidelibus commercia atque connubia longiſſimè fugiant.

Cap. 7. proſequitur eandem amoris ſui ſinceriſſimi, & confidentiæ erga Corinthios teſtificationem: declarat conceptam ex eorum emendatione lætitiam, notáſque explicat, quibus ſe confirmatum eſſe profitetur de verâ ſolidáque eorum pœnitentiâ, oſtendítque, quale diſcrimen ſit inter ſalutarem, & fatalem triſtitiam.

Cap. 8. excitat eos ad ſuppeditanda vitæ ſubſidia pauperibus Jeroſolymæ degentibus, ex ratione non unâ. 1mo. Proponit eis in exemplum Macedones, quibus ne in rebus quidem magis arduis velint cedere. 2. Commemorat, Chriſtum pro nobis factum egenum atque mendicum, cúmque magnificentiſſimam cœleſtis ſui Patris regiam deſeruerit, ut nobiſcum in terris converſaretur, nóſque ſuâ inopiâ ditaret, æquum omnino eſſe, ut & nos pauperum, qui ejus membra ſunt, indigentiam ſublevemus. 3. Hortatur eos ad iſthanc liberalitatem, ut qui ejus redduntur participes, exorent Deum pro ipſis, bonáque cœleſtia ac perennia impetrent pro temporalibus ſibi collatis. Denique præſumpſiſſe ſe, ac ſuppoſuiſſe, eleemoſynas jam eſſe collectas, quod

quod si aliter se haberet, pudore planè atque confusione obruendum se perinde ac suos discipulos ad ipsos delegatos, quorum testarentur exiguam admodum rationem habere inexspectatâ hac & parùm decorâ Christianis sorditie.

Cap. 9. prosequitur eandem materiam, aliásque accumulat rationes, extollendo denuo liberalitatem Macedonum, cui nequaquam eos cedere oporteat, enumerando fructus eleemosynæ, gloriam inde in Deum redundantem, indigentium refocillationem, & ex eorum ad Deum precibus, gratiarúmque actionibus exorituram centuplam bonorum omnium abundantiam.

Cap. 10. orditur suam apologiam contra pseudoapostolos, qui arguebant eum ùt timidum & abjecti animi in eorum præsentiâ, quos epistolis suis increpabat. 1mo. Corinthios obsecrat, ne ipsum compellant ad redarguendos de mendacio suos calumniatores, & utendum potestate à Deo acceptâ, quam in dubium revocare auderent. Deinde de suâ in ministerio Evangelico agendi ratione disserit, quæ carnem minimè saperet, sed spiritum, & profitetur, se nunquam vel minimam gloriam ex eo captaturum, quod ipse non fecerit, tantúmque daturum operam illis terris excolendis, quas alii reliquissent intactas, & incultas.

Cap. 11. prosequitur suam defensionem, & à principio statim veniam petit à lectoribus si in proprias laudes excurrat uberiùs, compulsum enim se inquit ad comprimendam eorum impudentiam, qui fucum iis facerent, & suam authoritatem imminutum irent in eum præcisè finem, ut præpedirent, ne eorum artes detegerentur, ac technæ simplicioribus structæ dissiparentur. Hæc præfatus subjicit, perperàm eos agere, quòd eos tanti æstiment, cùm aliud eis

non

non prædicaverint, quod non priùs ex ipso intellexissent. 2do. Ostendit longè se illis anteponendum, quòd ipsi pro lucro, ipse verò gratis evangelizaverit. 3tio. Profitetur se esse hebræum, Israelitam, filium Abrahæ, perinde ac ipsos. Denique non veretur asserere, majori se jure, & pluribus nominibûs dici posse Apostolum, atque in hujus rei confirmationem quæcunque sibi perferenda fuerint, enumerat tanquam præclara Apostolatûs sui insignia.

Cap. 12. de raptu suo in 3tium. cœlum disserit, fatetúrque, ne ex tam inusitato favore insolesceret, ab angelo satanæ, velut injecto frœnô se quotidie miris modis vexari, nempe stimulo carnis, tentationibus inhonestis, motibúsque concupiscentiæ obscœnis, quibûs anima magnopere confunditur & prohibetur, ne ob singularia charismata cœlitùs accepta inanis gloriæ studiô efferatur altiùs, quàm Christianæ modestiæ, atque humilitatis ratio patiatur. D. Apostolus excusat se postmodum, quòd in laudes suas sese effuderit, & culpam omnem in Corinthios rejicit, qui debuissent id dudum præstare, quod ipse nunc ageret. Tum ad objectam sibi de corrogatis eleemosynis calumniam submovendam ostendit, quòd à se deputati nihil ab ipsis exegerint, ac demum vereri se, inquit, ne illos, cùm venerit, inveniat necdum per omnia emendatos & sanctiores.

Cap. 13. denuo eos hortatur ad corrigendos se seriò, ne aliàs auctoritate suâ ac potestate, quam pertimescere potiùs ac revereri deberent, quàm periclitari velle, cogatur uti severiùs animadvertendo in illos. Concludit demum commendando iis summopere pacem & animorum con-

ſenſionem, atque in fine ſalutationes conſuetas adjungit. Baronius exiſtimat hanc epiſtolam Nicopoli ſcriptam annô à partu Virginis 58. At ſecundùm Græcorum ſententiam Philippîs, quæ civitas eſt Macedoniæ, Corinthium miſſa eſt.



PA-



PARAPHRASIS IN EPISTOLAM SECUND. D. PAULI AD CORINTHIOS.

Caput Primum.

1. Paulus æterno Dei consiliô, & voluntate electus Jesu Christi apostolus, ac Timotheus frater Ecclesiæ Dei, quæ Corinthi est, & universis fidelibus in Achajâ dispersis salutem plurimam dicunt, gratiámque & pacem à Patre sempiterno, ejúsque Filio Domino nostro ex animo precantur. 2. Fratres mei non possum epistolam hanc convenientiùs ordiri, quàm à demississimâ gratiarum actione, quam Deo ter Optimo Maximo persolvo, cui ut ve-

1. *Paulus Apostolus JEsu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi cum omnibus sanctis, qui sunt in universâ Achajâ.*

2. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino JEsu Christo.*

3. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis,*

4. *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostrâ: ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressurâ sunt, per exhortationem, quâ exhortamur & ipsi à Deo.*

5. *Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra.*

6. *Sive autem tribulamur pro vestrâ exhortatione & salute: sive consolamur pro vestrâ consolatione, sive exhortamur pro vestrâ exhortatione & salute: quæ operatur tolerantiam earundem passionum, quas & nos patimur:*

7. *Ut spes nostra firma sit pro vobis: scientes, quòd sicut socii passio-*

vestram adjiciatis, enixè obtestor. 3. Illi etenim bonorum omnium largitori, & miserationum parenti, atque cumulatissimi solatii auctori laus omnis & gloria debetur à mortalibus, 4. qui nos in omni calamitate, quâ hactenus pro defensione sui Nominis premimur, tam benignè recreat, ut nonnullam etiam aliis, qui qualibet ærumnâ & adversitate vexantur, solatii partem impertiri possimus, ex eo videlicet, quod nobis liberaliter exhibet, discentes, quid facere nos oporteat pro aliis, 5. ùtque exemplô nostro pateat, si insectationes, quas pro Christi nomine tolerare compellimur, ingentes sint, & torrentis instar in nos irruant, eximia quoque solatia ejus beneficiô ac liberalitate divinâ nobis præstari, & mentes nostras mirâ dulcedine deliciísque perfundi, ut adversa quæque tanto majori gaudiô perferamus. 6. Si ergò patimur, & recreamur, id enimverò contingit ad vos consolandos & instruendos, quàm forti & alacri animô adversa quæque ùtùt maxima exantlare debeatis. 7. Speramus proin constantiam vestram minimè labefactandam, & quemadmodum in partem ve-

venistis perpessionum, ita etiam fore vos aliquando jucunditatis, & lætitiæ nostræ participes. 8. Quæ cùm ita sint, cúmque necessitudo quæ inter nos viget, non solùm successibus rebúsque prosperis alligata sit, nolo vos celare, fratres, quanta persecutio mihi in Asiâ perferenda fuerit: erat illa supra omnem facultatem viresque humanas & adeo potens, ut perplexum penitus, & consilii inopem tæderet vivere, neque ullum appareret effugium, quo periculum vitæ evaderem. 9. In hoc tamen rerum articulo admirandum planè divinæ sapientiæ ac bonitatis effectum persensi; cùm enim tunc temporis mihi adstiterit, quo spes omnis aberat, quo tum discrimina, quibus expositus eram, tum acerbitas ærumnarum, tum rabies inimicorum præsentem mihi mortem intentabant, iisque parem fecerant, in quos jam mortis sententia lata est, manifestè exinde arguo, propriis neutiquam fidendum viribus, sed in eo solo spes omnes collocandas, cujus potestas non solùm se extendit ad vitæ jam jam finiendæ prolongationem, sed etiam jam extinctæ recuperationem. 10. Ipse est, qui

num estis, sic eritis & consolationis.

8. *Non enim volumus ignorare, vos fratres, de tribulatione nostrâ, quæ facta est in Asiâ, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere.*

9. *Sed ipsi in nobis metipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos;*

10. *Qui de tantis pe-*

riculis nos eripuit, & eruit: in quem speramus, quoniam & adhuc eripiet,

qui me gravissimis hisce periculis eripuit, & utì spero, ab iis porrò præservabit, in quæ incidere possem,

11. *Adjuvantibùs & vobis in oratione pro nobis: ut ex multorum personis, ejus quæ in nobis est, donationis per multos gratiæ agantur pro nobis.*

11. si me precibùs vestris adjuvare velitis, quod à pietate vestrâ certò certiùs exspecto. Nil ille magìs exoptat, quàm plurium votis favores suos expeti, quos jam paratus est concedere, neque dubito eum promptiùs mihi opitulaturum, si pro me intercedatis, magìsque acceptam futuram ei gratiarum actionem pro auxilio mihi præstito, si plures eam obtulerint.

12. *Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientiâ carnali, sed in gratiâ Dei conversati sumus in hoc mundo: abundantiùs autem ad vos.*

12. Præter spem tamen hujus protectionis id, quod me plurimùm in quocunque calamitatum genere recreat, testimonium est bonæ conscientiæ, gaudiúmque, quod rectâ semper & simplici cordis intentione animíque candore in ministerio Evangelico ambulaverim, quòd consilia mea ad honestatem semper & æquitatem collimaverint, neque unquam prudentiæ humanæ technis, aut scientiæ naturalis ornamentis atque adminiculis usus fuerim, sed gratiæ divinæ impulsu duntaxat operatus sim. Illa mihi semper astitit, ubicunque terrarum Evangelium promulgavi, tum verò se maximè prodidit, cùm vobiscum age-

ge-

gerem, ubi longè plura prodigia patravi, & majorem diligentiam curámque adhibui, ut ne vobis meâ vivendi ratione ullam querimoniæ ansam vel offendiculi præberem. 13. Scitis profectò, an mentiar, & num ea, quæ vobis scribo, correspondeant illis, quæ aliàs & ipsi oculis vestris vidistis, vel auditu accepistis. Non loquor in meum favorem vel commodum ex arrogantiâ sed ex sanctâ quadam libertate, spe fretus, vos in die illo tremendo, quo JEsus Christus venturus est ad judicandos vivos & mortuos, deprehensuros clarissimè, 14. uti ex parte nunc agnoscitis, quòd gloriari possitis, habuisse vos in me Magistrum, qui vobis blandiri, & perversæ doctrinæ labem affricare nescierit, quemadmodum tunc gloriabor, quòd tanquam discipuli minimè degeneres ex nostris monitis moribúsque perspectis eximios fructus retuleritis. 15. Hac equidem vestræ probitatis confidentiâ fretus constitueram vos invisere, priusquàm in Macedoniam pergerem, 16. ut præter consolationem ex primo meo adventu haustam iteratâ præsentiâ vos denuo recrearem. Ex Macedoniâ destinaveram reverti ad

13. Non enim alia scribimus vobis, quàm quæ legistis & cognovistis. Spero autem, quòd usque in finem cognoscetis,

14. Sicut & cognovistis nos ex parte, quòd gloria vestra sumus, sicut & vos nostra in die Domini nostri JEsu Christi,

15. Et hac confidentiâ volui priùs venire ad vos, ut secundam gratiam haberetis:

16. Et per vos transire in Macedoniam, & iterum à Macedoniâ venire ad vos, & à vobis deduci in Judæam.

17. *Cùm ergò hoc voluissem, numquid levitate usus sum? Aut quæ cogito, secundùm carnem cogito, ut sit apud me* est *&* non*?*

ad vos, ut à vobis in Judæam deducerer. 17. Quòd autem primum meum propositum executioni non mandaverim, nolite, obsecro, id imputare aut levitati, aut inconstantiæ, quòd velim & nolim, quòd instar hominum primos sensualitatis impetus sequentium propria tantummodo commoda secter, ac proin in omnes horas sim mutabilis & alius. Sed excipiet fortassis quispiam: quandoquidem nobis tam sanctè pollicitus, venturum te ad nos invisendos promissis non stetisti mutato tam leviter animi propositô, an non hanc ipsam diffidentiam concipere jure poterimus de veritate ac soliditate eorum dogmatum, quæ nobis annuntias? Imò verò testor

18. *Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo* est, *&* non.

Deum, in quem nulla falsitas vel promissorum inconstantia cadit, quando Timotheus, Silvanus & ego vobis prædicavimus JEsum Christum ejus filium, veritatem nos longè certissimam omnísque dubii vel repugnantiæ exclusivam annuntiasse, neque unquam, quod pridem affirmavimus, postmodum esse inficiatos.

19. *Dei enim filius Jesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus*

19. Eadem vobis, quæ jam audistis repetemus, quippe quæ nulli sunt obnoxia vicissitudini, aut mutationi,

quare

quare non est quòd dubitetis de fidei nostræ mysteriis divinísque promissionibus. 20. Ipse est, qui nos jussit ea vobis proponere, ejus testimonio haud utique fallibili ea firmamus, cúmque sit prima & essentialis veritas, experiemini certò certiùs effectus optatissimos, si enim ad vestram salutem conducant, in ejus pariter gloriam redundant. Consideremus, fratres, quæ & quanta nobis jam contulerit, non erit adeo difficile fide minimè dubiâ præstolari majora, quæ nobis præparata sunt. 21. Nunquid non est Deus, qui ubi nos ad cognitionem JEsu Christi adduxit, in eâ nos conservat & corroborat? nunquid non Deus nos unxit? 22. Nos tanquam suos peculiari signaculô distinguit, suúmque divinum spiritum nobis communicat? Dona isthæc tam multiplicia, quæ tum per sacrum baptismi lavacrum tum per Sacramentum Confirmationis percipimus, quid aliud sunt, nisi arrhabones secuturæ felicitatis? Nunc satis supérque, utì opinor, ad replicam vestram respondi, quâ doctrinam meam in dubium revocâstis, neque aliud superest, quàm ut candidè vobis edisseram, quid causæ fue-

st per me & Silvanum, & Timotheum, non fuit est & non, *sed* est *in illo fuit.*

20. *Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo* est: *ideo & per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram.*

21. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus:*

22. *Qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibûs nostris.*

23. *Ego autem testem Deum invoco in animam meam, quòd parcens vobis non veni ultra Corinthum: non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri: nam fide statis.*

fuerit, quòd non, utì seriò promiseram, ad vos venerim. 23. Deum in testem invoco, & ultorem mendacii, si ex aliâ ratione propositum mutavi, quàm ne compellerer pro potestate meâ severiùs in eos animadvertere, qui ambitione suâ intolerabili tot tragœdias in Ecclesiâ vestrâ excitabant, quod haud dubiè mœrore non exiguo animos vostros perculisset, cùm tamen nil ardentiùs exoptem, quàm hilari vultu mentéque serenâ à vobis excipi, lætitiámque communem omnium præsentiâ meâ augere. Atque hæc non in eum finem dicta volo, & à vobis accipi, quasi ratione fidei, quam annuntiavi, despoticè vobiscum & imperiosè velim agere, quin eò potiùs omnis mea sollicitudo ac contentio collimat, ut pro viribus vobis inserviam, & pro salute vestrâ me totum impendam præsertim circa disciplinæ reformationem magnopere vobis necessariam intactâ tamen fide vestrâ, quam (Deo sint grates) nullâ penitus correptione, aut mutatione indigere probè compertum habeo.

PARAPHRASIS

CAP. II.

1. ITA eſt, fratres mei, non potui in animum inducere, ut ad vos inviſerem, quemadmodum pollicitus eram, metuebam enim, ne compluribus flagitiis contaminatos vos deprehenderem, quæ cùm diſſimulare ex officio non potuiſſem, acriori reprehenſione non niſi triſtiores vos, pudoréque ſuffuſos, quod minimè cupiebam, reddidiſſem. 2. Si porrò per epiſtolam meam idipſum fortè præſtiti, amoris, quo vos complector, magnitudini, ſtudióque ſalutis veſtræ illud adſcribite: non enim aliâ de cauſâ ſcribendo vobis hoc ſtylo uſus ſum, quàm in maximum veſtrum emolumentum, ſanctéque conteſtor, quò magis ex objurgatione meâ compunctus quis doléńſque redditus fuerit, eò chariorem mihi eſſe, majoríque ſolatio ac gaudio. 3. Præter afflictionem animi ex aliorum relatione conceptam

1. Statui autem hoc ipſum apud me, ne iterum in triſtitiâ venirem ad vos.

2. Si enim ego contriſto vos: & quis eſt qui me lætificet, niſi qui contriſtatur ex me?

3. Et hoc ipſum ſcripſi vobis, ut non cùm venero,

triſtitiam ſuper triſtitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere: confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium omnium veſtrûm eſt.

tam de gliſcentibus etiamnum inter vos flagitiis ipſa præſentia & teſtimonium oculatum doloris acerbitatem mirum quantum auxiſſet, ſi veniſſem ſublatis nondum per meam exprobrationem ſcandalis, atque ita ſolatii locô uberem lugendi materiam inveniſſem, quod & vobis minimè gratum ac volupe accidiſſet, perſuaſum enim omnino habeo, meam non minùs triſtitiam quàm lætitiam in vos communione quadam ſympathicâ redundare.

4. *Nam ex multâ tribulatione, & anguſtiâ cordis ſcripſi vobis per multas lachrymas: non ut contriſtemini: ſed ut ſciatis, quam charitatem habeam abundantiùs in vobis.*

4. Superos teſtor, quantam vim mihi intulerim, quibus angoribûs pectus meum diſcruciatum fuerit, quot lachrymas profuderim, cùm ad vos ſcriberem. Calamum regebat amor verè paternus, cujus magnitudinem vobis unicè patefacere volebam alienus omnino ab omni propoſito, ſtudióve affligendi vos. Nimis pretioſa mihi erat cordíque ſalus veſtra, quàm ut permitterem aliquos in præcipitia ferri, quin manum porrigerem, ne laberentur, & alios in ea turpiſſimè cadere, quin nervos omnes intenderem ad relevandos illos.

5. *Si quis autem contriſtavit non me contriſtavit: ſed ex parte, ut non onerem omnes vos.*

5. Et profectò ſi funeſtus cujuſpiam caſus me afflixit, plures etiam veſtrûm mœrore perculit. Tametſi is peccando exceſ

excesserit, injuriam vobis facerem, si unius delictum in omnes rejicerem, quasi id minimè curâssent, aut apprehendissent. Sed satis hactenus de acrimoniâ medicinæ, videamus porrò quem effectum habuerit. 6. Sufficiat, quòd is, cujus flagitium tam profundam cordi meo plagam intulit, & nomen prodere supervacaneum est, hucusque tanto dolore ac pudore suffusus fuerit coram pluribus ex pœnâ à me inflictâ. 7. Quare vos omnes nunc obtestor, ut eum omni amoris significatione in pristinam communionem recipiatis, 8. & pœnæ remissione recreetis, ne tristitia longior in exitium potiùs, ac venenum, quàm medicinam ac salutem cedat. 9. Hæc vobis scribo, ut experimentô percipiam, quo loco mea apud vos præcepta sint, & num in omnibus, prout fas est, dicto audientes sitis, & quemadmodum e·un jussu meo ab Ecclesiâ segregastis, ita etiam in pristinum statum restituere velitis, si ita faciendum judicavero. 10. Ex potestate, quam à Christo accepi, condemnavi eum, ex eâdem illum absolvo. Favorem, quem indulgetis, & ego exhibeo, etenim si quid cuiquam remisi,

6. Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit à pluribus:

7. Ita ut econtrario magis donetis, & consolemini, ne fortè abundantiori tristitiâ absorbeatur, qui ejusmodi est:

8. Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum charitatem:

9. Ideo enim & scripsi, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis.

10. Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in personâ Christi.

misi, id profectò vestrâ causâ, vestræ salutis studiô factum esse verè vobis possum affirmare non solùm nomine & authoritate Christi, sed exemplo quoque perinde ad solvendum anathematis vinculum facilis, quàm ad ligandum. 11. Non enim me fugiunt dæmonis technæ, quòdque funestus hic alastor non minùs desperationis ac nimiæ tristitiæ impulsu ex castigatione prolixiori oriundæ, quàm per impœnitentiam mortalium animas in casses suos pertrahere possit. Dixi paulò antè, me decumanis in Asiâ persecutionum fluctibûs jactatum. 12. Certiores nunc vos reddo, quid præter exspectationem mihi evenerit Ephesô redeunti in Troadem ad prædicandum Evangelium, cùm enim messis capiosa esset, 13. & fratrem meum ac Collegam Titum, cujus auxiliô indigebam, non invenissem, nullam animô quietem capere poteram, quare actutum inde discessi ad repetendam Macedoniam. 14. Sed gratiæ sint immortales Deo, cujus ope ærumnas omnes quà publicas, quà privatas ex defensione nominis JEsu Christi insurgentes superamus, cujus imperio gloriam Crucis de univer-

11. *Ut non circumveniamur à satanâ: non enim ignoramus cogitationes ejus.*

12. *Cùm venissem autem Troadem propter Evangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino,*

13. *Non habui requiem spiritui meo, eò quòd non invenerim Titum fratrem meum, sed valefaciens eis profectus sum in Macedoniam.*

14. *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, & odorem notitiæ suæ*

niverso terrarum orbe triumphantis annuntiamus, cujus virtute de inferorum portis victoriam referimus, & odorem notitiæ ipsius ubique gentium per Evangelium nostrum diffundimus. 15. Quandoquidem autem salutarem hunc odorem JEsu Christi passim circumferimus, hinc diversos animorum sensus motúsque deprehendimus. 16. Quibusdam enim exitium afflat, aliis salutem. Quis autem ex propriâ virtute idoneus est ad distribuendum mirificum hunc odorem tam discrepantibus animis? me quod attinet, quidquid boni præstitero, id omne tribuendum opitulationi divinæ, non verò meis viribus aut conatibus. 17. Non enim possum aliorum more verbum Dei corrumpere, quod omnem excludere debet artificii humani mixturam, neque fucatâ dicendi ratione uti, ubi Christiana simplicitas ac veritas primas sibi partes vendicat. A Deo habeo, quod vobis annuntio, spiritu JEsu Christi agente illud prædico, Deum tanquam præsentem & testem prædicationis meæ semper ob oculos habeo, ut ministerio adeo sancto sanctimoniâ non impari defungar.

manifestat per nos in omni loco:

15. *Quia Christi bonus odor sumus Deo in iis, qui salvi fiunt, & in iis, qui pereunt:*

16. *Aliis quidem odor mortis in mortem: aliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus?*

17. *Non enim sumus, sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.*

PARA-

PARAPHRASIS.

CAP. III.

1. *Incipimus iterum nosmetipſos commendare? aut numquid egemus (ſicut quidam) commendatitiis epiſtolis ad vos, aut ex vobis?*

1. Videbitur fors nonnemini arrogantiam ſapere commendatio noſtra, at verò proteſtor, fratres mei, nunquam veniſſe mihi in mentem in laudes meas excurrere inanis gloriæ ſtudiô. Modus agendi conſuetus in prædicatione Evangelii & vitæ meæ tenore ſecluſo quocunque alio teſte vel argumento contrarium vobis manifeſtè demonſtrat, adeò ut etiam dicere auſim, me nec veſtris, nec aliorum litteris commendatitiis ullâ ratione indigere, & cur ita? quia videlicet cùm operâ meâ converſi fueritis, zelus veſter pro gloriâ Dei, charitas erga proximum eximia, conſtantia in perferendis adverſis, omnes denique virtutes, quibûs excellitis, nemini non perſpectæ ſunt

2. *Epiſtola noſtra vos eſtis ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur, & legitur ab omnibus hominibus:*

2. epiſtolæ inſtar commendatitiæ, quam pectori meo impreſſam circumfero, quam vivis characteribûs deſcriptam univerſi lectitant

tant mortales, quæque mihi apprimè servit ad captivandam aliorum benevolentiam & fiduciam. Enimverò quis non Magistrum illum magni faciat, cujus discipuli adeò numeris omnibus absoluti sunt? quis ex istorum præstantiâ non rapiatur in ejus admirationem & laudem? 3. Discipulos vos fidenter nuncupo, siquidem mentem vestram tanquam chartam mundissimam præparavi ad recipiendam legem JEsu Christi exaratam non atramentô, & vulgari scribendi genere, sed spiritu Dei viventis, non in tabulis lapideis, sed corde amoris reciproci, & affectûs tenerrimi capacissimo. 4. Si aliquantulum mihi arrogo ex opere hoc eximio, tantáque confidentiâ coram Deo eloquor, JEsus Christus illius auctor est, in quem omnis gloria exinde redundat. 5. Probè enim scio, me propriis viribûs ne cogitationem quidem salutarem aut laudabilem ullam elicere posse, omnémque agendi virtutem ex illo haberi. 6. Fateor, ipso adiuvante me redditum utcunque idoneum Evangelii Ministrum ac novæ legis præconem, in quâ non ampliùs ùt in veteri litteræ vigent, sed spiritus, ubi gratiæ con-

3. Manifestati, quòd epistola estis Christi, ministrata à nobis, & scripta non atramentô, sed Spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.

4. Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum.

5. Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est:

6. Qui & idoneos nos fecit ministros novi Testamenti: non litterâ, sed spiritu, littera enim occidit, spiritus autem vivificat.

7. Quòd si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloriâ; ita ut non possent intendere filii Israël in faciem Moysi, propter gloriam vultûs ejus, quæ evacuatur:

8. Quomodo non magìs ministratio Spiritûs erit in gloriâ?

9. Nam si ministratio damnationis gloria est: multò magìs abundat ministerium justitiæ in gloriâ.

10. Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam.

11. Si enim quod e-

conferuntur, & promissiones adimplentur, & figuræ omnes verificantur, ubi denique pro mandatis difficillimis, quæ ad litteram & amussim servari debuerant, & prævaricantem in exitium præcipitabant, præcepta occurrunt favoribûs plena, quæ delictis quidem pœnas irrogant, delinquentibus autem mortem non afferunt, quin imò in filiorum numerum eos adoptant, qui misera priùs fuêre mancipia. 7. Quòd si lex illa vetus, quæ morte plectebat trangressores, litteris impressà, atque insculpta in lapidibus in tantâ veneratione fuit, adeò ut filii Israël vultum Moysis intueri nequaquam possent ob nimium ejus fulgorem, qui tamen finem habiturus, & penitus abolendus erat aliquando, 8. an non ea, quæ & suavitate & charismatis divini spiritûs plena est, manúmque erigendis lapsis porrigit, præstantior longè erit, ac dignior? 9. Antiqua profectò huic comparata vix quidquam splendoris & gloriæ habet. 10. Lux etenim illa, quam ex corruscante Moysis facie acceperat, non fuit perpetua, lumen autem Evangelii nunquam extinguetur. 11. Si ergò tanto in pretio & hono-

honore fuit lex illa nunc abolita, quanti facienda erit lex, quæ in omne ævum perennatura est? 12. Itaque fides, quam dogmatis à me propositis præstatis firmissimam, animos mihi stimulósque addit ad prædicandum Evangelium non minori fiduciâ ac libertate, quàm integritate.

13. Vultum meum nullo velamine contego, utì Moyses, qui id fecerat non eâ tantùm de causâ, ne Israëlitæ ejus radiis perstringerentur, sed ut indicaret, ejus posteros divinitatem JEsu Christi neutiquam agnituros, qui tamen legis illius scopus ac finis ultimatus futurus esset, obcœcatâ nimium quantùm eorum intelligentiâ, 14. utì ex eventu hujus vaticinii luculenter patet, cùm enim in hodiernum usque diem Veteris Testamenti monumenta pervolvunt, hærent etiamnum in umbrâ ac caligine figurarum & rituum, sub quibus veritas, quam annuntiamus, abscondita latet, neque in animum inducere valent, finem legis jam advenisse, cœcâ enim mentis obstinatione prohibentur, ne in JEsum Christum credant, qui ad eam abrogandam venturus erat, utì prædixerat. Et sanè sola doctrina Evangelicæ lucis

vacuatur, per gloriam est: multò magis, quod manet, in gloriâ est.

12. *Habentes igitur talem spem, multâ fiduciâ utimur:*

13. *Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciam suam, ut non intenderent filii Israël in faciem ejus, quod evacuatur,*

14. *Sed obtusi sunt sensus eorum. Usque in hodiernum enim diem, id-ipsum velamen in lectione Veteris Testamenti manet non revelatum (quoniam in Christo evacuatur)*

15. *Sed usque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum*

cis has tenebras dissipat. 15. Quòd si priores nos illam recepimus, ne idcirco efferamur insolentiùs, eósque habeamus despectui, cùm tantum beneficium soli divinæ clementiæ acceptum debeamus. Veniet tempus, cùm & ipsi pronis animîs divinam hanc sementem recipient.

16. *Cùm autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.*

16. Quemadmodum Moyses nullo velamine faciem contexerat, cùm ad Deum accederet percepturus ejus imperia: ita & isti modò obcœcati arcanis divini spiritûs inspirationibus corda sua aperient, & ad illum solem, cui tamdiu tergum obverterant, sese convertent illustrandi penitiùs. Velamen tolletur ab oculis, & non ampliùs ambulabunt in tenebris, sed cuncta perspicuè cernent, quibûs ad vitam sempiternam perducantur.

17. *Dominus autem Spiritus est: ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.*

17. Quin & libertate filiorum Dei donabuntur illico, quamprimùm divinum hunc spiritum pro Domino suo venerabundi agnoscent, & eximentur jugo dæmonis ac servitute peccati. Si quis timor adhuc reliquus, timor est filiorum, qui parentum jussa exequuntur alacriter, non verò servorum, qui metuunt tyrannum suum, & non nisi inviti ac reluctantes ei obtemperant.

rant. Iſraëlitæ, quemadmodum dixi vultum Moyſis non niſi interpoſito velamine conſpiciebant. 18. Longè meliùs nobiſcum agitur, qui Majeſtatem ac potentiam Patris æterni in Evangelio ſui Filii clariſſimè contemplemur. Ejus radios mentibus noſtris inſtar limpidiſſimi ſpeculi recipimus, & felici reflexione in eos rejicimus, quos tum prædicatione, tum exemplô noſtro colluſtramus. Deus nos ab unâ claritate in majorem lucem promovet, nullo non die novam nobis Majeſtatis ſuæ notitiam imprimit, & ut ita loquar, nos in ſeſe transformat etiamnum in terris degentes, redditque ſui ſplendoris participes, & quaſi ſecundarias quaſdam ſui imagines, idque vi divini ſpiritûs.

18. *Nos verò omnes, revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.*

PARAPHRASIS.

CAP. IV.

1. NOn abs re tam prolixè ac copiosè egi de prærogativis novæ legis, quibùs antiquam præcellit. Cùm enim animô deſtinâſſem vobis ob

1. *Ideo habentes administrationem, juxta quod miſericordiam conſecuti ſumus, non deficimus:*

ob oculos ponere, quantâ ſanctitate oporteat eſſe præditos ejus Miniſtros, id certiùs aſſequi me non poſſe exiſtimavi, quàm repræſentando hujus Miniſterii dignitatem atque præſtantiam. Solâ Dei miſeratione, non meritîs noſtris impoſita nobis eſt hæc provincia, cui etiam ritè adminiſtrandæ omnem ſolertiam vigilantiámque pro virili parte impendimus. Animîs non deficimus, quæcunque adverſa ingruant, labores non reſpuimus, 2. neque indecorum quid, & luce publicâ indignum agimus: ab omni fuco alieni verbum Dei neque argutiîs corrumpimus, neque doctrinæ exoticæ inventîs, neque lucri cupidine, aut inanis gloriæ ſtudio. Veritatem candidè edicimus, atque ita ad publicam ædificationem vitæ noſtræ rationes inſtituimus, ut non modò hominum judicia non reformidemus, ſed Deum mentium inſpectorem præſentem ſemper intueamur. 3. Hunc in modum prædicando Evangelium ſperabamus, auditores omnes manus haud dubiè daturos, captivando intellectum in obſequium fidei, ſunt tamen, proh dolor! non pauci, quibus nondum ejus veritatem perſuaſimus, qui illud exſi-

2. *Sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutiâ, neque adulterantes verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis commendantes nosmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo.*

3. *Quòd ſi etiam opertum eſt Evangelium noſtrum: in iis, qui pereunt, eſt opertum;*

exſibilant potiùs, quàm amplectantur, & inerrore ſuo obſtinati miſerè pereunt. 4. Gentiles intelligo, quorum mentes dæmon hujus ſæculi princeps ac Numen faſcinavit, ne Jeſu Chriſti, qui Patris æterni vera ac viva imago eſt, gloria illos ſuis radiis colluſtret ad excipiendam & profitendam adeo ſanctam ac ſalubrem doctrinam. Dico per Evangelium gloriam Chriſti promulgari, ut indigni ejus Miniſtri diſcant à temeritate ſuâ illud prædicandi deſiſtere. 5. Si enim verè digni ſumus charactere Apoſtolico, non ad famam vanámque gloriam aucupandam, ſed ad promovendum cultum atque honorem Domini ac Dei noſtri JEſu Chriſti prædicabimus. Tantum abeſt, ut grande Magiſtrorum nomen nobis arrogemus jactantiùs, ut potiùs ſervos veſtros in Chriſto & amore Chriſti nos declaremus. 6. Etenim Deus, qui à mundi exordio lucem eduxit de tenebris, miro quodam modo per filium ſuum Unigenitum cordibus noſtris illuxit, & caliginem, quâ laboravimus, eum in finem diſſipavit, ut eâdem luce ac cognitione per nos illuſtrati intelligeretis, JEſum Chriſtum Dominum noſtrum, cujus

4. In quibus Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.

5. Non enim nosmetipſos prædicamus, ſed Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: nos autem ſervos veſtros per Jeſum.

6. Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Jeſu.

cujus nomine ac potestate loquimur, descendisse de cœlo, ut nos servitute peccati eximeret, solem isthunc umbras omnes antiquæ legis dissipare, neque quærendas divitias nisi in ejus thesauris, neque refocillationem nisi in ejus sanguine, neque vitam nisi in ejus morte.

7. *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus: ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis.*

7. Mirabitur nonnemo thesaurum adeò pretiosum reconditum esse in vasculis testaceis, nempe eos, qui tam illustri & præcelso Apostolatûs munere funguntur, communibus naturæ miseriis, nec non injuriis atque ærumnis obnoxios esse, sed Deus res ita disposuit, ut magnitudo ejus potentiæ in illorum imbecillitate resplenderet illustriùs, omnésque intelligerent, non instrumento, sed soli artifici deberi gloriam.

8. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur:*

8. Omni quidem calamitatum genere obruimur, eóque processit humanæ malitiæ solertia, ut novas indies nos divexandi rationes excogitet, dolorum tamen acerbitas eò non pertingit, ut in angustias redacti animos despondeamus: nemo est, qui nobis auxiliô vel consilio præsto sit, neque tot inter discrimina quis effugio locus, dispicimus, non tamen idcirco spem omnem abjicimus, aut calamitati succum-

cumbimus. 9. Insectationes gravissimæ nos infestant, neque tamen à Deo deserimur, ab hostibus undique cingimur, premimur, conculcamur, resurgimus tamen, novásque vires erecti resumimus. 10. Quandoquidem acerbam mortem Servatoris nostris prædicamus, ejus quoque stigmata in corpore nostro circumferimus adversa plurima in ejus prædicatione perferendo, atque ita ipsius vitæ Christi imaginem in membris nostris peculiari quadam ratione expressam palàm omnibus proponimus. 11. Siquidem autem tot inter suppliciorum & malorum genera adhuc vivimus infracti, nunquid hoc argumento est minimè dubio, JEsum vivere, qui vitam nostram perpetuo quasi prodigiô servat incolumem. Itaque mors nostra quotidiana pro JEsu vitam ejus manifestam reddit in conservatione corporis nostri tot malis & ærumnis obnoxii. 12. Ex nostris porrò calamitatibus fructum percipitis non modicum, hæ enim angustiæ, hæ insectationes, quas perferimus, vos in notitiam veræ fidei deducunt, morsque assidua, quam in Ministerio nostro Evangelico subimus alacres, vitam

9. Persecutionem patimur, sed non derelinquimur: dejicimur, sed non perimus:

10. Semper mortificationem JEsu in corpore nostro circumferentes, ut & vita JEsu manifestetur in corporibus nostris.

11. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter JEsum: ut & vita JEsu manifestetur in carne nostrâ mortali.

12. Ergò mors in nobis operatur, vita autem in vobis.

Aaa

13. *Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est: credidi propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur:*

14. *Scientes, quoniam qui suscitavit JEsum, & nos cùm JEsu suscitabit, & constituet vobiscum.*

15. *Omnia enim propter vos: ut gratia abundans, per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei.*

tam vobis immortalem affert. 13. Acerbitatem harum calamitatum non parùm sublevat spes remunerationis accipiendæ: quemadmodum enim Propheta regius inquiebat: Invocavi Deum, cùm affligerer, quia firmissimè credidi, eum mihi posse opitulari, speravi me liberandum ærumnis meis, quia id mihi sanctè pollicitus est. 14. Itaque cùm ejusdem divini spiritûs, quo hic Propheta animatus erat, fiduciam persentiscamus, intrepidè Evangelium JEsu Christi annuntiamus, patimúrque in ejus gloriam, quia firmissimè credimus, Deum, qui Christum Dominum ad Superos revocavit, nos quoque ab inferis excitaturum aliquando, vitámque nobis donaturum, quâ vobiscum fruamur, in omne ævum beatissimam. 15. Omnia interim vestrâ causâ constanti atque hilari animô perferuntur à nobis. Si Deus nos ad dignitatem Apostolicæ functionis evocat, id facit, ut vobis erudiendis operam omnem studiúmque impendamus, si ejus ope hostes vincimus, confirmamini exinde in fide à nobis accepta, si cœlestes in nos favores depluit,

pluit, id eâ de causâ accidit, ut & vos eorum reddamini participes atque ita plures Deum glorificent. 16. Hæc, inquam, pia teneráque fiducia impedit, quò minus tot malîs lacessiti victas demus manus; sunt sanè minimè steriles, quas perferimus, ærumnæ, síque emolumenta sciremus inde scaturientia, eas adeò non fugeremus, ut etiam ultrò nobis deposceremus. Quando externus homo noster, corpus videlicet, dolores acerbos persentiscit, jámque sibi exitio videtur proximus, si tamen perversæ ejus cupiditates assiduâ mortificatione frangantur, incredibili lætitiâ perfunditur animus, vigoré recuperat, seséque indies renovat. 17. Ne itaque dolorem, molestiámque subterfugiamus huic innovationi conjunctam. 18. Præsentia non curemus, quæ in oculos cadunt, terrena sunt etenim, & corruptioni obnoxia, cœlestia potiùs suspiciamus, quæ perennia sunt, certi, quòd præsentia mala, quæ perferimus, ùt ùt levia & vix per momentum duratura ineffabili thesaurô gloriæ coronentur, cujus pondere oppressi vix non fatisceremus, nisi Deus ejus largitor

16. Propter quod non deficimus: sed licèt is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem.

17. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

18. Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem

non videntur, æterna sunt.

gitor munificentiſſimus novas vires nobis ſuppeditaret ad illud ſupportandum.

PARAPHRASIS

CAP. V.

1. *Scimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis.*

1. Non ergò metuimus amittendæ vitæ diſcrimen, cùm probè ſciamus pro terreno domicilio, ubi anima quaſi in carcere concluſa eſt, nempe pro corpore tot calamitatibus obnoxio, quod brevì diſſolvitur, Deum nobis in cœlo præparâſſe regiam non hominis manu fabricatam, neque ulli caſui aut ruinæ obnoxiam.

2. *Nam & in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperindui cupientes,*

3. *Si tamen veſtiti non nudi inveniamur.*

2. Beatæ hujus ſedis exſpectatio ſuſpiria identidem noſtra excitat, hac immortalitatis chlamyde exornari percupimus, quæ certò certiùs nobis obtinget, 3. ſi eo temporis articulo, quo conceditur, nempe imminente morte inveniamur congeſtis meritìs neutiquam vacui, ſed innocentiâ ac vitæ ſanctitate conſpicui.

4. *Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo inge-*

4. Et ſanè quando anima exoptat caduci hujus corporis erga-

ergaſtulo, quo detinetur, liberari, non perpetuam ſeparationem affe-ctat, ſed quin imò, ut ei jungatur fe-liciùs, & depoſitis corruptibilis car-nis exuviis immortalitate gaudeat, & uti laborum, ita gloriæ reddatur particeps. 5. Qui nos condidit tan-ti boni conſequendi gratiâ, nobis etiam abundè largitus eſt auxilia tanquam divini Spiritûs arrhabo-nem. 6. Inter illuſtriora charisma-ta numeranda eſt hæc ipſa circum-ſtantia, quæ nos ab omni metu libe-rat rei aliàs vel maximè perti-meſcendæ, & certè absque eâ mors æquè nobis ac aliis mortalibus ti-morem incuteret ac trepidationem. Quòd ſi vitam hanc flocci facimus, ſi inter ſupplicia exultamus, ſi ma-lumus à corpore avelli quàm à Deo, id ſacro Evangelio debemus, quo inſtruimur, quamdiu inter mor-tales degimus, peregrinos nos eſſe ac viatores. 7. In viſione Dei ſu-premam noſtram conſiſtere felici-tatem, nósque inpræſentiarum De-um tantùm ex parte & confusè cog-noſcere mediante videlicet velamine fidei, 8. quæ nobis animos ſcilicet addit & excitat, ut omni contentio-ne enitamur in ejus gratiam admit-

miſcimus gravati: eò quod nolumus expoliari, ſed ſuper veſtiri; ut abſorbeatur quod mortale eſt, à vitâ.

5. *Qui autem efficit nos in hoc ipſum, Deus, qui dedit nobis pignus ſpiritûs.*

6. *Audentes igitur ſemper, ſcientes quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino;*

7. *(Per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem)*

8. *Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari*

à corpore, & præsentes esse ad Dominum.

9. *Et ideo contendimus, sive absentes, sive præsentes placere illi.*

10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*

11. *Scientes ergò timorem Domini hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus. Spero autem & in conscientiis vestris manifestos nos esse.*

12. *Non iterum commendamus nos vobis, sed*

ti, à quo coronam gloriæ immortalis præstolamur. 9. Sive in hoc misero corporis tugurio etiamnum versemur, sive inde per mortem liberati simus. 10. Cùm enim non ignoremus, JEsum Christum præparâsse nobis hæreditatem gloriæ & salutis, ambigere quoque non possumus par esse, ut eâ nos reddamus quàm dignissimos, in eúmque finem, ut palàm fiat, qui fuerimus, omnes mortales coram ejus tribunali comparituros ad reddendam rationem rerum sive bene, sive perperam gestarum, & recipiendam absolutâ tam districtâ discussione sive pœnam, sive mercedem debitam. 11. Scientes igitur, quàm tremendum sit hoc judicium, quámque ejus timor necessarius, illum mentibus vestris imprimere connitimur, damúsque cumprimis operam, ut nihil committamus illi persuasioni minùs conforme quam homines habent tum de sincero salutis vestræ propagandæ studio, tum de vitæ nostræ integritate. Deum quod attinet, tales nos novit, quales sumus, nihilque vel minimarum cogitationum nostrarum eum latet. 12. Ausim etiam dicere, nostram vivendi & agen-

di

di rationem vobis perspectam esse debere, neque id assero, ut mihi exinde gloriam arrogem, sed ut vobis ansam præbeam nostrâ causâ gloriandi, & argumenta suggeram, ad retundendam eorum audaciam, qui probra in me congerunt, & interea non nisi fucatam quandam speciem larvámque virtutis præferunt exterioribus, quibus prævalent, dotibûs tumidi, parùm autem solliciti de verâ solidâque pietate; quæ non in vultu, atque externâ specie, sed in corde atque animo sedem habet. 13. Ego sanè vestram salutem præ oculis semper habeo, tanquam metam consiliorum atque votorum meorum, sive de rebus meis magnificentiùs loqui videar, & propemodum ultra decori limites, id ad Dei gloriam factito, ne videlicet ex despicientia meæ tenuitatis progrediamini ad Ministerium ipsum vilipendendum, sive cum debitâ moderatione me ipsum comendem, id ago, ut animi demissionem atque modestiam exempló discatis meo. 14. Charitas enim illa Christi, quâ nos prosecutus est, vicissim nos totos possidet, urget, atque excitat ad insolitos motus, & actiones, quæ hujus sæculi

occasionem damus vobis gloriandi pro nobis: ut habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, & non in corde.

13. Sive enim mente excedimus, Deo: sive sobrii sumus, vobis.

14. Charitas enim Christi urget nos: æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt:

ſli judiciô videri poſſunt emotum cerebrum ſapere. Cùm enim unus pró omnibus mortem ſubierit, inde arguimus omnes olim mortuos fuiſſe, & à vitâ gratiæ alienos.

15. *Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.*

15. Ut adeò mortem Chriſti pro omnibus axantlatam conſideremus tanquam novum amoris vinculum, quo mortales per hanc mortem novâ vitâ donati obligantur, ut ſibi non ampliùs vivant, ſuiſve commodis, ſed ei potiùs, qui pro ipſis & vitâ functus eſt, & de morte ad Superos remeans triumphavit.

16. *Itaque nos ex hoc nemine novimus ſecundùm carnem. Et ſi cognovimus ſecundùm carnem Chriſtum: ſed nunc jam non novimus.*

16. Hoc exemplo docemur omnes vitæ noſtræ animique vires in obſequium proximi conſecrare, neque homines ampliùs conſiderare ſecundùm carnem, dotes videlicet exteriores, quæ ab hoc ſæculo tantopere æſtimantur, & naturæ originem ſuam debent, cùm omnes peccato contaminatæ ſint, & ævi breviſſimi. Nemini adhæreſcimus affectûs terreni glutine, ſed commercia noſtra ſancta ſunt & divino ſpiritu plena. Eximiæ olim prærogativæ locô habebamus JEſum nôſſe ſecundùm carnem, ejus præſentiâ viſibili delectabamur plurimùm, nunc ejus ſpiritu illuminati & ſapientiores redditi non eum amplius ſecundùm

dùm naturæ humanæ abjectam conditionem novimus, sed absque ullo sensuum adminiculo ùt vitâ præditum immortali, ùt Dei filium divinæ ipsius gloriæ participem contemplamur. 17. Porrò quicunque vivit in Christo JEsu, est veluti res quæpiam recens à Deo condita, vitámque ducit longè aliam, & omnia in ipso mirabili mutatione novam faciem induunt: ex servitute peccati transfertur ad libertatem gratiæ, & ex asperitate legis Mosaicæ ad suave jugum legis Christianæ. 18. Hæc autem bona universa in illum profluunt ex benignitate Dei, qui nos in suam gratiam atque amicitiam admisit per JEsu Christi merita, voluitque vobis per me annunciari eximium hunc favorem reconciliationis, ut per fidem illi præstitam bona inde redundantia consequamini. 19. Deus, inquam, habitans in JEsu Christo mundum sibi reconciliabat peccata ab hominibus commissa non ampliùs eis imputans, sed pro eorum remissione condignam filii sui satisfactionem acceptans, id quod per nos vobis annunciari voluit. 20. Itaque Christi nomine legatione fungimur, vósque enixè hortamur ad

17. *Si qua ergò in Christo nova crea'ura: vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova.*

18. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum: & dedit nobis ministerium reconciliationis.*

19. *Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis.*

20. *Pro Christo ergò legatione fungimur tanquam Deo exhortante*

per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.

ad ſeriam vitæ emendationem, non proprio metu ad vos verba facimus, ſed nomine & auctoritate Chriſti oramus atque obteſtamur, ut cum Deo in gratiam redeatis, pacémque redintegretis.

21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.*

21. Voluit is, ut ille qui prorſus erat à peccato alienus, quaſi peccato obnoxius morti addiceretur, & quaſi hoſtia pro omnium ſalute jugularetur in eum præcisè finem, ut nos veluti membra ſua participes redderet ſanctitatis ſuæ ac juſtitiæ, ſanguiníſque ſui pretioſiſſimi effuſione mundaret ab omni flagitiorum impuritate.

PARAPHRASIS.

CAP. VI.

1. *Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.*

1. QUandoquidem gratia, quam DEus vobis exhibet, excedit omne pretium, nos qui eam vobis annuntiamus, & ad veſtram ſanctificationem omnem operam conferimus tanquam ipſius Chriſti adminiſtri, hortamur vos, & quantâ poſſumus contentione obſecramus, ne.

ne absque ullo fructu & planè frustra illam recipiatis, sed cœlesti vocationi vitæ à pristinis vitiis revocatæ sanctimoniâ respondeatis ad obtemperandum Deo, 2. qui per prophetam suum denuntiat: tempore opportuno & gratuitæ benevolentiæ exaudivi te, tibique opitulatus sum in die salutis. Ecce nunc tempus valde acceptum, ecce nunc dies comparandæ saluti destinatus, quem neutiquam oportet transmittere perperam & absque fructu. 3. Nos sanè, quibus incumbit tempus hoc adeò auspicatum vobis manifestare, id omni studiô atque solertiâ præstamus. Non contenti vivere absque omni offendiculo, ejus quoque suspicionem atque umbram fugimus nemini ansam præbentes seu verbo, seu opere ùtùt de se indifferenti scandalum accipiendi, vel ministerium nostrum sugillandi, cúmque sciamus Deum cor requirere, non labia, veritatem, non fucum, solidam verámque pietatem profitemur, 4. nostrásque actiones morésque ita componimus, ut appareat, niti nos & contendere, quantùm possumus, ut nos veros dignósque Dei Ministros probemus. Nun-

2. *Ait enim: tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile ecce nunc dies salutis.*

3. *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum:*

4. *Sed in omnibus exhibeamus nos metipsos sicut Dei ministros, in multâ patientiâ, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis.*

Nunquam animô deficimus, utcunque adversa ingruant, summam egestatem, & rerum angustias æquo animô ferimus, 5. uti & plagas corporis, & carcerum incommoda, & discrimina seditionis popularis, quam divini verbi prædicatio contra nos suscitat. Laboramus indefessi, vigiliis maceramur, inediâ denique ac jejuniis pene conficimur.

5. *In plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis.*

6. *In castitate, in scientiâ, in longanimitate, in suavitate in Spiritu sanctô, in charitate non fictâ,*

6. Ex oculis, gestibus, & quacunque actione nostrâ verecundia promicat, nihil inordinatum & à rectâ ratione alienum mentem sollicitat, & turbidam reddit, scientiam sanctorum possidemus, non illam inane ac grandi fastu turgidam, animi lenitatem retinemus, faciles, benigni, placabiles etiam inter offensas, & contumelias: Spiritus sanctus actiones nostras animare ac regere videtur: si quæ peculiaria dona nobis largitus est, minimè iis abutimur, aut insolentes efferimur. Charitatem minimè fucatam erga omnes ostendimus.

7. *In verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ à dextris, & à sinistris;*

7. Ita denique in sincerâ Evangelii prædicatione versamur, ut ejus puritatem conceptuum subtilitate aut eloquentiæ calamistris neutiquam deteramus. Deus quoque præpotens

ſtens ſuo auxiliô in fructus uberrimos illud promovet, noſtrámque fragilitatem ita corroborat, ut nullius adverſarii machinas viréſque reformidemus. Arma juſtitiæ in omnem partem vertimus, ſive proſpera affluant, ſive adverſa premant, nec iſtis ullatenus fracti, nec illis arroganter elati. 8. Nec laudes hominum, nec convicia attendimus, nec ſecundam nec ſiniſtram famam, ſed his inſuper habitis fideles nos veritatis præcones ac Dei Miniſtros præſtamus: officiô noſtro fungimur impigrè ex divino beneplacito ſive pro ſycophantis habeamur, ſive pro hominibus frugi, ſive deſpiciamur, ſive honoremur. 9. Penè inter mortuos numeramur, cùm tamen adhuc ſpiremus, caſtigamur nec tamen occidimur, ſed potiùs in timore & amore Dei ſtabiliſimur, qui nos paternâ manu corripit. 10. Videmur vobis quaſi doloribus & mæſtitiâ oppreſſi, ſed incredibili gaudiô perfruimur, ùtùt pauperes aliis tamen liberalem opem ferimus ex eleemoſynis undique collectis. Nihil poſſidemus, & omnibûs affluimus. Cùm enim terrenis facultatibus mens noſtra non inhiet, veſtrâ autem piâ ſolli-

8. *Per gloriam & ignobilitatem; per infamiam & bonam famam, ut ſeductores & veraces, ſicut qui ignoti & cogniti,*

9. *Quaſi morientes & ecce vivimus: ut caſtigati, & non mortificati:*

10. *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes: ſicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes & omnia poſſidentes.*

11. *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthii, cor nostrum dilatatum est.*

12. *Non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visceribus vestris:*

13. *Eamdem autem habentes remunerationem: tanquam filiis dico, dilatamini & vos.*

licitudine ac munificentiâ abundè nobis provisum sit, nunquid non divites nos prædicare possumus? 11. Apertè vobis, ô Corinthii, locutus sum hactenus, nulláque sum usus vel obscuritate vel ambiguitate verborum singulari cum testimonio meæ in vos vehementissimæ benevolentiæ & charitatis perinde quasi cor meum gestiam in sinum vestrum effundere. 12. Vos sanè in animo meo quasi domicilio versamini, eóque minimè angusto, totum enim vobis animum patefeci meum, atque adeò ad vos recipiendos intra viscera veluti dilatavi, at vos, si mihi dicendum est quod sentio, ita angusti pectoris mihi esse videmini, ut illud mihi propè occlusum sit, quod tamen mihi oportuerat vel maximè patere, ac vicissim me recipere, ut par pari referretis. 13. Equidem cùm vobis parentis locô sim, jure mihi postulare videor, à vobis filiis, ut ipsi quoque animi vestri spatia laxetis, mihi amplos charitatis sinus reseretis amore me reciproco complectendo, quod vobis utique haudquaquam difficile & molestum accidere potest. Vestra potiùs res agitur, quàm mea, si filialem à vobis amo-rem

rem exigo, ùt reciprocam compenſationem. Si enim me diligitis, faciliùs dictis meis aſſenſum præſtabitis, & admonenti promptiùs morem geritis. Habeo rem magni momenti vobis hac ipſâ occaſione proponendam & magnopere commendandam. 14. Nolite obſecro cum infidelibus ullum commercium habere, fugite eorum conſortia, quæ vobis non niſi triſte exitium afferre poſſunt, conjugia præſertim nulla cum ipſis contrahite. Non abſque gravi ratione id à vobis poſtulo Quid enim juſtitiæ cum injuſtitiâ, quid luci cum tenebris? 15. Quæ conſenſio Chriſto cum Belial, aut quæ ſocietas inter veri Numinis & idolorum cultorem? 16. Quid denique Dei templo convenit cum ſimulacris? Conditio veſtra fratres mei longè præſtantior eſt, quàm fortaſſis vobis appareat. Templa enim eſtis viventis Dei, & de vobis loquitur, cùm ait: ſedem meam in medio eorum collocabo, ambulabo inter eos, ero ipſorum Deus, & ipſi populus meus Levit. 16. 17. Exite ergò de medio illorum, & ab eorum convictu congreſſùque ſegregamini, gentem hanc impuram ac

14. Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras?

15. Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli?

16. Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.

17. Propter quod exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Domi-

ſor-

nus, & immundum ne tetigeritis : sordidam nolite attingere. Felices profectò si id feceritis, ego enim ex-

18. *Et ego recipiam vos & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus omnipotens.* cipiam vos, ego vobis ero in patrem, & vos mihi in filios, & filias, ut apud Jeremiam loquitur Dominus omnipotens.

PARAPHRASIS

CAP. VII.

1. *Has ergò habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritûs, perficientes sanctificationem in timore Dei.*

1. Promissa hæc tanti momenti sunt, hominésque ad tam sublime dignitatis fastigium sustollunt, ut ardua quæque superare debeant, quò se dignos reddant eorum assecutione. Quamobrem, fratres mei dilectissimi, in eum finem corpora nostra mentésque præparemus procurando perfectissimam munditiem, omnémque lapidem moveamus ad consequendam sanctitatem morum adminiculò religiosi timoris Dei tanquam viâ brevissimâ simul atque securissimâ. Postquam de negotio salutis vestræ egimus, æqui bonique consulite, ut aliquid etiam in meum so-

ſolatium proferam. Aperite mihi ſinum cordis veſtri tamdiu mihi occluſi, ut in eo requieſcam, quemadmodum in meo vos arctè concluſos teneo. Si veſtram non merui benevolentiam, at certè nullius me offenſionis reum comperio, quâ veſtrum in me odium atque indignationem commeritus ſim. 2. Nemo eſt, qui jure conqueri poſſit, ſe noſtrâ agendi ratione aut offenſum, aut pollicitationibûs circumventum, aut pravis exemplis in transverſum actum. 3. Atque hoc nequaquam vobis objecerim, quaſi ingrati animi notam exprobrare velim, aut vos exaſperare, mea enim in vos propenſio ne minimam quidem hujus rei cogitationem admittit. Jam vobis non ita pridem ſignificavi, vos eſſe in corde noſtro ita penitus infixos, ut inde neque rebûs ſecundis, neque adverſis, ne ipſâ quidem morte avelli poſſitis. 4. Non ſolùm participem me reddo proſperitatis veſtræ, & incredibili exinde perfundor ſolatiô, ſed in partem quoque venio omnium calamitatum, quæ vobis accidere valent, unde tantâ vobiscum confidentiâ ago, cùm perſuaſum habeam, eam vobis minimè improbandam. Ec-

2. Capite nos. Neminem læſimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus.

3. Non ad condemnationem veſtram dico. Prædiximus enim, quòd in cordibus noſtris eſtis ad commoriendum, & ad convivendum.

4. Multa mihi fiducia eſt apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis, repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudiô in omni tribulatione noſtrâ.

Eccur enim eos læderem, de quibus inter alias gentes gloriari possum, & liquidissimum solatium capere in ipsis mediis ærumnis, quibus undique premor. Sanctè testor, quamvis Ecclesiæ vestræ scandala non parùm me afflixerint, longè majorem tamen me concepisse lætitiam ex vestrâ emendatione.

5. Nam & cùm venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugna, intus timores.

5. Et sanè peropportunè tum temporis de eâ sum certior redditus, cùm eo solatio vel maximè indigebam: premebar enim gravissimis in Macedoniâ persecutionibus, quæ omnem captum superant, neque ullam mihi respirandi facultatem relinquebant. Foris instabant crebris insultibus Evangelicæ legis hostes infensissimi, intùs verò multorum fidelium imbecillitas, de quorum scilicet perseverantiâ non eram securus, perpetuo quodam metu ac sollicitudine animum discruciabat.

6. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi.

6. At verò qui reficit ac recreat dejectos & prostratos, consolatus est nos in eo rerum articulo adventu Titi, cujus aspectu omnis mæror illico abstersus est.

7. Non solùm autem in adventu ejus, sed etiam in consolatione, quâ consolatus est in vobis, referens nobis vestrum

7. Tametsi verò ejus præsentia mihi esset longè gratissima, majorem tamen lætitiam concepi ex ejus relatione de immutatione morum vestro-

ſtrorum, de deſiderio, quo flagratis me videndi, de copioſo fletu in deteſtationem ſcelerum, de quibus vos argueram, de ardenti ſtudio, zelóque quem erga me oſtenditis, adeò ut incredibili pene gaudiô ſim exhilaratus.

8. Profectò tametſi epiſtola mea vos in mœrorem conjecerit, non me idcirco pœnitet, quòd eam exaraverim, & licèt hæc ipſa veſtra mœſtitia ùtùt ad breve tempus durabilis mihi quoque permoleſta accidiſſet, à quo tamen abſtraxerim, 9. nunc tamen ſubſulto gaudiô, quòd ea vos utcunque perculerit, & qualiſcunque mea ſeveritas optatam denique vobis medelam attulerit. Gaudeo, inquam, non ex veſtrâ triſtitiâ, ſed ex pœnitentiâ & emendatione inde ſecutâ, illa enim ex ſuperno divini Numinis inſtinctu proceſſit, atque adeò nullam vobis intulimus injuriam, ſed ingenti beneficiô vos cumulavimus, nobiſque hoc titulo arctiùs obſtrinximus. 10. Eſt quædam triſtitia, quæ ex ſeriâ conſideratione procedit bonitatis divinæ noſtrâ ingratitudine offenſæ, & ſingularis effectus eſt gratiæ, quæ ſalutari compunctione cor noſtrum afficit, animam

deſiderium, veſtrum fletum, veſtram æmulationem pro me, ita ut magis gauderem.

8. *Quoniam etſi contriſtavi vos in epiſtolâ, non me pænitet: etſi pæniteret, videns, quòd epiſtola illa (etſi ad horam) vos contriſtavit:*

9. *Nunc gaudeo: non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pænitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundùm Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis.*

10. *Quæ enim ſecundùm Deum triſtitia eſt, pænitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: ſæculi autem triſtitia mortem operatur.*

mam nostram vivificat, simúlque in virtutis semitâ corroborat. Est quædam etiam tristitia, quæ ex vaporibus atræ bilis, vel affectuum inordinatione, vel amore præsentis sæculi consurgit, quæ fastidium creat insipidum, & omnem virtutis cujuscunque vigorem ac spiritum eliminat ex animo illius, qui ab eâ roditur.

11. *Ecce enim hoc ipsum, secundùm Deum, contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem: sed defensionem, sed indignationem, sed timorē, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. In omnibus exhibuistis vos, incontaminatos esse negotio*

11. Utriusque discrimen in vobismetipsis facilè deprehendetis. Quamprimùm enim priori illi locum dedistis, ecce quanta vos illico sollicitudo incesserit salutis vestræ in tuto collocandæ? quàm strenuè partes meas vobis defendendas susceperitis, quàm justâ indignatione exarseritis contra prævaricatorem illum à me castigatum, quanto timore judiciorum Dei correpti fueritis, quo desiderio studióque me videndi flagraveritis, quàm piâ æmulatione pro me invicem certaveritis, quódque rei caput est, quàm acri ultione expiaveritis flagitium execrandum inter vos gliscens, primam socordiam sanctâ quadam severitate reparando, atque ita contestando, vos nullâ ex parte complices aut reos fuisse criminis & scandali à me reprehensi?

12. *Igitur, etsi scripsi*

12. Quando ad vos pau-

paulò acriùs scripsi, non tam id feci ratione filii, qui injuriam intulerat vel patris causâ qui injuriâ affectus erat, quàm ad avertendã pravi exempli contagionem, ne in alios serperet, útque apertè demonstrarem studium illud meum erga vos vestrámque salutem minimè fucatum, sed planè ejusmodi, ut minimè dubitem, Dei quoque, quem in testem invoco, judicio, ac sententiâ probatum iri. 13. Quapropter mirificè recreor, mihíque gratulor, quòd in eâ re meo perfunctus sim officiô, gaudeóque magnopere, meos conatus tam felicem sortitos exitum: majori tamen lætitiâ, solidiorique gaudiô perfundor id mente revolvens, quòd ab ipso Tito cognovi, quantam videlicet ille animô ceperit voluptatem ex vestrâ consuetudine, ac sermone; probè enim intelligo, si eum inquinata Ecclesiæ vestræ facies afflixit non leviter, emendatione insecutâ plurimùm quoque recreatum fuisse. 14. Illud quoque mihi solatiô est vel maximè, quòd ex ejus agendi ratione deprehendere potueritis, quæ de illo vobis asseveravi, ab omni adulationis fuco procul fuisse, quódque ipse vi-

vobis, non popter eum, qui fecit injuriam, nec propter eum, qui passus est, sed ad manifestandam sollicitudinem nostram, quam habemus pro vobis

13. *Coram Deo: ideo consolati sumus. In consolatione autem nostrâ abundantiùs magis gavisi sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus ejus ab omnibus vobis.*

14. *Et si quid apud illum de vobis gloriatùs sum, non sum confusus: sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, ita & gloriatio nostra, quæ*

fuit ad Titum, veritas facta est,

15. *Et viscera ejus abundantiùs in vobis sunt: reminiscentis omnium vestrûm obedientiam: quomodo cum timore, & tremore excepistis illum.*

16. *Gaudeo, quòd in omnibus confido in vobis.*

vicissim agnoverit, ea quæ de vobis magnificè commemoravi, veritati planè fuisse consentanea. 15. Id longè certissimum, vos ab eo ardenter diligi, sempérque ejus animo infixam hæsuram memoriam ejus obedientiæ ac promptitudinis, quam palàm ad omnem nutum ostendistis, nec non charitatis ac venerationis quâ illum certatim complexi estis. 16. Me quod attinet, magnopere lætor, inde me certum reddi de vestrâ in me observantiâ, adeò, ut si nonnihil in vos asperiùs insurrexero, minimè id ægrè laturi sitis, sique de vestro zelo ac probitate insigni ampliorem confidentiam habuerim, eam magìs magísque confirmandam vitæ sanctioris conformitate.

PARAPHRASIS

CAP. VIII.

1. *Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam, Dei quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ:*

1. Quemadmodum silentiô prætèrire non possum, quæ pertperàm fiunt, ita nec illa, quæ commendationem merentur. Itaque obstri-

obstrictum me sentio ad manifestandos vobis admirandos effectus divinæ gratiæ, quos contemplari licuit in omnibus Ecclesiis Macedoniæ. 2. Persecutio, quæ pro lapide lydio Christianæ Religionis habetur, non modò fidelium constantiam minimè labefactavit, sed potiùs crescentibus indies ærumnis eorum lætitiam & alacritatem mirum in modum auxit. Sibi duri, erga alios commiseratione & charitate pleni. Extrema eorum inopia (oportet enim virtuti hoc testimonium reddere) non obstitit, quin modicum illud, quod ipsis supererat, in alios tantâ promptitudine & hilaritate effunderent, ut multis opibûs atque divitiis affluere videri possent. Admirationem certè omnem superat ingens illa animi confidentia, quâ Deô propitio sibi nihil unquam defuturum sperabant. 3. Itaque eleemosynas suas non secundùm quantitatem facultatum suarum, sed juxta magnitudinem ardentis zeli pro viribûs, quin etiam supra vires erogârunt, nullis ad hoc stimulis vel calcaribûs compulsi. 4. Sponte enim suâ me multis cum lachrymis rogarunt & obtestati sunt, ne dedignarer accipere,

2. *Quòd in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum fuit: & altissima paupertas eorum, abundavit in divitias simplicitatis eorum;*

3. *Quia secundùm virtutem testimonium illis reddo, & supra virtutem voluntarii fuerunt,*

4. *Cum multâ exhortatione obsecrantes nos gratiam, & communica-*

quæ,

tionem ministerii, quod fit in sanctos.

quæ offerebant, redderémque eos participes amplissimi meriti in eos redundantis, qui fidelibus inopiâ pressis subveniunt, ut adeò largiendo non tam tribuere, quàm accipere beneficium viderentur.

5. *Et non sicut speravimus, sed semetipsos dederunt primùm Domino, deinde nobis per voluntatem Dei;*

5. Fateor eos longè superâsse exspectationem & spem meam se suáque primùm quidem Domino dedendo, deinde ejus quoque, ut interpretor, impulsu, meæ quoque directioni se ex integro subjiciendo, probè gnaros, per hanc submissionem præstare se gratum Deo obsequium.

6. *Ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam istam.*

6. Hac lætitiâ plenus, quam conceperam ex tot rebus per ipsos præclarè gestis, recordatus sum vestri, dilectissimi fratres, statímque eo vota mea direxi, ut illorum vestigiis insisteretis. Quare eo ipso articulo Titum rogavi, ut propositum ad vos invisendi statim exequeretur,

7. *Sed sicut in omnibus abundatis fide, & sermone, & scientiâ, & omni sollicitudine, insuper & charitate vestrâ in nos, ut & in hac gratiâ abundetis.*

7. quò nimirum, uti excellitis in fide, in eloquentiâ, in notitiâ rerum divinarum, in sollicitudine ac diligentiâ circa proximum, in eximiâ, quâ me complectimini charitate, in hac quoque virtute beneficentiæ, quam ipse mecum experimentô proprio perspexerat, præcelleretis.

8. *Non quasi imperans dico: sed per aliorum sollicitudinem, etiam vestræ*

8. Si hac loquendi formulâ utor, non equidem id eâ mente facio, ut vobis leges dictem im-

imperantis in morem, sed consilium tantummodo suggero. Charitas vestra mihi satis supérque perspecta est, neque aliud intendo hoc vobis exemplum liberalitatis proponendo, quàm ut vobis ansam præbeam, ex parte vestrâ & illam palam faciendi pari promptitudine, atque alacritate, quâ præfati Macedones sanctorum inopiam sublevando. 9. Si eorum exemplum vobis pro æmulatione minùs arridet, conjicite, amabo, oculos in Christum JEsum Dei Patris unigenitum. Possidebat ille omnes divitias gloriæ tanquam imago Patris, & figura substantiæ ejus, nihilominus maluit se illis exuere, naturæque imbecillis vestimentô indui factus indigens, ut nos locupletaret. Incomparabili hoc favore præstito eritne adhuc mortalium quispiam adeo ingratus, & malesanus, ut partem facultatum temporalium sibi neutiquam ex titulo rigoroso debitarum, sed gratuitâ Dei beneficentiâ acceptarum iis deneget, qui vel maximè indigent, tametsi forsitan quis exinde ad angustiorem fortunam redigendus esset. Si enim Christus id fecit, ut suâ nos paupertate ditaret, quantò id magis nobis

charitatis ingenium bonum comprobans.

9. Scitis enim gratiam Domini nostri JEsu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis.

nobis faciendum est, quibus hæc ipsa mendicitas nostra uberem parit fructum cœlestium nimirum divitiarum, qualis est divinarum rerum ac mysteriorum sublimior cognitio, expiatio peccatorum, justitia, sanctitas, & id genus alia penè sexcenta, quæ nobis largitus est Servator optimus, & quotidie fidelibus largitur.

10. *Et consilium in hoc do: hoc enim vobis utile est, qui non solùm facere, sed & velle cœpistis ab anno priore:*

10. Mihi pro minimo est, ut me habeatis pro molesto & importuno sollicitatore, nunquam tamen desistam ab hoc consilio vobis adeo utili, útque vos etiam atque etiam exhorter, eosdem vos modò præstare velitis, quales fuistis jam anno superiore, quo liberalem stipem ultrò, & impulsu proprio, & magnâ cum animi voluptate contulistis.

11. *Nunc verò & facto perficite: ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi ex eo, quod habetis.*

11. Nunc ergò huic eximio operi coronidem hodie imponite, & quod aliquando generosâ mente inchoâstis, etiam me auctore perficite, & sicut affuit prompta atque ardens voluntas, sic date operam, ut, quantum vires ferunt, voluntati opus respondeat: verbô, quod vobis superest, id alacriter, sponte, & solâ Deo placendi intentione erogate.

12. *Si enim voluntas prompta est: secundùm id, quod habet, accepta est,*

12. Pretium is largitionis nostræ ex puro offerentis zelo metitur. Minùs

re-

rectè de ejus bonitate ſentimus, ſi e-xiſtimamus, eum à nobis poſtulare, quod in poteſtate noſtrâ non eſt, vel noſtra munera tanquam exigua minùs ab eo probari vel compenſari. 13. Quare non à vobis plus exigo, quàm quod abſque magno incommodo ac damno veſtro præſtare valetis, neque id poſtulo, ut egeatis interim, dum alii ex veſtrâ liberalitate commodè vivunt, ſed ut pari conditione, & operâ ut ita dicam, reciprocâ, ultrò citróque beneficentia exerceatur. 14. Ut quemadmodum nunc vos, qui abundatis, è veſtro largimini, ſic ſi res poſtulet, alii viciſſim vobis egentibus de ſuo largiantur, ut inter omnes æqualitas conſtituatur, quam ſacri Codices ſummoperè commendant. 15. Quando enim commemorant prodigium illud notiſſimum, quod Deus per ſingulos dies patrabat mittendo filiis Iſraël manna de cœlo, expreſsè dicit, eum, qui multum collegerat, non habuiſſe plus, quíque modicum, non inveniſſe minus, unde facilè eſt colligere, fas nobis non eſſe, ut commenſuremus deſideria noſtra avaritiæ potiùs vel ambitioni, quàm preciſè neceſſitati noſtræ. 16. Gratias

non ſecundùm id, quod non habet.

13. *Non enim ut aliis ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate.*

14. *In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat: ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, ut fiat æqualitas, ſicut ſcriptum eſt.*

15. *Qui multum, non abundavit: & qui modicum, non minoravit:*

16. *Gratias autem*

Deo, qui dedit eamdem sollicitudinem pro vobis in corde Titi,

17. *Quoniam exhortationem quidem suscepit: sed cùm sollicitior esset, suâ voluntate profectus est ad vos.*

18. *Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias:*

19. *Non solùm autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ in hanc gratiam, quæ ministratur à nobis ad Domini gloriam, & destinatam voluntatem nostram:*

20. *Devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur à nobis.*

tias autem immortali Deo habeo maximas, qui singulari quadam divináque providentiâ idem omnino studium ac sollicitudinem pro vobis in animum Titi immisit. 17. Hortatus sum illum, ut ad vos inviseret, sed facilè id persuasi viro tantoperè vestri studioso, quin imò præter exspectationem meam majori studiô ac diligentiâ usus ultrò & sponte suâ profectus est ad vos. 18. Misimus autem unà cum illo Barnabam fratrem nostrum, cujus Evangelica prædicatio, docendique ratio in omnibus Ecclesiis miris laudibûs celebratur, 19. quíque præterea ab Ecclesiis manuum impositione additus est nobis in comitem peregrinationis nostræ, & collectorem subsidiorum ad egentium atque inopum calamitatem sublevandam, cui rei libentissimè me impendo, cùm id cedat in gloriam Dei ter Optimi Maximi, vestrámque simul in sanctos beneficentiam luculenter declarandam. 20. In hunc finem dedimus operam, ut ii, qui nobis in hoc charitatis obsequio assisterent, viri essent ea vitæ integritate præditi, quæ omnem ab iis suspicionem submoveret minùs rectæ administrationis, ut

ut videlicet quasi scopulum vitaremus
aliorum reprehensionem, qui
nos aliquo modo accusare aut carpere
possent, quasi ex tam copiosâ
Ecclesiarum munificentiâ aliquid ad
nostra commoda averteremus. 21.
Non enim nobis satis est, nullius noxæ
coram Deo esse conscios, sed eò
quoque, quantum possumus, collimamus,
ut & integritas & probitas
nostra hominibus perspecta & probata
sit. 22. Adjunximus & illis
Apollo fratrem meum, cujus fidelitas
explorata est nobis, ejus porrò
diligentia in obsequium vestrum
tantò illustriùs emicabit, quò majorem
nunc confidentiam habet, suam
inter vos operam non malè collocandam,
cùm tam multa illi de vestrâ
benignitate pollicitus fuerim. Ambos
vobis impensissimè commendamus,
tanquam dignissimos, quos amore
& honore prosequamini. 23.
Titus porrò est fidelis meus socius
& adjutor in dirigendis conscientiis
vestris: reliqui fratres, qui eum comitantur,
sunt legati & episcopi Ecclesiarum,
& sanè ejusmodi, ut
Christi gloria per illos illustretur.
24. Si ergò me sincerè diligitis, &
desideratis omnibus innotescere, me

21. Providemus enim bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.

22. Misimus autem cum illis & fratrem nostrum, quem probavimus in multis sæpe sollicitum esse: nunc autem multò sollicitiorem, confidentiâ multâ in vos,

23. Sive pro Tito, qui est socius meus, & in vos adjutor, sive fratres nostri, Apostoli Ecclesiarum, gloria Christi.

24. Ostensionem ergò, quæ est charitatis vestræ,

& nostra gloriæ pro vobis, in illos ostendite in faciem Ecclesiarum.

non frustra gloriatum esse de vestrâ benevolentiâ atque observantiâ, palàm id facite benignâ & amicâ exceptione illorum: non potestis hujus rei luculentiora mihi dare argumenta in facie & quasi conspectu Ecclesiarum, quæ sibi attribuent omnem honorem atque benevolentiam delegatis hisce exhibitam.

PARAPHRASIS

CAP. IX.

1. *Nam de ministerio, quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis.*

2. *Scio enim promptum animum vestrum: pro quo de vobis glorior apud Macedones: quoniam & Achaja parata est ab anno præterito, & vestra æmulatio provocavit plurimos.*

1. NOn ampliùs id urgeo, ut pecuniam corrogetis, ad inopiam sanctorum, qui sunt in Jerusalem, sublevandam, id enim supervacaneum existimo, probè gnarus, quàm benevolo eos affectu complectamini, neque de hòc dubito. 2. Novi enim animi vestri alacritatem, quam ego apud Macedones assiduè jactare soleo, identidem iis inculcans collectas in Achajâ eleemosynas jam ab anno superiore præsto esse, quod complures eorum piâ æmulatione accendit, & imitandi atque adeo etiam

am ſuperandi ſtudium excitavit. 3. Miſi autem vobis tres ex ſociis meis, quos paulò ante indicavi, ut, quod de vobis commemoravi, ita omnino ſe habere comperiam, cùm advenero. 4. Et ne quâ ratione, ſi fortè mecum venerint Macedones, & necdum collectam ſtipem offenderint, nos ſuffundamur rubore, ne de vobis quidquam dicam, ídque ob præfidentem iſtam noſtram de vobis gloriationem. 5. Quoniam verò parum eſt donâſſe, niſi id fiat a nimô hilari atque generoſo, id mihi incumbere cenſui, ut illos ad vos mitterem, quò adventum noſtrum præverterent, & parata jam omnia invenirem, ne videlicet eleemoſynæ vobis quodammodo extortæ viderentur, & quod munificentiæ veſtræ argumentum eſſe deberet, in teſtimonium pòtiùs publicum cederet avaritiæ ſordidæ Attendite, ne tam pretioſam occaſionem bene merendi præterlabi ſinatis. Si pauperi ſuccurritis, dum in calamitatem incidit, ſemen in ejus ſinum projicitis, quod minimè infœcundum ac ſterile manebit. 6. Quemadmodum autem agricola, qui parcè ſeminat, parum & metit, ita qui modicum

3. Miſi autem fratres: ut, ne quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte: ut (quemadmodum dixi) parati ſitis:

4. Ne cùm venerint Macedones mecum, & invenerint vos imparatos, erubeſcamus nos (ut non dicamus vos) in hac ſubſtantiâ.

5. Neceſſarium ergò exiſtimavi rogare fratres, ut perveniant ad vos, ut præparent repromiſſam benedictionem hanc paratam eſſe, ſic quaſi benedictionem, non tanquam avaritiam.

6. Hoc autem dico: qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat

in benedictionibus, de benedictionibus & metet.	cum tribuit, exiguum quoque largitionis suæ fructum referet, qui autem lætus erogat, pariter lætus remunerationem accipiet.
7. *Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitiâ, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.*	7. Utcunque sit, date, quod vobis placuerit, tametsi permodicum sit, præstate id libenter, hilariter, & absque acceptione personarum, hilarem enim atque alacrem largitorem diligit Deus, neque attendit ad rei oblatæ pretium, sed ad promptam bonámque voluntatem offerentium.
8. *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.*	8. Minùs rectè de ejus providentiâ ac bonitate sentitis, si metuitis, ne aliis subveniendo ad incitas redigamini. Justus est, atque omnipotens. Itaque pro certo habetote, nunquam permissurum, ut necessaria ad vitæ sustentationem vobis desint, & donis vos insuper supernaturalibus cumulaturum, ut abundetis meritis divitiisque spiritualibûs,
9. *Sicut scriptum est: dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi.*	9. secundùm illud Davidis oraculum: distribuit, deditque pauperibus, beneficentia ejus in omne ævum permanebit.
10. *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum justitiæ vestræ:*	10. Ita est, fratres mei. Deus, qui semina seminanti abundè suppeditat, providebit & vobis copiosè de alimentis, neque contentus amplificâsse rem vestram œconomicam crescere vos faciet & ascendere ab unâ vir-

virtute ad aliam, 11. ut cùm vide-
ritis, quo fænore vestras compenset
eleemosynas, facultates vestras in
ejusmodi opera erogetis, unde lon-
gè maxima in vos gloria, & benedi-
ctio redundat. 12. Profectò non
tantùm fidelibus egentibus prospi-
cit de necessariis, sed etiam materi-
am præbet amplissimam identidem
gratias reddendi bonorum omnium
largitori, in cujus nimirum gloriam
vel maximè cedunt hæc ipsa obse-
quentis Evangelio mentis, & promp-
tæ, effusæque in alios beneficentiæ
indicia, quam & illis, & aliis inopiâ
pressis exhibetis. 14. Assiduè ipsi
pro vobis deprecantur divinum Nu-
men, & unicè in votis habent, eo-
rum præsentiâ atque conspectu
frui, quibus Deus tam eximia charis-
mata largitur. 15. Nolite propte-
rea animô efferri, vobisque jactan-
tiùs plaudere, sed memores officii
vestri gratias Deo omnium parenti
referte amplissimas, qui vobis &
piam mentem indidit ad opus tanti
apud eum meriti, & vires suppedi-
tavit id exequendi, tótque aliis præ-
stantibus donis vos condecorat, quæ
nullius dicendi vi, atque facultate
explicari valent.

11. *Ut in omnibus*
locupletati abundetis in
omnem simplicitatem,
quæ operatur per nos gra-
tiarum actionem Deo.
12. *Quoniam mini-*
sterium hujus officii, non
solùm supplet ea, quæ de-
sunt sanctis, sed eti-
am abundat per multas
gratiarum actiones in Do-
mino,
13. *Per probationem*
ministerii hujus, glorifi-
cantes Deum in obedien-
tiâ confessionis vestræ, in
Evangelium Christi, &
simplicitate communica-
tionis in illos, & in omnes,
14. *Et in ipsorum obse-*
cratione pro vobis, desi-
derantium vos propter e-
minentem gratiam Dei in
vobis.
15. *Gratias Deo super*
inenarrabili dono ejus.

PARAPHRASIS

CAP. X.

1. *Ipse autem ego Paulus obsecro vos, per mansuetudinem & modestiam Christi, qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis.*

2. *Rogo autem vos, ne præsens audeam per eam confidentiam, quâ existimor audere in quosdam, qui arbitrantur nos tanquam secundùm carnem ambulemus.*

3. *In carne enim ambulantes, non secundùm carnem militamus.*

1. HÆc vos admonere volui de necessitate, utilitate, & remuneratione eleemosynæ, nec non de modo eam præstandi. Nunc ad alia progredior, & ùtùt coràm vobis abjectus videar & contemptibilis, absens verò paulò confidentior, enixè vos obtestor per mansuetudinem & lenitatem Servatoris nostri, ut omni studiô in reformationem morum vestrorum incumbatis. 2. Obtestor vos, inquam, ne admonitio nostra effectu careat, néve compellar, cùm ad vos venero, eâ authoritate ac potestate reipsâ uti, quam aliquorum judiciô admodum imperiosè in absentes exero, quasi humanis potiùs rationibûs ducerer, quàm spiritu Dei. 3 Reverà, quamvis cæterorum similes homines simus, & corporis hanc molem, ut cæteri, circumferamus, non humana tamen consilia sequimur, neque humanis præ-

præsidiis aut armis bellum gerimus, quando adversùs fœdos gentilium errores, & abominanda flagitia insurgimus. 4. Tametsi autem arma militiæ nostræ videantur admodum infirma, & invalida, Deus tamen eorum ministeriô mira potentiæ suæ prodigia facit. His enim instructi omnem vim & apparatum prudentiæ humanæ inanem & irritum reddimus, ejúsque machinas è fundamentis subvertimus. 5. Argutas ratiocinationes, quæ religioni nostræ opponuntur, eludimus, terrenæ sapientiæ fastum deprimimus, quando in sublime extollitur adversùs supernam illam veri Dei scientiam, obstinatissimas denique mentes debellamus, Christíque jugo ac obedientiæ captivas subjicimus. 6. Præter istos præclaros effectus vim quoque atque potestatem paratam habemus ulciscendæ eorum contumaciæ, qui saniora consilia admittere respuunt: quòd si tam justam animadversionem tantisper differimus, id eam ob rationem agimus; ut interea ab illâ rebellium fæce vos segregetis, atque ita imminuto sontium numerô rigor disciplinæ Ecclesiasticæ majori cum energiâ, fru-ctu-

4. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes.

5. Et omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.

6. Et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit vestra obedientia.

7. Quæ secundùm faciem sunt, videte. Si quis confidit sibi, Christi se esse hoc cogitet iterum apud se: quia sicut ipse Christi est, ita & nos.

8. Nam etsi ampliùs aliquid gloriatus fuero de potestate nostrâ, quã dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram: non erubescam.

9. Ut autem non existimer tanquam terrere vos per epistolas:

10. Quoniam quidem epistolæ, inquiunt, graves sunt & fortes: præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis:

ctúque ampliori exerceri valeat. 7. Attendite, ne hallucinemini, in æstimandis hominibus externam duntaxat speciem ac veluti larvam intuendo, quæ ùt plurimùm fallit. Non indignè fero, ut qui gloriatur, se verùm esse Christi Domini discipulum, ac sectatorem, in hac sententiâ & confidentiâ suæ probitatis persistat, sed & hic vicissim æquo animô perferat, nos hoc ipso charactere gloriari. 8. Non abs re id à vobis postulo. Si enim gloriari vellem de potestate, quam Dominus ad ædificationem, sinceræque pietatis in mentibus excitationem, non autem ad vestri aut cujuspiam alterius perniciem singulari munere mihi contulit, possem id præstare luculentâ, & gravi oratione, quin veritati fucum facerem, vel exinde erubescendi discrimen mihi subeundum foret. 9. Id tamen minimè faciam, ne fortè existimetis, me ad vanum quendam terrorem vobis incutiendum ista scribere. 10. Neque enim sum nescius, quosdam obtrectatores esse, qui dicant epistolas quidem meas graves esse, & vehementiori quodam spiritu turgidas, coràm iis verô me contremiscere, ad quos tam imperio-

periosè scribo, & externum corporis habitum infirmum esse, atque imbecillem, nilque magni promittere, & prædicationem tenuem, elumbem, omnîque lepore ac gratiâ destitutam. 11. Nihil ad ista reponam, nisi rogitare me, si falli aut fallere alios nolint, id sibi certò persuadeant, tales, cùm præsentes erimus, nos reipsâ futuros, quales in epistolis, quas scribimus, aut videmur, aut sumus, neque ab illis unquam meam vivendi & agendi rationem discrepaturam. 12. Per Dei gratiam non sumus adeo habetes & inani gloriâ fascinari, ut eos æmulari velimus, qui seipsos vanâ præfidentiâ extollunt, talésque se esse existimant, quales ab aliis haberi volunt. Aliam de nobis opinionem non habemus, quàm quod reipsâ sumus, neque aliud de nobis prædicamus, quàm quod veritati planè consentaneum est. 13. Non extollimus nosmetipsos in immensum, & supra modum de laboribus in prædicando Evangelio exantlatis, sed cohibemus nos intra præscriptos limites, & ut ita dicam lineas divinæ gratiæ, quam Deus nobis impertitus est, quando eo volente atque disponente

11. *Hoc cogitet, qui ejusmodi est, quia quales sumus verbô per epistolas absentes, tales & præsentes in facto.*

12. *Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant: sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis.*

13. *Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundùm mensurã regulæ, quâ mensus est nobis Deus mensuram pertingendi usque ad vos.*

14. *Non enim quasi non pertingentes ad vos superextendimus nos; usque ad vos enim pervenimus in Evangelio Christi.*

15. *Non in immensum gloriantes in alienis laboribus: spem autem habentes crescentis fidei vestræ, in vobis magnificari secundùm regulam nostram in abundantiam,*

16. *Etiam in illa, quæ ultra vos sunt, evan-*

te ad vos pervenimus, & proximè venturi sumus. 14. Nemo profectò est, qui verè nobis objicere possit, nos mensuræ nostræ fines excedere, dum isthìc apud vos Apostolico munere fungimur, quasi ista Ecclesia non fuerit operâ nostrâ Christo aggregata. Re enim verâ nos vobis Christum ejúsque fidem promulgavimus atque idcirco nihil nos alienum usurpamus, non alienos fines invadimus, cùm æquitati planè consentaneum sit, ut quos ad Christi Ecclesiam traduximus, eorum etiam curam atque patrocinium suscipiamus, ídque absque præjudicio honoris aliorum quoque laboribus debiti. 15. Quòd si aliquam gloriam & famam speramus, eam præstolamur ex amplificatione fidei & incremento probitatis vestræ, quâ nimirum futurum est, ut Evangelii prædicatio per nos protendatur etiam ad eos, qui ultra Corinthum sunt, intra fines tamen nostri apostolatûs, ne in alienam possessionem videamur irruere, nobísque arrogare, quæ ab aliis parata & perfecta jam sunt, quod pseudoapostoli faciunt. 16. Tametsi verò accincti jam stemus ad annuntiandum eandem

dem, quam ex me percepiſtis, veritatem aliis quoque nationibus, ſpémque firmiſſimam habeamus, conatus noſtros per Dei gratiam minimè fore irritos, ad eas tamen tantummodo nos conferemus, quæ nondum de JEſu Chriſto quidquam inaudierunt, neque ab ullo Apoſtolorum excultæ ſunt, cùm ex alienâ ſemente meſſem colligere non ſit animus.

17. Hinc ita concludo, eum, qui quapiam in re gloriatur, ad unius Dei laudem, non ad ſua privata commoda referre debere, quidquid gratiæ divinitùs accepit.

18. Neque enim qui ſeipſum commendat, continuò verâ ac ſolidâ laude dignus cenſendus eſt, ſed is tantùm, quem Deus immortalis, & commendat, & approbat, quippe qui nec fallere, nec falli poſſit.

gelizare, non in alienâ regulâ in iis, quæ præparata ſunt, gloriari,

17. *Qui autem gloriatur, in Domino glorietur.*

18. *Non enim, qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt: ſed quem Deus commendat.*

✠)o(✠

PA-

PARAPHRASIS.

CAP. XI.

1. *Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed & supportate me:*

1. Optarem tamen, ut ad retundendam pseudoapostolorum arrogantiam aliquid mihi indulgeretis edicere in propriam commendationem, & hanc qualemcunque insipientiam (quo enim alio nomine propriarum laudum commemorationem appellem) non in sequiorem partem acciperetis. Scio vos æqui bonique consulere, quòd tali confidentiâ vobiscum agam.

2. *Æmulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.*

2. Profectò non ex præsumptione meritorum meorum excitor ad disserendum de rebus meis, quin imò persuasum habeo, per hoc me non paucorum invidiam incurrere, qui nullâ ratione habitâ sinceræ rectæque, quâ utilitatem vestram unicè specto, intentionis, me vanitatis arguent: nihilominus cùm vestra potiùs salus, quàm quid alii de me sentiant, mihi curæ sit, insuper habeo, si nonnullis delinquere existimer con-

contra communes modeſtiæ regulas, modò vobis prodeſſe valeam. Ardenti in vos amore feror, & ſanctâ quadam æmulatione, pene dixero, zelotypiâ in Chriſto Domino. Utor hac libertate loquendi, quia unicam Chriſti Domini gloriam præ oculis habeo, cui vos veluti ſponſam puram, planéque illibatam in admirandâ unitate fidei deſpondi, ut ei ſervetis integritatem veſtram, donec in cœleſti gloriâ connubium conſummet, quod in terris vobiscum contraxit. Teſtimonium illi aliquod reddidi de fidelitate ac conſtantiâ veſtrâ, quam ob cauſam vobis continuò invigilo, 3. & identidem vereor, ne quemadmodum antiquus ille ſerpens calliditate ſuâ Evam ſeduxit, ita & pſeudoapoſtoli, qui inter vos commorantur, piam veſtram credulitatem corrumpant, & degenerare faciant à candidâ ſimplicitate rectæ fidei, quæ eos maximè decet, qui Chriſtum complexi ejus doctrinam, vivendíque rationem profitentur. 4. Enim verò, ſi veniat ad vos, qui alium nempe meliorem JEſum vobis prædicaret, ſi aliam doctrinam perfectiorem vobis polliceatur, quaſi ea, quæ nos do-

3. *Timeo autem, ne ſicut ſerpens Evam ſeduxit aſtutiâ ſuâ, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto.*

4. *Nam ſi is, qui venit, alium Chriſtum prædicat, quem non prædicavimus; aut alium ſpiritum accipitis, quem non*

accepistis: aut aliud Evangelium, quod non recepistis: rectè pateremini,

docuimus, non satis sint ad salutem, si utiliora, magisque necessaria Spiritûs Sancti charismata vobis largiatur, si præstantius denique Evangelium promulget, meritò illum nobis anteferendum censeretis: at verò nihil horum omnium fieri potest, omnia enim vobis tradidimus, quæ ad perfectam vitæ Christianæ rationem pertinent, & ad salutem sempiternam assequendam valent, neque hi tales, qui nobis obmurmurant, quidquam in medium proferre possunt, quod non ipse priùs vos docuerim, quidquid insuper adjiciunt, periculô non caret, vel saltem superfluum est, & ad inanem præcisè pompam atque eloquentiæ ostentationem tendit.

5. Existimo enim, nihil me minùs fecisse à magnis Apostolis.

5. Quin asseverare ausim, me neque mendacii, neque arrogantiæ insimulari posse, si dixero, me non minus laborum exantlâsse, quàm alii re & nomine magni Apostoli, qui in suo munere præ aliis excellunt, atque in veneratione sunt, neque ullâ in re ipsis esse inferiorem.

6. Nam etsi imperitus sermone, sed non scientiâ: in omnibus autem manifestati sumus vobis.

6. Esto, eloquentiâ caream, aut cultu sermonis, divinarum tamen rerum scientiam, quæ Ecclesiarum Magistrum deceat, nemo jure requirat, aut ullo modo reprehendat. Sed quid atti-

attinet, hæc à me pluribus commemorari? Vos ipsos testes appello, qui reipsâ experti estis, quid in omni genere efficere ac præstare possim. Talis certè interiùs sum, qualis foris appareo, neque vobis fucatâ pietatis specie illudo: plusquàm satis me nostis. 7. Quid? Num id vitio mihi verteris, quòd me ipse ultra modum dejecerim, atque humile, abjectúmque artificium exercuerim, ut vestram vos amplitudinem retineretis, & vobis interim gratuitò Evangelium prædicaverim? 8. Quòd si fas est dicere, alias Ecclesias emunxerim, accepto ab iis quodammodo stipendiô, ut nullo vestro incommodo vel jacturâ vobis Christinæ vitæ præcepta traderem, &, ut ita dicam, inservirem? 9. Eram vobiscum, & laborabam rerum penuriâ, fratres, qui ex Macedoniâ venerant, suppeditarunt, quidquid mihi deerat, itaque nullius è vobis opem, aut subsidium imploravi, ne cuiquam molestus essem, neque idcirco minori zelô apostolicos labores in me suscepi, aut Evangelicæ prædicationis muneri ullâ ex parte defui. Denique nulli vestrûm quacunque ratione onerosus fui & incommodus, neque,

7. *Aut numquid peccatum feci, me ipsum humilians, ut vos exaltemini? Quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis.*

8. *Alias Ecclesias exspoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum.*

9. *Et cùm essem apud vos, & egerem; nulli onerosus fui: nam quod mihi deerat, suppleverunt fratres, qui venerunt à Macedoniâ: & in omnibus, sine onere me vobis servavi, & servabo.*

10. Est veritas Christi in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achajæ

neque, uti spero, unquam ero. 10. Atque hæc non eà mente vobis exprobro, ut imposterum de rebus ad vitam utcunque sustentandam necessariis mihi provideatis. Longè sum alienus ab ejusmodi cogitatione. Testor veritatem increatam, gloriam illam animi ab omni amore proprio vel cupiditate rerum temporalium liberi, quam consecutus sum, instar fluvii placidi per universam Achajam decurrisse, neque permissurum me, ut ejus fluxus interrumpatur unquam.

11. Quare? Quia non diligo vos? Deus scit.

11. Sed quamobrem (sciscitetur fortasse quispiam) renuis à nobis quidquam accipere, nunquid, quia nos non diligis? Deus scit, fratres mei, quòd vos amore tenerrimo complectar,

12. Quod autem facio, & faciam; ut amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, ut in quo gloriantur, inveniantur, sicut & nos.

12. quódque non alio fine ita me hactenus gesserim, quàm ut impedirem, ne impostores hi, qui vos decipiunt, si adverterint, me quoque solatii temporalis aliquid pro munere prædicationis admittere, jactare possint, se nostro exemplô idipsum facere, & in omnibus esse persimiles: atque istam agendi rationem retenturum me sanctè polliceor, ut amputem occasiones iis, qui suâ simulatione, atque hypocrisi calumniandi materi-

teriam quærunt, ut quoniam glo-
riari solent, se gratis Evangelium
docere, atque adeò nobis similes vi-
deri, (cùm tamen nullâ re indigeant)
nos accusare nullâ ratione queant.
13. Prædico, & ipsi prædicant, sed
non lucri causâ prædico, quemad-
modum ipsi; mercedem reposcunt,
& tamen æstimari volunt, quasi gra-
tìs laborent. Me quod attinet, de
nullâ re glorior, quam non alio-
rum oculis palàm exhibeam: omnis
eorum agendi ratio textura frau-
dum est. Religionem vultu dun-
taxat præseferunt, uti & animarum
curam in solâ loquacitate: destru-
unt, dum ædificare creduntur, &
evellunt, dum plantare videntur.
14. Neque id ullo modo mirandum
est, si characterem Apostolorum im-
pudenter sibi arrogent, & alienam
personam induant, quasi essent Ju-
stitiæ Ministri. Satanas ipse eorum
parens atque magister persæpe su-
am deformitatem adscitâ pulchri-
tudine contegit mentiendo formam
angeli lucis, ut specie pietatis obje-
ctâ faciliùs in fraudem impellat eos,
qui alioqui à vitiis suapte sponte
abhorrent. 15. Interim non tam
scitè se suáque occulere valent, quin
ex

13. *Nam ejusmodi pseudoapostoli sunt operarii subdoli transfigurantes se in Apostolos Christi.*

14. *Et non mirum: ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis.*

15. *Non est ergò magnum, si ministri ejus*

transfigurentur velut ministri justitiæ, quorum finis erit secundùm opera ipsorum.

ex operibus & fructibus suis dignoscantur. Divinum certè intuitum fallere non possunt, neque ejus absolutissimæ scientiæ tenebras offundent, quin potiùs ille nefarias ipsorum actiones aliquando tandem justo suppliciô plectet.

16. *Iterum dico (ne quis me putet insipientem esse, alioquin velut insipientem accipite me, ut & ego modicum quid glorier)*

16. Ut autem differentiam nos inter & illos noveritis, necesse mihi est, quædam non inhonorifica de me enuntiare: nemo propterea me putet desipere aut delirare, dum meas laudes ad eruditionem vestram recenseo: Nihilominus non repugno, si me etiam ùt insipientem habeatis, modò vobis prodesse valeam. Itaque me ùt talem supportate & permittite, ut paululùm quidquam vicissim & ego glorier.

17. *Quod loquor, non loquor secundùm Deum, sed quasi in insipientiâ, in hac substantiâ gloriæ.*

17. Non ignoro, fortunæ bona, de quibus paulò post dissseram, qualis est nobilitas prosapiæ, patriæ, & similia nullius esse pretii coram Deo, quódque ejusmodi rerum commemoratio plus insipientiæ habeat, quàm pietatis, nisi finis & scopus attendatur, unius nimirum divinæ Majestatis gloria, ad quam omnia referenda sunt.

18. *Quoniam multi gloriantur secundùm carnem: & ego gloriabor.*

18. Quandoquidem autem, qui sese nobis comparant, de origine ac nobilitate suâ magnificentiùs loquuntur, osten-

dam

dam ſanè, me iis nullâ ex parte cedere. 19. Confidentiùs ita loquor, quandoquidem perſuaſum habeo, vos qui eſtis prudentiſſimi, æquo libentíque animô aliorum inſipientiam tolerare; & ſanè jugum, quod vobis imponere cogito, tam grave non eſt, ac illud, quod ſponte veſtrâ ſubiiſtis. 20. Tametſi quis enim vos quaſi mancipia in ſervitutem adigat, facultates veſtras inexplebili avaritiâ emungat, ſibíque penitus vindicet, vos inclementer habeat, deſpiciat, opprobriis & calumniîs afficiat, patienter id fertis, & omnem honorem atque amorem rependitis. 21. Quid dicam? nunquid illud ſatis exoticum, vos ab iſtis ſycophantis atque adulatoribus pro nihilo haberi, nullam autem mei rationem vos habere, ùtùt aliis perquàm benevolos. Deſpectui me habent, quaſi non easdem gloriandi cauſas haberem, quas ipſi, cùm tamen de quibus ſeſe efferunt (ignoſcite imprudentiæ meæ) pari jure gloriari poſſim.

22. Hebræi ſunt: nunquid & ego? Iſraelitæ ſunt, quis mihi hoc ipſum deneget? Abrahamo patre gloriantur, eundem & ego parentem

19. Libenter enim ſuffertis inſipientes, cùm ſitis ipſi ſapientes.

20. Suſtinetis enim, ſi quis vos in ſervitutem redigit, ſi quis devorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cadit.

21. Secundùm ignobilitatem dico, quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in inſipientiâ dico) audeo & ego:

22. Hebræi ſunt, & ego: Iſraëlitæ ſunt, & ego: Semen Abrahæ ſunt, & ego;

23. *Ministri Christi sunt (ut minùs sapiens dico) plus ego : in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.*

24. *A Judæis quinquies quadragenas unâ minus accepi.*

25. *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui,*

26. *In itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus:*

27. *In labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate:*

tem & progenitorem agnosco. 23. Ministri sunt JEsu Christi: esto, atqui hic titulus (ut minùs sapiens jam loquor) & meliori jure mihi competit. Vultísne percipere meas prærogativas? plus ipsis laboravi, sæpius ergastulis detentus fui, longè plura verbera atque plagas pertuli, quàm credi possit, sæpiùs in discrimen vitæ adductus sum. 24. Quinis diversis vicibûs à Judæis 39. flagorum ictus excepi. 25. à Gentilibus ter virgîs cruentatus, & semel lapidibûs appetitus fui in Lycaoniâ, adeò ut semianimis prostratus jacuerim, ter naufragium passus per integrum diem noctémque in pelago procelloso fluctuavi. 26. Ut nihil de assiduis itineribus commemorem, vix non perii trajiciendo flumina: plurima pericula adivi latronum, popularium meorum, atque ethnicorum: magna sæpe discrimina expertus sum in urbibus, in ipsâ quoque solitudine, terrâ maríque atque inter ipsos falsos fratres, qui impia consilia mentitâ sinceræ religionis specie obvelabant. 27. Laboribûs, curísque obrutus noctes transegi vigilans, diésque jejunus atque famelicus, nec non siti prope exanimatus. Ae-

Aeris perfrigidi inclementiam tole-
rare persæpe coactus sum, neque
habebam, quo me protegerem contra
ejus injurias. 28. Mitto cætera,
quæ me quodammodo extrinsecùs
premunt, & nihil sunt in compara-
tione angustiarum & curarum, qui-
bûs quotidie premor ex difficillimo
regimine omnium Ecclesiarum.
29. Quis quæso affligitur & pa-
titur, cui non compatior? quis of-
fensionem incurrit, quin ego intus in
animo uri me quodammodo sen-
tiam & accendi vehementi studiô
ipsum juvandi vel petram scandali
submovendi? Sanè priùs me excu-
satum volui, cùm tamen non pauca
suppeterent, de quibus gloriari pos-
sim. 30. Equidem si gloriari opor-
teat, propter ea duntaxat gloriabor,
quæ sunt propria imbecillitatis meæ,
nempe propter ærumnas & calami-
tates meas, quas pro victoriis & lau-
reis habeo: enumeravi vobis sat
multas, neque habeo, quod iis adji-
ciam, nisi extremum vitæ pericu-
lum, quod in urbe Damasco subii.
31. Deus & Pater Domini nostri
JEsu Christi, qui immortali laude
celebrandus est, certò novit me ne-
quaquam mentiri. 32. Qui in me-
mo-

28. *Præter illa, quæ
extrinsecus sunt, instan-
tia mea quotidiana, solli-
citudo omnium Ecclesia-
rum.*

29. *Quis infirma-
tur, & ego non infirmor?
quis scandalizatur, &
ego non uror?*

30. *Si gloriari opor-
tet: quæ infirmitatis meæ
sunt, gloriabor.*

31. *Deus & Pater
Domini nostri JEsu
Christi qui est benedictus
in sæcula, scit, quòd non
mentior.*

32. *Damasci præpo-*

situs gentis Aretæ regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet:

morata urbe nomine Aretæ Regis genti præerat, me volebat comprehendere, & in manus consignare Judæorum mihi infensissimorum ex eâ ratione, quòd ipsos argumentorum vi, atque meâ vivendi ratione confunderem, at verò Deus, qui pro suis famulis excubat, me manifesto huic discrimini eripuit.

33. *Et per fenestram in sportâ demissus sum per murum, & sic effugi manus ejus.*

33. Demissus fui ex fastigio mœnium in sportâ, & tametsi excubiis omnia circumsepta essent, evasi nihilominus feliciter manus inimicorum meorum.

PARAPHRASIS

CAP. XII.

1. *Si gloriari oportet, (non expedit quidem) veniam autem ad visiones & revelationes Domini.*

1. Gloriari sanè mihi neutiquam expedit, quid enim quæso utilitatis afferat laudum mearum tam diligens & minuta prædicatio? sed quando jam dicere cœpi, idque vestra utilitas exposcit, veniam nunc ad ea, quæ mihi divinitus ultrò collata sunt, ad visa, inquam, cœlestia, & revelationes divinorum mysteriorum

rum. 2. Novi hominem, quod tamen in Christo ac sine ullâ arrogantiâ dictum velim, cùm nihil aliud, nisi Christum in præsentiâ spectem. Novi, inquam, hominem ante annos quatuordecim (neque satis statuere possum, utrùm in corpore, an extra corpus positum, neutrum enim planè scio, sed utrumque divinæ scientiæ reservatur) raptum planè extra se, & ad tertium usque cœlum evectum. 3. Quin etiam, si dicendum sit, quod res est, an ejus anima à corpore avulsa fuerit, an solùm in extasin sublevata, nescio (solus Deus, quem nihil omnino latere potest) id noverit. 4. Raptus hic est in paradisum, & incredibili voluptate perfusus, talia ibi vidit, audivitque arcana penitúsque ineffabilia, quæ nefas sit humanâ mortalíque linguâ communicari. 5. Equidem ob ea, quæ huic homini acciderunt, gloriari jure optimo possum, me verò ipsum si respiciam, fateor, me nihil habere, unde laudem ac gloriam quærere possim, nisi fortè, quòd multa adversa toleravi, atque etiamnum tolero. 6. Non quòd de simili favore gloriari non ausim metu imprudentiæ, nihil enim contra

2. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore, nescio, sive extra corpus, nescio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium cælum.

3. Et scio hujusmodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit)

4. Quoniam raptus est in paradisum: & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

5. Pro hujusmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis.

6. Nam & si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim di-

cam: parco autem, ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me.

tra mentem, aut veritatem dicerem, sed quia modesto silentiô præterire malo, quæ in honorem meum redundant, quàm ut ansam præbeam illis, qui me narrantem audiunt de hujusmodi extaticis visionibus, existimandi me nonnihil aliis hominibus præcellere, plúsque reipsâ esse, quam quod vel oculis cernunt, vel famâ noverunt de me. Nihil sanè tam periculosum, quàm favores hi insoliti, qui nisi cum debitâ animi modestiâ atque humilitate recipiantur, in præcipitia potiùs nos deturbant, quàm in cœlum sustollant.

7. *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet.*

7. Quâ in re singularem in me divinæ providentiæ gratiam agnosco; ne enim harum revelationum sive magnitudine sive præstantiâ supra modum efferrer, tantóque splendore obfuscatâ mente paulatim in oblivionem ejus deducerer, quod fueram, voluit ut persentiscerem fœdum & importunum carnis stimulum, satanâ nempe excitante turpissimos in membris motus, qui mihi quovis alio supplicio graviores sunt, ac molestiores, & continuis, ut ita dicam, colaphis meæ me infirmitatis cum summâ confusione commonefaciunt.

8. *Propter quod ter*

8. Hujus interio-

rioris plagæ acerbitate adeò nonnunquam afflictus fui, & summo animi pudore repletus sentiendo in carne meâ legem legi mentis obluctantem, ut ter supplex ad Deum accesserim, summísque precibûs obtestatus sim, tam diram, tamque importunam vexationem à me ut tolleret. 9. Sed audivi vocem arcanam, quæ diceret, sufficere mihi ejus gratiam ad referendam victoriam, & puritatem ab his sordibus servandam illibatam. Libentissimè igitur gloriabor ob meas infirmitates potiùs, quàm ullam aliam ob rem, ut planè mihi constet, adesse mihi divinam Christi vim, atque potentiam. 10. Propterea non tantùm æquo, vel forti animô fero, sed maximam etiam voluptatem percipio in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis & opprobriis pro Christo, cùm enim vix non oppressum me existimo, tunc ejus divinâ vi longè fortior resurgo. 11. Quòd si hac mearum laudum commemoratione vobis parùm sanus visus sum, vos (ut ingenuè fatear) me coëgistis, vobis id imputate, vos enim debueratis me com-

Dominum rogavi, ut discederet à me:

9. *Et dixit mihi: sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.*

10. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: cùm enim infirmor, tunc potens sum.*

11. *Factus sum insipiens, vos me coëgistis. Ego enim à vobis debui commendari: nihil enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli: tametsi nihil sum.*

mendare & non me compellere ad meipsum dilaudandum, & infringendam nimiam æstimationem, quam de meis æmulis conceperatis. Repeto, quod priùs dixi, tametsi me nihili planè esse fatear libens, si considerem, qualis sim ex me, nullâ tamen in re inferiorem profiteor illis, qui se putant apostolicæ dignitatis attigisse fastigium.

12. Signa tamen Apostolatûs mei facta sunt super vos in omni patientiâ, in signis, & prodigiis, & virtutibus.

12. Argumenta siquidem apostolici mei muneris apud vos perspicua extant magnâ adversarum rerum tolerantiâ, signis, ac prodigiis, aliísque rebus supra naturam divinitus factis egregiè confirmata, quæ vobis vocationem meam satis supérque comprobant.

13. Quid est enim quòd minus habuistis præ cæteris Ecclesiis, nisi quòd ego ipse non gravavi vos? Donate mihi hanc injuriam.

13. Quæ ergò vobis querimoniæ causa? habéntne aliæ Ecclesiæ prærogativam aliquam, quæ in vobis non etiam refulgeat? nullâ ex parte illis ceditis, nisi quòd vobis fortasse in quærendo victu nullam molestiam creaverim. Si hanc injuriam putatis, vósque exinde suboffensos creditis, condonate obsecro offensam, quamquam non inmeritò verear, ne in eandem iteratò recidam.

14. Ecce tertiò hoc paratus sum venire ad vos: & non ero gravis vobis. Non enim quæro, quæ vestra

14. Ecce tertiâ jam vice ad vos invisere constitui, & nihil penitus pro more meo à vobis expetere aut acceptare.

Si

Si hujus rationem requiritis, ea est, dilectissimi fratres, quòd animas vestras quæram, non verò facultates, salutem vestram cupio, non divitias, naturæ enim legibus repugnat, quòd liberi pro parentibus opes colligant, sed contra potiùs parentes filiis rem familiarem comparant. 15. Ego certè non solùm meas opes, si quas haberem, in bonum animarum vestrarum expenderem, sed vitam ipsam perlibenter vestrâ causâ prodigerem, tametsi longè majori vos benevolentiâ & charitate complectens non parem vestrum in me amorem experior. 16. Dicet fors nonnemo, verum esse, quòd nihil à vobis postulaverim, id tamen me vix dissimulare posse quòd salvâ commendatione animi aliena non appetentis aliorum fortasse operâ nonnihil extorserim, 17. quos subinde ad vos misi, ut id proprio nomine exigerent, quod tamen suo tempore in manus meas recideret. 18. Ad ista nihil repono, nisi quòd cùm Titum cum socio ad vos invisendos miserim, nunc scire oporteat, quomodo se gesf-

sunt, sed vos. Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes si iis.

15. *Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris: licèt plus vos diligens, minùs diligar.*

16. *Sed esto: ego vos non gravavi: sed cùm essem astutus, dolô vos cepi.*

17. *Numquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumveni vos?*

18. *Rogavi Titum, & misi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumvenit? nonne eodem*

spiritu ambulavimus? nonne iisdem vestigiis?

gesserint: respondete itaque, num Titus indicium dederit cujuspiam avaritiæ? num vos bonis fortunísque vestris per fraudem spoliavit? si non habetis, quod ipsi exprobretis, an non aliunde compertum, nos uno eodémque spiritu Dei agi? nonne eadem penitus vestigia calcavimus?

19. *Olim putatis, quòd excusemus nos apud vos? coram Deo in Christo loquimur: omnia autem charissimi propter ædificationem vestram.*

19. An putatis, me hac epistolâ vobis blandiri velle, aut excusationem quærere? Equidem Deum testor, ejúsque filium JEsum Christum, me verè ac sincerè animi mei sensa proferre, ut eum facere decet, qui se Christi discipulum ac sectatorem profitetur. Credite mihi, charissimi, omnes meas actiones, omnia studia conatúsque ad vestram utilitatem referri.

20. *Timeo enim, ne fortè, cum venero, non quales volo, inveniam vos: & ego inveniar à vobis, qualem non vultis: ne fortè contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos:*

20. Quod me sollicitum habet, unicum est salutis vestræ studium, quódque metuam, ne cùm istuc venero, non quales maximè velim moribus integros reperiam vos, & proin severiorem me experiri cogamini, quàm modò optatis. Vereor coram illis confundi quibus tot & tanta deprædicavi de vestrâ probitate, si deprehendero in vobis lites, æmulationes, iras, conten-

tentiones, obtrectationes, murmura, tumores, seditiones. 21. Denique contremisco totis artubûs, animô prævidens ac metuens, ne ubi venero, Deus me quodammodo apud vos dejiciat, ac pudore suffundat, & lugere cogar jacturam eorum, qui pridem peccaverunt, nec resipuerunt, aut pœnitentiâ expiarunt fœdissima flagitia à se patrata.

21. *Ne iterum cùm venero, humiliet me Deus apud vos; & lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitiâ, quam gesserunt.*

PARAPHRASIS

CAP. XIII.

1. SI vos in funesto hoc statu invenero, non potero non vobiscum acerbiùs agere. Quare vos præmoneo, venturum me propediem jam tertiâ vice ad vos, ut interim mores vestros componere, & vitia tollere studeatis, quæ impunita relinquere non possem. Fallimini, si perperàm gesta aut excusare, aut impudenter inficias ire volueritis. Duo-

1. *Ecce tertiò hoc venio ad vos. In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.*

2. *Prædixi, & prædico ut præsens, & nunc absens, iis, qui ante peccaverunt, & cæteris omnibus, quoniam, si venero, iterum non parcam.*

3. *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis?*

4. *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate: sed vivit ex virtute Dei. Nam & nos infirmi sumus in illo: sed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis.*

Duorum vel trium testimonium sufficiet ad vos convincendos & damnandos. 2. Dixi jam, cùm inter vos essem, & quod dixi, repeto, iisque qui ante peccaverunt, & reliquis omnibus apertè denuntio, me neutiquam cum prævaricatoribus dissimulanter acturum, si ad vos rediero. 3. Eadémne adhuc in sententiâ estis, quam malevolorum suasu de me concepistis, me eloquiô tantùm cordatum esse & vividum, cæterà timidum & vecordem? vultisne, sed vestris ingratiis experimentum sumere potestatis, quam mihi Christus Dominus in animas vestras contulit? Loquitur is in me, illius ore, non meo, cùm sim tantùm instrumentum justitiæ, sententia condemnationis in vos proferetur. Nolite existimare, eum invalidum esse & imbecillem: omnipotens est, terribilis est, neque quidquam ei potest resistere. 4. Mortem quidem oppetiit in cruce imbecillitate quadam naturæ, quod attinet ad illam formam servi, quam accepit, cùm seipsum quodammodo exinanivit, immensæ ta-

tamen divinæ poteſtatis vi revocatus ad ſuperos, vitam vivit immortalem, quæ non amplius obnoxia eſt humanis infirmitatibus, ſed pro dignitate divinæ perſonæ plena eſt vigore, ſplendore & magnificentiâ. Perſimili ratione & nos infirmi quodammodo ſumus unà cum illo, ſed cum eodem tamen vivemus aliquando, idque divinâ virtute ab ipſis pridem jam mortuis cineribus excitati, quod vos minimè fugit, qui hanc fidem Catholicam profitemini. 5. Vos verò periculum, quæſo, facite, nam perceptam fidem eâ, quâ decet, conſtantiâ, & firmitate retineatis, ipſi vosmetipſos explorate, animíque veſtri perluſtrate receſſus, & attendite, num fides veſtra vivida ſit,& præcellentes ſanctimoniæ fructus proferat, & exinde concludite, JEſum Chriſtum habitare & regnare in vobis. Haud dubiè ejus præſentiam perſentiſcitis, niſi fortè vita veſtra graviori peccatô contaminata ſit, atque idcirco, quod omen Deus avertat, aliquo pacto inter eos numerandi ſitis, quos Deus à ſe rejecit. 6. Quòd ſi (proh miſeros vos!) fidem Deo datam non ſervaveritis, oſtendam ſanè, cum in me

5. Vosmetipſos tentate, ſi eſtis in fide, ipſi vos probate. An non cognoſcitis vosmetipſos, quia Chriſtus JEſus in vobis eſt? niſi fortè reprobi eſtis.

6. Spero autem, quòd cognoſcetis, quia nos non ſumus reprobi.

me habitare, méque eâ potestate præditum, quam vobis paulò antè comminatus sum. Vestra pertinacia compellet me ad eam exercendam fortiter, postequam omnem lapidem incassùm movi ad reducendos vos in semitam rectam. 7. Non id ago existimationis meæ & honoris tuendi causâ, sed salutis vestræ & gloriæ Dei gratiâ, quem ex intimis medullis obsecro, ut gratiam vobis uberem largiatur ab omni noxâ vos liberos præstandi, id enim unum in votis habeo, ut homines frugi & probitate conspicui sitis, non autem, ut potestas & auctoritas mihi collata in rigidâ animadversione eluceat: quasi illam exercerem absque sufficienti ratione ac necessitate: 8. quin imò adeo impensè vos diligo, ut modò nullam præbeatis ansam acriùs in vos insurgendi, non admodum curem, me pro homine meticuloso haberi, qui nihil ausit vel possit facere. Sanè si vos reos invenero, non impunè feretis: si verò nihil in vobis pœnâ dignum deprehendero, contra veritatem & fas agerem, si tanquam improbos vellem corripere. 9. Gaudemus profectò, quòd res vestræ ita composi-

7. Oramus autem Deum, ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, sed ut vos, quod bonum est faciatis: nos autem ut reprobi simus.

8. Non enim possumus aliquid adversùs veritatem, sed pro veritate.

9. Gaudemus enim, quoniam nos infirmi su-

tæ

tæ sint, ut nos quodammodo infirmi visi fuerimus, perinde quasi non possemus nostram in sontes auctoritatem exerere, vos econtra firmi ac constantes in probitate fueritis, adeóque nullâ correptione aut suppliciô digni. Id unum assiduis precibûs, & ardentissimis suspiriis quærimus, ut cœlestium charismatum donîs abundetis, ad consequendam absolutam & perfectam vitæ sanctimoniam.
10. Si quæ in epistolis meis acrimonia, eâ utendum censui, ut caveatis à flagitiis reprehensione dignis, néve impœnitentia vestra me obstringat ad exercendam potestatem, quam Dominus mihi contulit non ad destruendum sed ad ædificandum, non ut vos improvisâ mœstitiâ percellam, sed ut solatiô exoptato repleam.
11. Quod superest, fratres, valete, datéque operam, ut omnem perfectionem assequamini. Nihil sit in conscientiâ vestrâ, quod vos redarguat, atque remordeat, ut sanctâ illâ mentis tranquillitate ac pace perfruamini, quæ promulsis est fecilitatis æternæ. Mutuò vos consolamini, sitque una eadémque omnium sententia: opinionum ac studiorum diver-

mus, vos autem potentes estis. Hoc & oramus vestram consummationem.

10. *Ideo hæc absens scribo, ut non præsens duriùs agam, secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem.*

11. *De cætero, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum.*

12. *Salutate invicèm in osculo sancto. Salutant vos omnes sancti.*


13. *Gratia Domini nostri JEsu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritûs sit cum omnibus vobis, Amen.*

versitas pacem vestram non infringat, & Deus charitatis & pacis auctor erit vobiscum. 12. Salutate vos invicem in osculo sancto, nempe ex mundo corde, & ore neutiquam polluto: fideles, qui mecum sunt, vobis pariter salutem dicunt. 13. Ego verò medullitùs precor, ut gratia Domini nostri JEsu Christi, & charitas Dei & communicatio Spiritûs Sancti illuminet & divini amoris incendiô accendat præcordia vestra,

A M E N.



AR-



ARGUMENTUM EPISTOLÆ D. PAULI APOSTOLI *AD* GALATAS.

GAlatia Provincia eſt minoris Aſiæ. Quà Orientem reſpicit, finitimam habet Cappadociam, ab Occidente Bithyniâ, à Meridie Pamphyliâ, à Septentrione Pontô Euxino clauditur. Galli è finibus ſuis olim egreſſi, poſtquam teſte Pauſaniâ Macedoniam & Theſſaliam depopulati ſunt, trajecerunt in Aſiam à Rege Bithyniæ unà cum Græcis in auxilium evocati, & regioni à ſe devictæ nomen primùm Gallogræciæ, poſtmodum Galatiæ impoſuère. Huic porrò nationi Paulus Apoſtolus Evangelii lucem prætulerat non absque fructu prædicationis ſuæ ampliſſimo; cùm verò inde digreſſus pro muneris ſui ratione, alias quoque regiones luſtrare, & cœleſtis

doctrinæ radiis illustrare compelleretur, deferbuit ardor ille pristinus, quo Christi Evangelium à Paulo prædicatum Galatæ complexi fuerant, nimiúmque faciles aures præbuerunt pseudo-Apostolis ex Judæorum gente supervenientibus, passímque spargentibus, observantiam legis Mosaicæ cum Evangelio necessariò conjungendam. Allegabant illis hi sycophantæ exemplum aliorum Apostolorum, qui ritus hosce Judaicos perquàm religiosè custodirent, authoritate ac dignitate Paulo utique longè præferendi tanquam testes oculati & omni exceptione majores, qui Christo Domino convixerant, propriísque auribus ejus prædicationem exceperant, nec non signa admiranda ab eo patrata viderant, cùm Paulus nec cum Christo conversatus, neque ab eo in Apostolorum Collegium cooptatus fuerit, adeóque ejus doctrinam nec satis intelligeret, nec fideliter referret. Ab hoc ergò tam gravi ac periculoso errore ut Apostolus eos, quorum conversioni tantopere insudaverat, maturè revocaret, epistolam hanc exaravit, in quâ copiosè, ac luculenter differit de ritibus antiquæ Legis, nec non de fide ac gratiâ Jesu Christi, cui hominis Justificationem attribuit. Epistola hæc videtur epitome quædam esse Epistolæ ad Romanos inscriptæ, utraque enim eandem doctrinam complectitur, iisdem prope sententiis, rationibus, ac phrasibûs utitur. Hieronymus, Athanasius, Theodoretus Romæ scriptam perhibent; negat Chrysostomus, Baronius & alii, quin conveniant, num Ephesi num alibi in Græciâ scripta.

Cap. 1. Præmissis consuetis salutationibûs acriter invehitur in Galatas, quòd ab Evangelio à se prædicato tam citò deflexerint, & abjectâ fiduciâ, quam omnem in Christo Domino collocare debuerant, eò dementiæ progressi sint,

ſint, ut crederent obſervantiam circumciſionis & aliorum rituum antiquorum neceſſariam eſſe ad perfectam, numerisque omnibus abſolutam Juſtificationem. Tum anathematis fulmen in eos evibrat novatores, qui contraria prædicationi ſuæ dogmata auſint diſſeminare, ne ipſis quidem Angelis aut ſibi ipſi, ſi hoc attentari fors contingeret, per acutam ſpiritúque divino ſuccenſam hyperbolem parcens. Denique certitudinem doctrinæ ſuæ,quam non ab hominibus, ſed ab ipſo immortali Dei Filio per revelationem ſe accepiſſe teſtatur, multis argumentis adſtruit. Addit, ſe tertio à converſione ſuâ annô aſcendiſſe Jeroſolymam ad conferendum cum ipſo Petro Apoſtolo, quocum per quindecim dies ibi commoratus ſit.

Cap. 2. Memorat ſe evolutis ab agnitâ Chriſti fide quatuordecim annis Jeroſolymam rurſus veniſſe, ibíque doctrinam ſuam tribus Apoſtolis Petro, Jacobo, ac Joanni communicâſſe, quam illi approbatione ſuâ per omnia ut integerrimam firmaverint. Suſceperat hanc profectionem Apoſtolus ad componendas tricas ac diſſenſiones Eccleſiæ Antiochenæ circa obſervantiam cæremoniarum legis antiquæ. Judæi enim nuper admodum ad Chriſti Religionem traducti modis omnibus contendebant, eas Chriſtianis etiamnum retinendas, Gentiles verò poſt ejuratum idolorum cultum tam grave jugum aſpernati ſeſe illis ſubmittere recuſabant. Sacri interpretes non ſatis conveniunt, num quatuordecim hi anni, ſub quorum finem ſe Jeroſolymam aſcendiſſe commemorat, computandi ſint à die converſionis ſuæ, an verò à primâ profectione, de quâ priori capite loquitur. Divo Hieronymo poſterior arridet ſententia, priorem verò longè plures amplectuntur majori veritatis apparentiâ. Diverſitas iſthæc

minoris momenti eſt, quàm controverſia illa, quæ geminos Apoſtolorum Principes Petrum & Paulum Antiochiæ colliſit ratione antiquæ Legis rituum. D. Hieronymus ſecutus Græcorum ſententiam opinatur, redargutionem iſtam ſimulatam tantummodò fuiſſe. D. Auguſtinus verò contendit, Petrum Apoſtolum ſeriò & ex merito reprehenſum. Utriusque hac de re Epiſtolas in 2. tom. Oper. D. Auguſtini reperies. Nobis ob argumenti brevitatem non vacat hanc controverſiam diſcutere, quæ peculiarem ſibi locum ac disquiſitionem depoſceret. Sub finem capitis triplici ratione probat Apoſtolus, Juſtificationem noſtram ex ſolâ fide vivâ Chriſti provenire. Prima eſt, quòd Servator noſter aliàs peccati auctor ac Miniſter foret, ſi lex ab eo abolita maculam illius eluere poſſet. Secunda, quòd lex diſponat ad Evangelium, & ipſamet profiteatur, ſe in Chriſto deſinere, ac mori. Tertia, quòd alioqui gratìs Chriſtus mortem oppetiiſſet, ſi homines ex lege juſtitiam gratiámque conſequi poſſènt.

Cap. 3. Ad idem argumentum comprobandum 5. adducit rationes. Inprimis propriam eorum experientiam, quandoquidem non niſi præmiſſâ per baptismum ſanctificatione gratia patrandi mira illis impertita fuerit. Secundò affert in medium Abrahami exemplum, qui ante legis primordia juſtificatus eſt ex fide in Deum. Tertiò oſtendit eos, qui ſub lege gemunt, obnoxios eſſe maledicto, quod ipſa pronuntiat contra ejus transgreſſores, cùm tamen illud per Chriſti mortem ſublatum ſit. Quartò allegat ex prophetâ Abacuc textum, quo pronuntiat juſtum ex fide vivere. Quintò cùm juſtitiæ conſecutio Abrahamo ejúsque poſteris promiſſa ſit, docet eam obtineri per fidem, quam huic pollicitationi adhibent. Denique

nique


nique legem Moysis pædagogo æquiparat, & Israëlitas pueris, quos necesse erat, quà minis, qua promissis in officio contineri, donec ætatem & usum attingerent rationis perfectæ, nempe ad tempus usque à Divinâ providentiâ præfixum pro manifestatione & adventu promissi Messiæ.

Cap. 4. comparat legem tutori, & Israëlitas pupillis sub tutelâ constitutis. Addit Christianos jam esse majorennes, atque adeo, non ampliùs indigere rectore, qui eos corripiat, & ùt servos duriùs habeat, cùm jam adoptati sint in filios Dei. Subin gloriatur de benevolis olim erga se Galatarum studiis, eísque in mentem revocat, quo ardore complexi fuerint Evangelii sui prædicationem, ut eos inconstantiæ suæ pudeat, quòd tam leviter ab eâ resiliant. Priusquàm capiti coronidem imponat, Vetus Testamentum assimilat Agar ancillæ Abrahami, novum verò Saræ conjugi magni hujus Patriarchæ, Judæos Ismaëli, Christianos Isaaco: unde infert, quemadmodum Agar ejecta fuit cum filio suo ex ædibus heri, ita & Veterem Legem eliminatam esse ab Ecclesiâ, ejúsque sponso Christo Servatore, quemadmodum Isaaco tota hæreditas cessit ùt ingenuo filio, ita & novæ Legi obvenisse prærogativas omnes promissionum, quæ factæ sunt per oracula sacrorum Vatum, & demum quemadmodum Ismaël infesto animô persecutus est Isaacum, ita & Judæos insurgere in Christianos odiô ac livore acerbissimo.


Cap. 5. Hortari pergit Galatas ad excutiendum jugum Legis Veteris, ne excidant gratiâ justum reddente, quam fides in Christum charitate animata mentibus inserit tam Gentilium, quàm Judæorum, eósque in libertatem asserit filiorum Dei. Inde factâ digressione, prout assolet, à do-

ctrinâ dogmaticâ ad moralem occaſionem arripit diſſerendi de luctâ carnis contra ſpiritum, & diſcrimine morum à tam oppoſitis principiis ſcaturientium enumerando opera tam carnis quàm ſpiritûs, ut ab illis caveamus quàm diligentiſſimè, his autem inſiſtamus ardentiſſimè.

Cap. 6. Obteſtatur illos, ut adversùs abductos à rectâ ſemitâ, & forſitan relapſos in aliquas noxas & errores cum omni lenitate ac moderatione procedant. Excitat eos ad humanitatis & beneficentiæ officia exhibenda præcipuè domeſticis fidei, Chriſtianis videlicet, propoſitâ remuneratione ampliſſimâ, additóque ſaluberrimo monitô, eos, qui ſe Legis Moſaicæ perquàm religioſos cultores deprædicant, id facere jactantiæ & inanis gloriolæ causâ, quóque ſecuritati ſuæ magìs conſulant adversùs infeſta Judæorum molimina. Demum concludit Epiſtolam adhortatione repetitâ, ut doctrinæ à ſe traditæ firmiùs deinceps inſiſtant, in ejúsque confirmationem poſtremam allegat, & quodammodo exhibet ſtigmata Jeſu Chriſti ſibi impreſſa relictis luculentis cicatricibûs, in quibus tanquam trophæis & regalibus ſignis unicè gloriatur tanquam fortiſſimus pugil, ſéque ex invictâ tot laborum ac perſecutionum tolerantiâ fideliſſimum, atque addictiſſimum Chriſto Domino ſuo ſervum comprobat.



PA-



PARAPHRASIS
IN EPISTOLAM D. PAULI APOSTOLI
AD
GALATAS.
CAPUT I.

1. PAulus Apoſtolus non hominum auctoritate, aut commendatione ad prædicandum Evangelium vocatus, ſed ipſius JEſu Chriſti Domini noſtri Deíque Patris imperiô, qui ipſum à mortuis excitavit vi divinâ ac poteſtate, quam Filio dedit, *omnis enim virtus filii de patre eſt*, verba ſunt S. Ambroſ. in hunc textum, *ut geſta Filii facta ſint Patris, ex quo omnia.*

1. *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per JEſum Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitavit eum à mortuis:*

2. Et qui mecum sunt omnia. omnes fratres, Ecclesiis Galatiæ.

2. Et omnes, qui cum illo sunt (sunt autem quàmplurimi) fratres Ecclesias Galatiæ salvere jubent.

3. Gratia vobis & pax à Deo Patre & Domino nostro Jesu Christo,

3. Gratia vobis & pax non à Moyse, vel Lege, sed à Deo Patre & Domino nostro JEsu Christo.

4. Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam, secundùm voluntatem Dei, & Patris nostri.

4. Qui semetipsum tanquam pretiosam victimam pro expiatione nostrorum delictorum obtulit, atque in eum finem, ut institutâ deinceps sanctiori vitâ à flagitiosi hujus & corruptissimi sæculi moribus, quàm longissimè recedamus, quæ est Dei Patris nostri mittentis hunc nobis salutis deperditæ reparatorem voluntas primaria.

5. Cui est gloria in sæcula sæculorum: Amen.

5. cui sit gloria in omnem æternitatem, Amen.

6. Miror, quòd sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium:

6. Equidem mirari satìs non possum, quòd cùm vobis perseverandum fuerit in fide dogmatum, quæ vobis à me non ita pridem annuntiata sunt, tam facilè in transversum vos abduci patiamini ab his Novatoribus, qui omni studiô inducere vos satagunt ad retinendam observantiam rituum antiquorum, quódque à Deo Patre aversi, qui vos benignissimè vocare dignatus est in notitiam JEsu Christi, & communicationem cœlestium ejus charismatum tam citò transiliatis ad ample-

cten-

ctendum novum Evangelium, quasi aliud ab illo ac præstantius daretur, Christóque addendus sit Moyses, & Evangelio lex cæremonialis.

7. Hæc mutatio adeo inexspectata & exotica est, ut vix in animum inducere queam, eam levitati vestræ unicè imputandam. Simplicitate ac credulitate vestrâ haud dubiè abusi fuerint hi veteratores, fallaciisque suis, quasi tenebris offusis vobis illuserint, ad elevandam ac deprimendam auctoritatem Evangelii JEsu Christi, qui nos servitute Legis exemit. Nolite eos audire, fratres mei, neque patiamini fascinari vos splendido fuco argutiarum, quibûs somnia sua & imposturas contegere student. Omnis innovatio in materiâ religionis plena periculi est, ac cane pejùs & angue fugienda, uti vobis jam sæpiùs insinuavi. 8. Tantùm abest, ut Novatorum istorum oratione commoveri vos oporteat, ut si per conditionem haud possibilem, vel ego ipse, vel angelus quispiam de cœlo veniens quidquam promulgaret, quod perceptæ jam fidei doctrinæque repugnaret, vel non usquequaque conveniret, anathema

7. Quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Christi.

8. Sed licèt nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit.

9. *Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit.*

ma censeri debeat. 9. Ac ne quis existimet, hoc mihi per imprudentiam, aut animi succensi impotentiam temerè excidisse, iterum, iterúmque repeto, quisquis ille fuerit, quocunque demum charactere sive angelico, sive Apostolico glorietur, si quis contraria aut quoquomodo repugnantia prædicaverit iis, quæ accepistis à nobis, non solùm aures ab eo, animósque avertite, sed etiam ùt omni execratione, & anathemate dignum falsarium repellite. Quin imò, si per impossibilem suppositionem Deus ipse revelaret contrarium quid fidei nostræ, quàm jam primò revelavit, primæ ejus revelationi standum esset, non secundæ, quia si revelaret contrarium, mutaretur, adeóque desineret esse Deus, & prima infallibilis veritas, quæ omnia cùm fieri repugnet, illud consequitur, Deum nec per se, nec per alios contrariam priori doctrinam nobis tradere posse.

10. *Modò enim hominibus suadeo, an Deo? An quæro hominibus placere? si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.*

10. Quòd porrò tam liberè tam fidenter antagonistas meos anathemati subjecerim, nolite mirari, cùm enim acceperim à Deo ipso immortali, quæ vobis haud ita pridem annun-

annuntiavi, minimè convenit, ut ea humano angelicóque examini ac trutinæ ſubmittam. Equidem mortalium ſalutem Deíque unius gloriam pro ratione mei officii unicè quæro, an propterea exiſtimatis, me eorum quoque benevolentiam & gratiam aucupari? Præfectò ſi eorum præconia ſtudiáque ambirem ex meâ prædicatione, ſi Judæis gratificari ac placere contenderem, idoneus fidelíſque Chriſti ſervus, qualem me profiteor, neutiquam forem. Veſtrâ quidem ſententia tantæ auctoritatis eſſe non videor, nec eâ fide dignus, qua cæteri Apoſtoli, eò quòd Apoſtolicam dignitatem ac miſſionem oretenus ab ipſo Dei Filio in terris commorante non acceperim, nec ejus diſcipulus fuerim. 11. Ego autem vobis palàm edico, Evangelium quod à me promulgatum eſt, non eſſe ejuſmodi, quale vobis obtrectatores mei deſcripſerunt, inventum videlicet meum, aut hominis cujuspiam auctoritate ſubnixum, 12. cùm illud divinitùs acceperim ab ipſo cœli terræque domino, tunc ſcilicet, cùm ab eo raptus ſum in tertium cœlum. 13.

11. *Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundùm hominem:*

12. *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti.*

13. *Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo: quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam.*

14. *Et proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantiùs æmulator existens paternarum mearum traditionum.*

15. *Cùm autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam,*

16. *Ut revelaret filium suum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus: continuò non acquievi carni & sanguini.*

17. *Neque veni Jerosolymam ad antecessi-*

13. Equidem non ignoratis, pristinam meam agendi rationem, cùm adhuc legi Judæorum addictus viverem. Zelô præfervido planéque cœco persequebar Ecclesiam Dei instar ferocis bestiæ in ejus exitium ruens, 14. & inter ætatis meæ contemporaneos ac contribules, æmulatione paternarum traditionum exardescens, primas mihi partes deposcebam insectandis Christi fidelibus. 15. Ubi autem Deo immortali, qui me ab æterno necdum natum, adeóque & ante omne meritum gratuitâ bonitate secrevit in peculiare gloriæ suæ propagandæ instrumentum, ubi, inquam, illi placuit mihi revelare filium suum, non tantùm ut illum ipse cognoscerem, sed etiam Gentibus annuntiarem, 16. statim voluntatem meam divinæ submisi eâ animi firmitate ac constantiâ, ut quidquid rationis humanæ sagacitas in contrarium suaderet pericula ob oculos repræsentans, quibus me exponerem, mala gravissima mihi subeunda, si doctrinam invisam palàm exponerem, id omne flocci facerem. 17. Jerosolymam tamen me non contuli

tuli ad invisendos eos, qui ante me ad Apostolatum vocati fuerant, quippe qui judicarem haud quaquam convenire, ut ab hominibus paulatim discerem, quod ab ipsâ æternâ veritate absque ullo studio ac defatigatione momentô quasi hauseram, sed in Arabiam profectus sum, ac denuo Damascum reversus.
18. Non diffiteor, me Jerosolymam pôst excurrisse, ad visendum Petrum, quocum etiam ibi per 14. dies commoratus sum: hanc autem profectionem honoris illi potiùs, quem semper plurimi feci, tanquam Apostolorum Principem, & Ecclesiæ universalis pastorem, deferendi gratiâ suscepi, quàm ut intra tam angustum temporis spatium ab eo instruerer, aut si quâ re errâssem, corrigerer, quippe qui jam tres integros annos Evangelio prædicando operam dederam.
19. Alium autem ex Apostolis, à quo erudiri institui-que possem, vidi neminem, nisi Jacobum Christi consobrinum.
20. Testor autem Deum, me nihil horum, quæ scribo, fingere, aut supra verum extollere.
21. Postea verò viso Petro secessi in regiones Syriæ,

res meos Apostolos: sed abii in Arabiam: & iterum reversus sum Damascum:

18. *Deinde post annos tres veni Jerosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebûs quindec*

19. *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.*

20. *Quæ autem scribo vobis; ecce coram Deo, quia non mentior.*

21. *Deinde veni in partes Syriæ & Ciliciæ.*

22. *Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judeæ, quæ erant in Christo:*	Syriæ, Ciliciæque. 22. Ut adeo Christianis Ecclesiis Judææ ne de facie quidem notus fuerim.
23. *Tantum autem auditum habebant: quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat:*	23. Hic tantùm rumor in eâ provinciâ de me increbuerat, eum, qui aliquando sibi honori duxerat Christi fidem professos divexare, atque insectari, nunc mutato consiliô eorum Apostolum agere, strenuúmque propugnatorem doctrinæ, quam antea penitus abolitam, eversámque percupiebat.
24. *Et in me clarificabant Deum.*	24. Quod eos impulit ad adoranda divinæ providentiæ consilia, & bonorum omnium largitori Deo, quantas maximas poterant gratias, laudésque referendas.

PARAPHRASIS

CAP. II.

1. *Deinde post annos 14. iterum ascendi Jerosolymam cum Barnabâ, assumpto & Tito.*	1. Postquam lumine veræ fidei collustratus fueram, fluxère quatuordecim anni, cùm denuo Jerosolymam ascendi assumpto mecum Barnabâ & Tito.
2. *Ascendi autem secundùm revelationem: & contuli cum illis Evan-*	2. Ascendi autem non temerè, aut humano tantùm consiliô, sed divinâ revelatione

tione ad id compulsus, & seorsim ac privatos inter parietes doctrinam, quam palàm prædico, contuli cum Apostolis, qui inter cæteros eminent, non quòd ullus mihi scrupulus circa ullum etiam levissimum punctum inhæreret, aut quòd instructione, ac directione aliquâ indigere me crederem, sed ut alii quidam ampliorem ex prædicatione meâ colligerent fructum, qui nempe majoris securitatis causâ sibi ad oculum demonstrari percupiebant, Evangelium meum, quod annuntiaveram, omnino convenire cum doctrinâ aliorum Apostolorum, nullámque reperiri posse dissonantiam. 3. Quidquid autem non pauci rationum adducerent, urgeréntque, nunquam induci potui, ut Titum natione Græcum circumcidi permitterem, 4. sed constanter restiti ad defendendam libertatem ac veritatem Evangelii, & retundendam illam ipsam quorumdam novatorum ac falsorum fratrum væsanam temeritatem; qui sese blandè ac subdolè insinuando irrepserant ad explorandam mentem nostram circa libertatem, in quam Christi beneficiô asserti sumus,

gelium, quod prædico in Gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse: ne fortè in vacuum currerem aut cucurrissem.

3. Sed neque Titus, qui mecum erat, cùm esset gentilis, compulsus est circumcidi:

4. Sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent.

5. Quibus neque ad horam cessimus subjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos:

6. Ab iis autem, qui videbantur esse aliquid (quales aliquando fuerint nihil meâ interest. Deus personam hominis non accipit) mihi enim, qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt.

7. Sed econtrà cùm vidissent, quòd creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis:

mus, & à gravissimo legis jugo subducti, ut quantùm in ipsis erat, nos rursus in eandem miseram servitutem adigerent. 5. Quibus ne ad momentum quidem cessimus, sed operam dedimus, ut excusso semel servitutis jugô veritas Evangelicæ doctrinæ integra, atque illibata permaneret, nulláque vobis præberetur occasio à recto tramite declinandi. 6. Eò temeritatis quidem progressus non sum, ut mihi sententiam ferendi libertatem arrogem, num qui inter Apostolos præfulgent, rectè, aut perperàm egerint, antiquorum rituum observationem fidelibus recèns conversis indulgendo. Deus, cui nihil absconditum, quíque hominum personas ac conditiones non respicit, quicunque illi demum sint, ille est, cui tanquam supremo Judici ab ipsis sui muneris reddenda ratio, quíque solus perbenè novit, quid facere eos decuerit. Neque ad illud reflecto, quales fuerint, antequam ex abjectâ vilíque piscatorum sorte ad Apostolicam dignitatem à Christo Domino eveherentur. 7. Hoc unum assero, eos nullo mihi adjumentô fuisse, instruendo videlicet,

licet, aut consilia suggerendo, neque tamen in meâ doctrinâ quidquam carpere, aut reprehendere potuisse. 8. Quin potiùs, cùm planè cognovissent, munus prædicandi Evangelii inter Gentes mihi divinitus concreditum fuisse, non minùs, quàm Petro inter Judæos: qui enim Petrum ad Apostolatûs fastigium evexit inter Judæos, me utique potuit ad idem munus inter Gentes assumere, virésque, atque talenta necessaria impertiri, utì reipsâ fecit. 9. Cùm, inquam, divina ad hoc officium collata munera percepissent, Cephas, Jacobus & Joannes columnæ nempe Ecclesiæ, sociales mihi ac Barnabæ dedere dexteras, ac summâ doctrinæ, animorúmique consensione ita inter nos convenit, ut nos inter Gentes, illi autem inter circumcisos Apostolatu fungerentur, quin ullam nobis legem, aut methodum docendi præscriberent. 10. Id unum monuerunt, atque rogarunt, ut memores essemus pauperum, quod equidem summâ, quâ potuimus, diligentiâ & charitate perficere studuimus. 11. Quamvis autem rebus ita compositis concordes discesserimus, ac Cepham

8. (*Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes.*)

9. *Et cùm cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis: ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem:*

10. *Tantùm ut pauperum memores essemus: quòd etiam sollicitus fui hoc ipsum facere.*

11. *Cùm autem venisset Cephas Antiochi-*

(C)

am, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.

Cepham præ aliis magnopere suspexerim, quemadmodum jam insinuavi, prævalente tamen salutis vestræ curâ cuicunque affectui ac considerationi privatæ, cùm is Antiochiam postmodum venisset, non potui mihi temperare, quin publicè eum redarguerem, & quidem ex merito.

12. *Priùs enim, quàm venirent quidam à Jacobo, cum Gentibus edebat, cùm autem venissent, subtrahebat, & segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant.*

12. Controversia ac contestatio suborta tanquam inexspectata vos attonitos habebit, ut porrò omnem scrupulum & admirationem vobis eximam, necessàrium esse censeo, facti speciem candidè ac simpliciter exponere, ne me jure arguatis præfervidi zeli, aut correptionis parùm discretæ. Cephas igitur tum temporis Antiochiæ degebat, & cum Gentibus, non raró absque discrimine ciborum liberè palámque vescebatur, ubi verò nonnulli Judæi à Jacobo Jerosolymorum Episcopo submissi advenêre, extemplò mutatâ vivendi ratione se ab eorum mensis & convictu clàm subtraxit, veritus, ne eos exemplô offenderet, qui erant ex Judæorum gente & exacerbari potuissent, si illum ea minimè curare animadverterent, quæ ipsis ex

ex diuturnâ & religiosâ legis suæ assuetudine horrori & abminationi erant. 13. Qua auctoritate permoti reliqui ferme omnes eâdem vivendi arte utebantur usque eò, ut ipse etiam Barnabas in ejusdem consilii ac simulationis societatem pertraheretur ita se gerendo, quasi Judæi præferendi essent Gentibus conversis, legísque veteris observantia etiamnum ad salutem esset necessaria. 14. Ego verò cùm advertérem præposteram hanc agendi rationem, quæ veritati & libertati Evangelii non parùm officere poterat, justâ indignatione commotus Petrum coram omnibus hisce ferme verbis allocutus sum: si cùm ipse Judæus sis, non ex Judæorum præcepto aut instituto vixisti, antequam hi fratres Jerosolymis advenissent, cur modò Gentes, quæ nunquam legis jugum subierant, compellis exemplô tuo, ut judaicos ritus & ceremonias colant, quibus tu priùs, ùt non ampliùs necessariis renunciaveras amplexus legem gratiæ divinitus nobis annuntiatam? 15. Nos quidem etiam ortu ac origine Judæi sumus, non autem ex progenitoribus nefando idolorum cultui

13. Et simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.

14. Sed cùm vidissem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: si tu cùm Judæus sis, gentiliter vivis, & non judaicè quomodo Gentes cogis judaizare?

15. Nos naturâ Judæi, & non ex Gentibus peccatores.

cultui deditis, quare nemo vestrûm me juro suspectum habeat, quasi Patrum meorum legem ingratus & perfidus apostata contemnerem.

16. Scientes autem, quòd non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi: & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro.

17. Quòd si quærentes justificari in Christo, inventi sumus & ipsi peccatores, numquid Christus peccati minister est? Absit.

16. Sed & illud me minimè latet, eam nunc esse abolitam,& hominem modò non justificari ex operibus legis, sed per unam JEsu Christi fidem, illam enim deservimus, ut in JEsum Christum crederemus, justique efficeremur per firmissimam fidem dogmatis ab ipso annuntiatis habitam,cùm opera legis nullam ex se vim habeant ad nos ab omni culpâ liberandos. 17. Quòd si repudiatâ absolutè lege & collocatâ in fide JEsu Christi omni fiduciâ adhuc peccatis inquinati maneremus, nisi circumcisionis beneficiô lustremur, manifestè inde consequitur, eam fidem, quâ Christo conjungimur, ipsúmque adeo Christum peccati potiùs auctorem esse ac Ministrum, quàm ut illud tollat, abrogando videlicet legem, quæ sola secundùm vos justificat, quòd cùm absque horrore concipi nequeat, absit, ut hoc vel sentiamus ipsi, ac doceamus.

18. Si enim quæ destruxi, iterum ædifico: prævaricatorem me constituo.

18. Ad me quod attinet, si ego, qui legem ejúsque cæremonias jam pridem deserui,

eas

eas iterum revocandas & ſervandas ſtatuerem, nunquid mihi ipſi contradicerem, magnóque me ſcelere obſtringerem legem nunc præcipiendo, quam Deus abolitam vult, vel hactenus obſtrinxiſſem negligendo ejus obſervantiam. At verò nequaquam me reum profiteor eam infringendo, quin imò feci, quod debui propalando paſſim, eam non ampliùs neceſſariam. 19. Etenim, ſi verum fatendum ſit, per ipſam legem, quæ ritè intellecta docet & oſtendit, Chriſtum tanquam promiſſum Meſſiam eſſe ſcopum legis, & complementum figurarum, ipſi legi mortuus ſum, indéque quaſi ab arbore veteri reſectus, ut ligno crucis quaſi novus ſurculus inſertus, ut inde novam vitam & ſuccum optatiſſimum gratiæ hauriam, atque ita Deo vivam. 20. Itaque non ipſe jam per memet vivo, qui antea eram veteri homini conformatus, mortiſque pabulum, ſed vivit in me Chriſtus, qui me unà ſecum cruci affixum novo ſpiritu animat, mentis tenebras diſcutit, innumeriſque me cœleſtibus donis atque favoribûs cumulat. Huic fidei in ipſum tanquam Dei omnipotentis di-

19. *Ego enim per legem, legi mortuus ſum, ut Deo vivam: Chriſto confixus ſum cruci.*

20. *Vivo autem, jam non ego: vivit verò in me Chriſtus. Quòd autem nunc vivo in carne: in fide vivo filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.*

dilectiſſimum filium, qui ſemetipſum æterno Patri pro me tradidit, hoſtiam videlicet & victimam, ad expianda mea ſcelera, non autem legi Moſaicæ debeo, quòd vitam nunc longè aliam, & ab omni flagitio alienam ducam. Indignum me ſanè reddideram tam ſingulari gratiâ, & quemadmodum illam non promerui, ut acciperem, ita pro acceptâ pares grates rependere non valeo.

21. *Non abjicio gratiam Dei. Si enim per legem juſtitia, ergò gratìs Chriſtus mortuus eſt.*

21. Ne autem me penitus ingratum vel immemorem exhibeam, omnem operam illi conſervandæ impendo, tantúmque ei defero, ut legis auxilium nullâ ratione ad juſtificationem requiram. Profectò ſi legi tanta vis ineſſet ad nos in gratiam Dei aſſumendos, fruſtra Chriſtus pro nobis mortem oppetiiſſet. Quis autem adeo væſanus ſit atque impius, ut aſſerere auſit, tot opprobria, quæ pertulit, tot mira, quæ patravit, tot vulnera, quæ excepit, tot cruciatuum genera, quæ ſuſtinuit, mortémque ipſam acerbiſſimam nihil omnino nobis ad ſalutem contuliſſe? ergò jure quàm optimo licebit concludere, eam nobis non à Moyſe, ſed à Chriſto, non ex lege, ſed ex fide contingere.

PARA-

PARAPHRASIS

CAP. III.

1. Fierine potest, ô stolidi & amentes Galatæ, ut veritates adeo liquidas ac perspicuas, quæ menti vestræ jam altè insederant, in dubium nunc revocetis. Ignoscite mihi, quòd acriori hoc dicendi genere utar: justus, ísque gravissimus dolor, quem concepi considerando tam fœdos crassósque errores, in quos heu miserè prolapsi estis aliorum haud dubiè impulsu, me compulit ad hanc, uti vobis fortasse videbitur, duriusculam correptionem, hoc enim rerum articulo exitialis vobis esset omnis dissimulatio ac lenitas, mihíque verteretur non abs re crimini. Quibûsnam, obsecro præstigiis fascinísque delusi estis, quorum oculis animísque non ita pridem prædicatione meâ ad vivum quodammodo propositus est Christus Dominus cruci affixus, suisque lineamentis ac coloribûs ita expressûs, ut non minorem tanto mysterio fidem

1. *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus?*

dem ac reverentiam affectu tenerrimo plenam habueritis, quàm si præsentes in monte calvariæ vidissetis hunc Dei filium inter acerbissimos dolores, gentisque perfidæ convitia pro salute vestrâ in cruce pendentem ac morientem.

2. *Hoc solùm à vobis volo discere: ex operibus legis, spiritum accepistis, an ex auditu fidei?*

2. Nolo prolixiori & subtiliori rationum copiâ vobiscum agere ad exaggerandam & exprobrandam palmarem vestram dementiam: id unum à vobis sciscitari libet, num ex observantiâ & vi præceptorum legalium, an verò ex fide, quæ auditione sacri Evangelii in vobis radices egerat, effusa in vos divini spiritûs charismata perceperitis, non ex lege, accepistis enim illa, priusquam vel sciretis, quid lex Mosaica sibi vellet, vel ejus jugo vos subjeceritis, ergò ex fide, imprudenter itaque agitis, quòd à Christi fide ad legem Moysis transilire intenditis.

3. *Sic stulti estis, ut cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini?*

3. Adeóne rudes & stupidi estis, ut cùm rectus ordo postulet à carne ad spiritum progrediendum esse, vos econtrà, postquam fide, obedientiâ cæterísque spiritualibus præsidiis fulti Evangélicæ doctrinæ assensum præbuistis, nunc quasi illa non abundè

suffi-

sufficerent, à pseudo-apostolis vos induci patiamini ad carnales & externas legis ceremonias tanquam ultimum perfectionis complementum, quod sanè nihil aliud est, quàm omnem ordinem invertere, & orto jam sole lucernam quærere, ac post solidum cibum infantium more lac denuo appetere vel denique quintam in curru rotam superinducere. 4. Si res ita se habet, an non vos miseros dicam, qui pro fide Christi tanta perpessi estis & quidem absque omni merito & fructu? sed absit. Meliora spero: non absque causâ & incassùm tot adversa constanter pertulistis, Deus, cujus amore hæc omnia præstitistis, remunerabitur & compensabit non absque fœnore & abundè omnia, modò pœnitentiâ ducti revocato gradu fidem Evangelio à me prædicato firmissimam præbeatis rejectis ùt modò supervacaneis ritibûs Mosaicis. 5. Repeto dicta, ac denuo vos hortor, ut per seriam reflexionem etiam atque etiam consideretis, num Deus immortalis, qui vobis Spiritum sanctum, ejúsque divina munera impertiit unà cum facultate tot mira patrandi, hæc omnia

4. Tanta passi estis sine causâ? si tamen sine causâ.

5. Qui ergò tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei?

nia vobis præstiterit intuitu legis, an non potiùs ex fide divini verbi auditione perceptâ, & præstitâ doctrinæ Evangelicæ observantiâ? prius dici non potest, quandoquidem lex erat tunc vobis incognita, restat igitur, ut fidem gratiæ Christi tantorum in vobis bonorum causam agnoscatis, à quâ proinde ad legem minimè transferri debuistis. Hæc sola ratio vos deberet convincere, & omnem excludere replicam.

6. Sicut scriptum est: Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad justitiam.

6. At verò, quò veritatem hanc magìs magísque stabiliam, exemplum vobis proferam ;suspectum minimè. Abraham cujus vel solum nomen vobis venerationi est, justus erat, lex tamen sat longo ab ipsius obitu tempore postmodum promulgata est, ergò nulla legis necessitas ad justitiam: unde ergò, rogabitis me, illam consecutus est? respondet pro me sacra pagina, ex fide, quam divinis promissionibus habuit, fateris ergò necesse est, id uni fidei acceptum referendum.

7. Cognoscite ergò, quia, qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ.

7. Qui vos persuasos volunt legem Christianam unà cum Mosaicâ copulandam & perdiligenter observandam, Abrahamo ut patre magnificè glorientur, scitote autem, qui eandem cum

cum ipso fidem sectantur, ad legitimam ejus prolem ac posteritatem pertinere, spiritualem videlicet non generatione, sed imitatione, ac proin eos respicere benedictionem, justitiam, & salutem Abrahæ promissam. 8. Porrò Spiritus S. primarius sacrarum litterarum auctor omnia lustrans, ac suâ divinâ luce complens, cùm prævidisset fore aliquando, ut cuncti mortales fide justificentur, id multò ante Abrahæ prænuntiavit, gentes omnes pari cum ipso fide benedicendas ac justificandas. 9. Quemadmodum igitur is magnam apud Deum iniit gratiam fidem præstando pollicitationibus sibi à Deo factis, ita nos ejusdem benedictionis ac gratiæ erimus participes, si hanc ejus fidem sedulâ imitatione complectemur, & quemadmodum is non ex operibus legis, utpote longè posterioris justitiam consecutus est, ita longè à veritate aberrabimus, si ex illis nos eam adepturos existimabimus. Reponetis forsan, legem necdum tunc temporis extitisse, adeóque ab illo servari non potuisse. 10. Respondeo, tametsi eâ tempestate necdum lata fuerit, abolitam tamen nunc esse, tantúmque ab esse,

8. *Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat Gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ: quia benedicentur in te omnes Gentes.*

9. *Igitur, qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.*

10. *Quicunque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scrip-*

tum est enim: maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.

esse, ut ex illâ benedictionem sperare possimus, ut potiùs execrationi sint obnoxii, quicunque tantum efficaciæ illi tribuunt: intelligunt quidem ex illâ, quid prohibeatur, & minimè liceat, at verò præsidia necessaria ad ejus integram observationem neutiquam suppeditat. Dura est, & inflexibilis, & quando de suis transgressoribus loquitur, hisce utitur satis asperis & minacibus terminis: maledictus omnis, qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea, atqui experientia manifesta demonstrat, eos qui sub lege sunt, seclusâ fide & gratiâ Christi legem passim violare, igitur & maledicto subjacent.

11. *Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est: quia justus ex fide vivit.*

11. Quòd si exemplum hoc Abrahami non videtur ad rem & appositè propositum, eò quòd vixerit ante legis promulgationem, idipsum alio irrefragabili argumentô comprobabo. Abacuc legi subjectus erat, & prophetico spiritu clarus, hoc teste justus ex fide vivit.

12. *Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea, vivet in illis.*

12. Jam verò opera legis haud itaque sunt opera fidei, cùm nihil cœleste ac sempiternum indicare videantur, quod est proprium fidei, neque immortalem beatám-

beatámque vitam, de qua nobis ſermo, per ſe afferre valeat, adeóque nec veram juſtitiam, cùm iſta ſibi mutuò cohæreant. Quòd ſi audieritis, eos, qui præcepta legis ſanctè cuſtodiunt, vitam conſecuturos vi hujus obſervantiæ, id non aliter accipiendum eſt, quàm eos à morte præmaturâ ſervandos, quam incurrunt horum præceptorum transgreſſores, boníſque temporalibûs, dum in hoc ſæculo degunt, cumulandos. Erunt fortaſſis, qui replicent, ſi hæc ita ſe habent, & lex execrationibûs abundat, nec benedictio ab eâ ſperanda, nos ergò, qui eam profeſſi ſumus optimâ mente, maledicto, adeóque æternæ damnationi ſubjacemus.

13. Repono ſublatum eſſe hoc maledictum, quod à nobis incurrendum erat, & evitari non poterat, per mortem Chriſti Domini Servatoris noſtri, tam ardenti enim amore nos complexus eſt, ut in ſe ſuſceperit perſonam peccatorum, & fidejuſſione præſtitâ pro expiandis noxis omnibus totius generis humani ſeipſum in metam & objectum ſtatuerit omnis execrationis, quam Deus in ipſum quodammodo trans-

13. Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia ſcriptum eſt: maledictus omnis, qui pendet in ligno:

tranſpoſuit, ut videlicet pro nobis in cruce infame & execrabile mortis ſupplicium ſubiret, juxta illa verba: maledictus omnis, qui pendet in ligno, ídque tum ad oſtendendam peccati enormitatem omni execratione dignam, tum ad manifeſtandam amoris ſui magnitudinem. Cruentum porrò hoc ſacrificium non tantùm pœnas ac maledictiones omnes ſuſtulit, quibus eratis obnoxii, 14. ſed etiam oblatum fuit ad accelerandas gratias favoréſque cœleſtes, quos nondum acceperatis, ad derivandas & effundendas in populos benedictiones, quæ illis promiſſæ erant in ſemine Abrahæ, nempe per JEſum Chriſtum, & ad conſequendum mediante fide Spiritum Sanctum tantopere ſuſpiratum, ac tamdiu exſpectatum. Nempe, ut olim Moyſes ſerpentem illum æneum fabrefecit, atque in altum ſuſtulit, ut ſpectatus à ſauciis illis ſalutem afferret, ita Chriſtus voluntate patris in crucem ſublatus eſt, ut omnium mortalium ſcelera atque flagitia expiaret, ac veluti animi vulnera curaret, ſed quemadmodum neceſſe erat ſaucios in illum ſerpentem oculos defigere, ut

14. *Ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto JEſu, ut pollicitationem Spiritûs accipiamus per fidem.*

ut salutem consequerentur, ita nos omnes Christum veluti fidei oculô spectare oportet, ut sempiternam salutem adipiscamur. Atque hac ratione primò exempti fuimus maledicto per mortem Christi Domini, tum fidem concepimus, quæ nos benedictione & gratiâ justificante beavit, denique mentes ita ritè dispositas Divini spiritûs charismata fluminis instar uberrimè inundârunt. 15. Hactenus, fratres mei, tum exempla vobis attuli ex sacris desumpta paginis, tum rationes sublimioris indaginis, nunc ut vestræ imbecillitati me attemperem, majoríque me claritate vobis explicem, popularia vobis, captúque faciliora argumenta proponam. Si quis testamentum suum condidit cum omnibus solennitatibus de jure requisitis, necesse est illud executioni mandari, neque pro libitu rescindi potest, neque immutari addendo aliquid demendo, tametsi hominis duntaxat mortalis sit voluntas suprema. 16. Jam verò Deus immortalis & immutabilis, testamentum pactúmque condidit, quando Abrahamo pollicitus est, gentes omnes in ejus semine benedicendas, ubi

15. *Fratres (secundùm hominem dico) tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat.*

16. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit: & seminibus quasi in multis: sed quasi in uno: &*

ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.

ubi notetis velim, eum non dixiſſe, in ejus ſeminibus, nempe liberis quibuscunque, ſed in tuo ſemine, ut denotaret, ſe tantùm loqui de uno ejus filio, nempe JEſu Chriſto.

17. *Hoc autem dico teſtamentum confirmatum à Deo, quæ poſt 430. annos facta eſt lex, non irritum facit ad evacuandam promiſſionem.*

17. Quare fidenter pronuntio, legem Moyſi, quæ 430. annis à tempore hujus teſtamenti ſupervenit, non poſſe illud reſcindere, & promiſſa nobis facta per Chriſtum adimplenda infringere.

18. *Nam ſi ex lege hæreditas, jam non ex promiſſione. Abrahæ autem per repromiſſionem donavit Deus.*

18. Atqui infringitur vel vitiatur hoc pactum, ſi per legem præſtantur benedictiones omnes Abrahamo, & in ejus perſonâ JEſu Chriſto promiſſæ, ſique obſervatione præceptorum legalium juſtitiam conſequimur. Si enim hæreditas per legem obtinetur, deſinit eſſe fructus & effectus promiſſionum. Itaque qui vobis hujusmodi impoſturas ùt fide dignas obtrudunt, impii ſunt & ſacrilegi, quòd tanti non faciant ſupremam Dei immutabilis voluntatem, quàm homuncionis, qui in fraudem facilè inducitur.

19. *Quid igitur lex? propter trangreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſerat, ordinata per angelos in manu mediatoris.*

19. Quandoquidem lex (dicet aliquis) nihil prodeſt, neque ullam vim habet ad nos Deo conciliandos, & ùt benedictos hæredes inſtituendos, quorſum illam fuiſſe latam

tam putamus, cui bono? Responsio facilis est. Lex hominibus data est, ut exinde agnoscerent, quàm gravibus flagitiis se non rarò contaminent, dum existimant, se ùt plurimùm nihil perperàm agere, tum ut inde cautiores redditi declinent à semitâ iniquitatis, tum ut pro merito & ratione violatæ legis castigentur, tum denique, ut considerando tantam suam imbecillitatem deposito fastu confundantur, & fateantur se Christi gratiâ tanquam potentiori remedio & auxiliô indigere tum ad eam ritè adimplendam, tum ad se conservandos in perfectâ vitæ integritate. Hoc fuit propositum legem statuentis, ut alias ejus prærogativas prætercam, quæ eam veneratione dignam efficiunt, siquidem angelorum ministeriô Moysi allata est tanquam mediatori, qui eam subin populo promulgavit, ut ei pro Medico & pædagogo interea serviret, donec JEsus Christus è cœlo descenderet, suáque nativitate omnes gratias, quas hominibus promiserat, liberalissimè in eos effunderet. 20. Si Moyses internuntium agebat inter Deum & Israëlitas, JEsus Christus eodem officio

20. Mediator autem unius non est: Deus autem unus est.

(E)

ficio fungitur inter Deum & omnes mortales, mediatoris ſcilicet inter Patrem ſuum cœleſtem, & homines in terris degentes, hoc enim Perſonam denotat conſtitutam inter alias duas ad eas reconciliandas; cùm autem Deus ſit unicus, repugnare ſibi aut Filio haudquaquam poteſt, inter ipſum ergò & nos litem ſuſcitatam eſſe neceſſe eſt, adeóque & Mediatorem noſtrum naturam utriusque litigantis in ſe habere, ut utrumque mutuò reconciliet, quà Deus mediatoris auctoritatem ac dignitatem præſtando, quà homo mediatoris opera, paſſiones, & merita exercendo.

21. *Lex ergò adversùs promiſſa Dei? Abſit. Si enim data eſſet lex, quæ poſſet vivificare, verè ex lege eſſet juſtitia.*

21. Ut adeo nefas ſit exiſtimare, legem primi mediatoris oppoſitam eſſe & contrariam pollicitationibus factis perſonæ longè præcellentiori ſecundi mediatoris, quódque Deus, qui per Moyſen ſervum ſuum eam promulgari voluit ad aliquod tempus ſervandam, eam abrogare nequeat per Filium ſuum Servatorem noſtrum, quandocunque ei libuerit. Profectò ſi Judæis data fuiſſet ejusmodi lex, quæ vi ſuâ nos Deo conciliaret, & vitam gratiæ, & ſeminis Abrahæ benedictio-

tionem largiretur, illud cogeremus admittere, antiquatâ priori pactione, quæ Abrahæ facta se ad omnes nationes extendebat, novum initum esse legis fœdus, vi cujus per ipsius legis opera justitiam assequeremur. At verò oppositum longè certissimum est, illam tantâ virtute non essè præditam. 22. Omnes planè divinæ litteræ cunctos mortales peccato (nempe universim & præcipuè originali) essè obnoxios docent, adeóque illa ipsa lex, ut mera illa præcepta continet gratiæ præsidiô destituta, peccatum non tollere, sed indicare solùm,& omnia ejus quodammodo laqueis involvere, & implicare potest, ne in vanum gloriemur, & fiduciam nostram frustra collocemus in operibus & viribus propriis, sed potiùs liberationem à servili jugo, ac justificationem nostram exspectemus per fidem vivam tanquam medium à Deo nobis præfixum ad percipiendum fructum amplissimarum promissionum, quæ nobis in sacratissimâ personâ filii sui factæ sunt. Nempe, quemadmodum duplici ratione lex propter transgressiones posita

22. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.

posita est, (nam aut eas nescientibus commonstrat, aut per occasionem, & præter intentionem legislatoris, insuper auget) ita duplici ratione ducit ad Christum. Cùm enim monstrat trangressiones, quasi morbum operiens medicum, à quo curetur, quærendum docet, cùm verò per ipsam etiam augetur transgressio, quasi morbo crescente, qui curandus erat, tum suam illa manifestè probat impotentiam, itaque jam multò magìs simul & morbi demonstratione, & impotentiæ suæ professione mittit infirmum ad verum medicum Christum.

23. Priùs autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat.

23. Priusquam fides nobis illucesceret, eramus quodammodo conclusi intra fines præceptorum legalium velut aggeres, quos transilire haud liceret, quíque obstabant, ne in manifesta crimina, quæ prohibebat, gentium more prolaberemur, metu scilicet pœnarum coërciti, atque hac ratione mirâ quadam Dei providentiâ paulatim tanquam servos nos disponebant ad recipiendam fidem nobis suo tempore per Christi ejúsque Apostolorum prædicationem revelandam, atque ita consequendam libertatem filiorum

rum Dei. 24. Lex itaque pædagogi officiô fungitur, qui nos docet agnoſcere & ſollicitè inquirere verum Meſſiam à tot ſæculis jam nobis promiſſum. Pueris, qui necdum ſibi regendis ſoli ſufficiunt, datur præceptor, ut ſi ignorantia aut ætatis immaturitas eos ad crimen quoddam impelleret, ab eo cohibeantur metu pœnæ, quamprimùm verò adoleverunt, removetur ille, utpote non ampliùs neceſſarius. Simili prope agendi ratione uſus eſt cum Judæis, conſiderans enim, quòd rationis ductum minimè ſequerentur, ſed belluarum more carnis ſenſuúmque illecebris frœna omnia laxarent, legem illis per Moyſen impoſuit, quæ inſtar auſteri rigidíque pædagogi metu ferulæ quodammodo illos à flagitiis cohiberet, ſpéque temporalium præmiorum ad obſervationem qualemcunque præceptorum excitaret. 25. Jam verò ubi fides in JEſum Chriſtum, ex quâ tanquam radice juſtitiam & gratiam conſequimur, ad quam etiam omnes hæ ceremoniæ, comminationes, atque præcepta viam ſtraverant, ſeſe ipſa prodidit, antiquata eſt lex, neque ampliùs

24. Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur.

25. At ubi venit fides, iam non ſumus ſub pædagogo.

amplius indigemus tali pædagogô, aut minis hiſce ac terroribûs concutimur, ſed peccati legíſque ſervitute liberati aſſerimur in liberta-

26. Omnes enim filii Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto JEſu.

tem filiorum 26. Dei per fidem in Chriſto JEſu, non ſolùm Judæi, qui legis pædagogiam ſubivimus, quàm gentiles, qui nullo pædago-

27. Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.

gô uſi ſunt, 27. quicunque enim Chriſti auſpiciis, & ut ejus participes fieretis, baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, ejúſque divinâ gratiâ copiosè perfuſi, & exuto veteri homine mirâ quadam ſimilitudine velut transformati eſtis in Chriſtum novum hominem, ut ſicut Chriſtus Dei filius eſt per naturam, ita & vos filii Dei ſitis per gratiam & adoptio-

28. Non eſt Judæus, neque Græcus: non eſt ſervus, neque liber: non eſt maſculus neque fœmina. Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto JEſu.

nem. 28. nullo penitus gentis, ſanguinis, aut ſexûs diſcrimine, cùm neque Judæi, neque Græci, neque ſervi, neque liberi, neque denique maris aut fœminæ diverſa apud Deum in negotio ſalutis habeatur ratio, ſed omnes in Chriſtum JEſum tanquam membra unius corporis myſtici ſub eodem capite coaluiſtis, à quo etiam unum eundémque ſpiritum ac vigorem accipitis, & fidei & charitatis. 29.

29. Si autem vos Chriſti: ergò ſemen

Quòd ſi vos Galatæ licèt gentiles ad Chri-

Christum ejúsque corpus perinde ùt alii pertinetis, profectò Abrahæ semen estis, adeóque vi factæ promissionis hæredes, semen, inquam, si non origine naturæ, æmulatione saltem & æqualitate fidei, adeóque promissiones hæ antiquissimæ vos perinde concernunt ac Judæos, quibus nequaquam invidere debetis propagationem naturalem, cùm defectus hic abundè compensetur fide vestrâ, & vitæ ad Christi, quem induistis imitationem compositæ sanctitate.

Abrahæ estis, secundùm promissionem hæredes.

PARAPHRASIS

CAP. IV.

1. Res mira, quòd cùm homines naturæ instinctu subjectionem omnem oderint, & extrema quæque moliantur ad disrumpendos ejus compedes, præsertim in re, quæ superiorem mentis facultatem, & arbitrium proprium concernunt, vos econtrà ejus desideriô adeo teneamini, ut perlibenter hoc ipsum denuo jugum subire velitis, quo jam

1. *Dico autem: quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cùm sit Dominus omnium.*

jam exempti fueratis, quemadmodum hæres, ſi parvulus ſit, tametſi facultatum à patre relictarum jam dominus ſit, nihil tamen, quamdiu tutoribus ſubeſt, differt à ſervo, neque propriâ auctoritate de ullâ re

2. Sed ſub tutoribus & actoribus eſt usque ad præfinitum tempus à patre:

pro libitu diſponere valet, 2. ſed abſolutè ab eorum directione & arbitrio pendet usque ad tempus à patre vel legibus præfinitum,

3. Ita & nos, cùm eſſemus parvuli, ſub elementis mundi eramus ſervientes.

3. ita & nos, cùm non rerum modò cognitione, ſed ipsâ etiam agendi facultate infantes eſſemus, adeóque rudes admodum, & imprudentes, ſub ferulâ quodammodo veteris legis, & obſervatione rituum carnis ſenſuúmque ſphœram minimè tranſcendentium vitam tranſegimus quaſi ludo quodam puerili à pædagogo pro cognoſcendis primis principiis concluſi,

4. At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege,

4. at ubi tempus illuxit divino conſiliô ac providentiâ præſcriptum, quo Deus veniam & gratiam mortalibus largiri conſtituerat, emiſit filium ſuum unigenitum, atque ad nos legavit naſciturum ex muliere, & inter nos converſaturum vivente adhuc lege, cujus præceptis omnibus ſeſe ipſe ſubmitteret,

5. Ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut

5. idque ideo, ut eos redimeret, & à priſtinâ ſervitute eripe-

eriperet, qui legi erant obnoxii, útque nos inæstimabilem illam adoptionem in filios, quam in primo parente amissam, in altero, Abrahamo scilicet, denuo nobis promiserat, ejus munificentiâ ac liberalitate reciperemus, 6. quoniam verò vos etiam Galatæ, licèt sub illâ tutelæ servitute ac primis rudimentis non fuistis, perinde tamen ac Judæi effecti estis filii Dei, misit Deus Spiritum Sanctum in corda vestra, qui ea tum dulcedine ineffabili inundans, tum radiis cœlestis sapientiæ collustrans, tum prædivite virtutum thesauro exornans vi suâ mirificâ excitaret ad eum tanquam parentem optimum tenerrimo cordis affectu inclamandum, omnémque fiduciam implorato in gravioribus ærumnis auxiliô in ejus benevolentiâ collocandam. 7. Itaque deinceps nemo se existimet servum, sed filium, quòd si filius est, consequens profectò erit, ut sit hæres Dei, id est divinarum opum bonorúmque particeps per Christum, cui arctissimè conjunctus est. 8. Nam vos quidem, tametsi ut paulò ante dictum, legi illi Mosaicæ veluti pædagogo aut tutori

adoptionem filiorum reciperemus.

6. *Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater.*

7. *Itaque jam non est servus, sed filius. Quòd si filius: & hæres per Deum.*

8. *Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui naturâ non sunt dii, serviebatis.*

ri nullo unquam tempore ſubjecti fueritis, tamen quod longè deteriùs eſt, cùm cœli terræque conditorem miſeri ignoraretis, idololatriæ impietate impliciti illis divinos honores per ſacrificia exhibebatis, quibus nulla divinitas inerat, niſi in ſtolidâ veſtrâ imaginatione.

9. *Nunc autem cùm cognoveritis Deum, imò cogniti ſitis à Deo: quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis?*

9. Nunc autem cùm accenſo in mentibus veſtris lumine fidei Deum verum agnoſcatis, vel ut meliùs loquar, ad ſui notitiam ſingulari ſuo munere Deus ipſe vos adduxerit diſſipatis per ſingularem gratiam, quâ vos prævenit, errorum tenebrîs, quî fieri poteſt, ut retroflexis veſtigiis ad invalida illa & exſucca legalium rituum elementa tantâ cum fiduciâ, vel erroneâ potiùs ſimplicitate vos convertatis, & quaſi in Eccleſiæ Chriſtianæ ſcholâ necdum vobis plenè ſatisfactum, Synagogæ vos denuo in diſcipulos ſubmittere velitis ad condiſcenda puerorum inſtar elementarium prima legis rudimenta.

10. *Dies obſervatis, & menſes, & tempora & annos.*

10. Quæ tanta vobis dementia, ut in ea ipſa vincula, quibûs jam ſoluti eratis, denuo vos conjicere velitis obſervando more Judæorum dies, & menſes, & tempora, & annos, & ſi Deo

ſi Deo placet, ſabbatha & novilunia, atque id genus alias ceremonias, quódque vos obſtrictos imaginemini, ut Jeroſolymam vos certis temporibûs religionis causâ conferatis? Diſſimulare planè non poſſum, quo ſenſu hanc ſubitam & inexſpectatam animorum mutationem apprehendam. 11. Equidem de vobis magnopere ſollicitus ſum, vereórque non abs re, ne fortè veſtrâ causâ fruſtra fatigatus fuerim, tótque pro vobis ſuſcepti atque exantlati labores in irritum recidant. Abſolvite me, obſecro, gravi hoc juſtóque metu pro ſalute veſtrâ, quin potiùs memores eorum, quæ vobis tum verbô tum exemplo ſuaſi, me Evangelicæ libertatis prædicatorem intrepidè ſequimini, quidquid alii Judæi de neceſſitate legis veteris vobis ſuggerant & jactent: Nam & ego ejus præceptis atque inſtitutis religioſiſſimè olim addictus eram, & certè longè magìs, quam vos impræſentiarum, ſed illas jam nihili facio ſanctiorem legem amplexus. 12. Idipſum præſtate, ſi ſapitis, neque ampliùs permittite vobis jugum minimè neceſſarium imponi, quo jam per

11. *Timeo vos, ne fortè ſine causâ laboraverim in vobis.*

12. *Eſtote ſicut ego, quia & ego ſicut vos: fratres obſecro vos: nihil me læſiſtis.*

per Dei Salvatoris gratiam liberati estis. Quòd si vobis hæc mea loquendi ratio duriuscula fortasse & acerbior videtur, nolite idcirco dilecti fratres suspicari, me quasi injuriâ lacessitum vel contumeliâ provocatum quidquam de pristinâ in vos benevolentiâ ac charitate remisisse, cùm magnopere potiùs cupiam tanto vos amoris nexu mihi conjunctos, quanto vobis, ut ita dicam, agglutinatus sum, nam cur ego me à vobis læsum existimem, qui singularem ac prope inauditam in me benevolentiam sim expertus? 13. Meministis enim, opinor, meas illas jactationes ac turbines, ægritudines, ac insectationes, quibûs mirum in modum conflictabar, cùm apud vos Evangelium promulgarem, 14. & tamen has ipsas quotidianas meas vexationes adeo non in malam partem, & in signum quoddam castigationis divinæ & doctrinæ haud satis probatæ accepistis, quasi nimirum Deo hominibúsque invisus meritò plecterer, ut me quantumvis præ cæteris hominibus contemptum, afflictum, & infirmum non modò non aspernati fueritis, sed etiam non aliter, quàm

13. *Scitis autem, quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jam pridem: & tentationem vestram in carne meâ,*

14. *Non sprevistis, neque respuistis: sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum JEsum.*

quàm beatam aliquam & cœlestem mentem, quin imò tanquam ipsum Christum JEsum habitâ mei muneris ratione omni honore ac benevolentiâ complexi fueritis. 15. Unde ergò tam repentina tantillo tempore animorum vestrorum mutatio? Ubi mira illa videndi & audiendi me cupiditas, ubi zelus ille animarum? ubi promissa in fide constantia? ubi exacta illa, quam Evangelicis dogmatis præstitistis, obedientia, quæ tantâ vos commendatione dignos reddiderant, ut omnes beatos vos prædicarent, quibus videre coràm & audire Paulum contigerit, ac meipsum ego felicissimum reputarem, quòd me meámque prædicationem tam alacriter, tam benevolè complexi fueritis: hoc enim verè ac sine fuco de studio amoréque in me vestro affirmare possem, vos ita tunc animó in me comparatos fuisse, ut ipsos mihi oculos vestros effossos, si fieri id potuisset, ultrò in obsequium meum & amoris thesseram fuissetis daturi. 16. Quare hæc ipsa tam singularis in me charitatis ac benevolentiæ inexspectata remissio me mirè attonitum atque sollicitum ha-

15. Ubi est ergò beatitudo vestra? testimonium enim perhibeo vobis, quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.

16. Ergò inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis?

habet. Equidem omnia per me gesta, dicta, imò & cogitationum arcana perdiligenti discussione ad examen revocavi, nihil tamen deprehendere potui, quod justam vobis causam præbuerit qualiscunque offensæ & aversionis, nisi fortè pro candore meo & officio apostolico vera dicendo, fidémque Christi à legis observatione liberando vos exasperaverim, 17. vel potiùs improbos illos veteratores, qui quasi vos unicè depereant, & ad sublimiorem perfectionem promovere percupiant, sese mirum in modum in vestram gratiam insinuant, cùm tamen fucata hæc omnis & versipellis æmulatio non aliò spectet, quàm ut nos amicitiâ vestrâ excludant, séque unos vobis suspiciendos atque complectendos proponant, & ademptâ libertate, quam divino beneficiô per Christum consecuti eratis, vos injectis novæ servitutis compedibûs sibi solis tanquam Magistris omni exceptione majoribus devinctos teneant, suæque potiùs quàm Evangelicæ doctrinæ ac libertatis sectatores efficiant atque adeo vos ipsos à Christi gratiâ penitus excludunt, suam po-

17. *Æmulantur vos non bene: sed excludere vos volunt, ut illos æmulemini.*

potiùs gloriam, quam ſalutem veſtram aucupantes. 18. Bonum quidem eſt, & laude digniſſimum, ea ſectari & æmulari, quæ integræ vitæ ac doctrinæ Magiſtri commendant, idque conſtanter ſive præſentes ſint, ſive etiam abſentes, cur autem me abſente deficitis ab eâ doctrinâ, quam me præſente tanto ſtudiô complexi eſtis? cur novatoribus iſtis nunc adhæreſcitis, qui legis olim quidem præſcriptæ, nunc autem per Chriſtum antiquatæ obſervantiam vobis obtrudunt? 19. Dilecti filioli, quando mecum reputo, quòd jam alterâ vice materno ſinu & affectu compellar vos parturire, Chriſtíque formam, quæ à me pridem animis veſtris impreſſa, & nuper à pſeudo-apoſtolis pene corrupta fuerat, ad priſtinam ſuam ſpeciem atque pulchritudinem revocare, ut Chriſtus ſit omnia in omnibus vobis, neſcio inops conſilii, animóque turbatus, quid agam, quid eloquar. 20. Tantâ ſiquidem perplexitate pro ſalute veſtrâ, quam manifeſto periculo expoſitam video, oppreſſùm, me ſentio, ut vel maximè vobis, ſi fieri poſſet, coràm adeſſe cuperem,

18. Bonum autem æmulamini in bono ſemper: & non tantùm cùm præſens ſum apud vos.

19. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.

20. Vellem autem eſſe apud vos modò, & mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis.

rem, quò vivâ voce, quæ majorem sanè vim, quàm scripta epistola habet, vos alloqui liceret, & suavissimis tum verbis, tum copiosis lachrymis, tum aliis artibus, quas sancta & ingeniosa charitas excogitare valet, in priorem vos reducere justitiæ semitam, à quâ vos aliena abduxit calliditas.

21. *Dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem non legistis?*

21. Ah miseri & commiseratione digni Galatæ, cùm Judæi non sitis, cur legi vos subjicere vultis? si me audire dedignamini, legem ipsam, quam tantopere suspicitis, audite, ipsa vos à se ad Christum amandabit. An ergò ignoratis, quid Abrahamo evenerit, cujus nomen identidem in ore habetis gloriabundi, quòd ejus sitis filii?

22. *Scriptum est enim: quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancillâ, & unum de liberâ.*

22. Magnus hic Patriarcha duos filios habuit, unum, quem suscepit ex Agar ancillâ, alterum quem ex Sarâ ingenuâ.

23. *Sed qui de ancillâ, secundùm carnem natus est: qui autem de liberâ, per repromissionem:*

23. Illum secundùm consuetum generationis ordinem cùm Agar florenti ætate esset, & vegeta, alterum præter naturæ leges & vi promissionum divinarum, cùm Sara valdè provectæ ætatis jam esset, adeóque effœta & sterilis.

24. *Quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc*

24. In historiâ hac tanquam præcellenti figurâ ac typo adumbrata

brata habemus duo teſtamenta, ſive fœdera, de quibus agimus: Vetus illud rectiùs non poteſt repræſentari, quàm per Agarem, nam præterquàm quòd promulgatum ſit in monte Arabiæ Sinai extra terram promiſſionis ſito, & Jeruſalem illam terrenam ac Veterem deſignat etiam monti impoſitam, ac ſedem olim legis Judaicæ, 25. in eo præcipuè ambo conveniunt, quòd quemadmodum filii Agar ſervituti erant obnoxii, ita etiam Judæi obſervatores rigidi legis illius antiquæ ſerviebant umbris multiplicium, oneroſàrum, & prægravium cæremoniarum ídque timore pœnarum ac ſpe bonorum terrenorum abundantiæ videlicet frumenti, vini & olei, quæ Deus illis promiſit, ſi legem pactúmque ſervarent, 26. ſicut Sara ingenua erat, paritérque ejus liberi, ita & Eccleſia Chriſtiana mater noſtra ac nova meliórque Jeruſalem fundata eſt in montibus editis, promiſſis videlicet ſupernis, nóſque progignit ſervili conditioni minimè ſubjectos. Gaudete itaque, fratres mei, & fruimini libertate, quæ divino vobis beneficiô in optatam hæreditatem obvenit,

enim ſunt duo teſtamenta. Unum quidem in monte Sina, in ſervitutem generans: quæ eſt Agar:

25. *Sina enim mons eſt in Arabiâ, qui conjunctus eſt ei, quæ nunc eſt Jeruſalem, & ſervit cum filiis ſuis.*

26. *Illa autem, quæ ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt; quæ eſt mater noſtra.*

obvenit, neque in animum inducite, veritatis hujus, de quâ securos vos esse jubeo, fundamentum esse lubricum, minúsque firmum.

27. *Scriptum est enim: lætare sterilis, quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parturis: quia multi filii desertæ, magis quàm ejus, quæ habet virum.*

27. Isaias Propheta eodem sensu pronuntiat: Lætare sterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis, id est, cum lætitiâ Deum lauda, & in clamorem ac cantica laudis erumpe Ecclesia, quia cùm usque ad adventum Christi sterilis fueris, & ex gentibus quidem penè nullos, ex Judæis verò paucissimos Christo filios, eosdémque sub servitutis velamine tanquam & ipsi servi essent latitantes, enixa fueris, nunc verò fæcundior reddita ex Gentium superstitioni renuntiantium affluxu novo sponso tuo conjuncta filios paries multò plures, quàm Synagoga viro suo conjuncta, id est, legem Mosaicam studiosè amplexata, toto Veteris Testamenti tempore filios peperit.

28. *Nos autem, fratres, secundùm Isaac promissionis filii sumus.*

28. Pari nimirum cum Isaaco sorte non quidem vi seminis, aut naturali propagatione sanguinis, sed divinæ illius pollicitationis jure, quæ olim parenti illius adeóque & nostro facta est.

29. *Sed quomodo tunc is, qui secundùm*

29. Unde mirum videri non debet, si quemadmodum

dum Ismael, qui consuetis naturæ viribûs in lucem prodierat, illum continuò insectatus est, non aliter nunc Judæi, qui Ismaeli in hac allegoriâ respondent, quíque legi illi gratiâ destitutæ adhærentes nihil præter genus & sanguinem à parente nostro Abrahamo hauserunt, adversus Ecclesiam Gentium tanquam minorem fratrem, quem vi pollicitationis ad hæreditatem Abrahæ pertinere diximus, tantopere erigantur & inflammentur livore, indignati scilicet lucem Evangelii Mosaicis umbris anteferri. 30. Sed ut incœptam comparationem secundùm propositum nostrum ad exitum usque perducamus, quid ait Spiritus S. in sacris litteris: ejice ancillam & filium ejus &c. quò nimirum ex hoc intelligamus, legem illam veterem non futuram fuisse perpetuam, sed aliquando adveniente lege gratiæ antiquandam, neque nudæ legis sectatores tanquam filios Agar illius promissionis, quæ Abrahæ ejúsque posteritati facta est, fructum consecuturos. 31. Esto igitur, fratres, hæc disputationis nostræ clausula, non esse nos ancillæ filios, qui legi simus obstricti

carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundùm spiritum: ita & nunc.

30. *Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam, & filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.*

31. *Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ, quâ libertate Christus nos liberavit.*

obſtricti, ſed liberæ atque ingenuæ matris ad Evangelicam libertatem ſingulari Chriſti munere vocatos atque aſſertos dum videlicet in ultimâ cœnâ pretioſo ſuo ſanguine Apoſtolis propinato novum fœdus ſanxit atque firmavit, illúdque demum in cruce moriens perfecit atque abſolvit.

PARAPHRASIS

CAP. V.

1. *State & nolite iterum jugô ſervitutis contineri.*

1. QUandoquidem ergò Chriſtus veſtræ libertatis vindex eſt, atque aſſertor, nolite, obſecro, caligine per garrulos ac ſubdolos impoſtores animis veſtris offuſa ita deſipere, ut libertati tanto pretiô vobis comparatæ ultró renuntietis, ſed in illâ, quantum in vobis eſt, abjectâ omni fluctuatione conſtanter perſiſtite, cúmque olim ſervieritis idolis ac dæmonibus, ne patiamini vos novo ſervitutis jugô legis videlicet Moſaicæ illaqueari. Novis argumentis ad fulciendam hanc veritatem minimè opus, mea vo-

vobis tanquam Apoſtoli veſtri ſufficiat auctoritas. 2. Equidem ego ille Paulus, quem tam benevolè complexi eſtis, palàm vobis denuntio, ſi circumcidamini, ita ut in eâ circumciſione ſpem aliquam ſalutis collocandam, vel eam certè cum Evangelio neceſſariò retinendam eſſe putetis, fidem & gratiam Chriſti priùs acceptam nihil vobis profuturam. 3. Quòd ſi Magiſtri, ac pene dicam parentis amantiſſimi non movet vos auctoritas, ipſa ſaltem rei difficultas, quam ſponte nullo cogente ſubitis, atque adeò periculum commovere vos debent: teſtor enim iterum, atque iterum, eos omnes, ſive Gentiles ſint, ſive Judæi, qui ſeſe circumcidi paſſi fuerint, univerſæ legi ſervandæ obnoxios ſe reddere, quid enim eſt circumciſio, quàm tacita veteris legis profeſſio, & tot onerum ab eâ impoſitorum ſpontanea ſuſceptio, atque obligatio? 4. Hac ratione à Chriſti corpore, cujus membra eſtis, vos ultrò avellitis, ejúſque proin merita ceſſante omni influxu inania, inutilia, atque ſupervacanea redditis, dum enim à legis Moſaicæ obſervatione juſtitiam fruſtra

2. Ecce ego Paulus dico vobis: quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.

3. Teſtificor autem rurſùs omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ.

4. Evacuati eſtis à Chriſto, qui in lege juſtificamini: à gratiâ excidiſtis,

fruſtra quæritis, à gratuitâ juſtificatione, quam per Chriſtum aſſecuti eſtis, meritò excidiſtis, ſive quòd diffidatis gratiæ, dum aliunde haurire vos poſſe juſtitiam malè creduli exiſtimatis, ſive quòd gratiæ Chriſti vos præbeatis ingratos & injurios, quæ etiam illos, qui pridem legi ſuberant, nedum eos, qui nunquam illi colla ſubdiderant, velut excuſſo jugô in libertatem adſcivit.

5. Nos enim ſpiritu ex fide, ſpem juſtitiæ exſpectamus.

5. Nos enim, qui verè et ex animo Chriſtum colimus, non ex nudâ illâ lege, aut præceptorum obſervatione, aut denique ex ullo actionum noſtrarum purè naturalium, aut legalium merito, ſed ex ſolâ fide vivâ, ante omne meritum à nobis comparatam per ſpiritum adoptionis exſpectamus juſtitiam, ejúſque fructum vitam æternam non absque filiali, certâ, & ſolatiô plenâ fiduciâ.

6. Nam in Chriſto JEſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium: ſed fides, quæ per charitatem operatur.

6. Siquidem in Chriſto JEſu ejúſque diſciplinâ, quam profitemur, neque circumciſæ, neque incircumciſæ carnis habetur ratio, ſed fidei, per quam in filios Dei adoptamur, ſi ea tamen non otioſa torpeat, ſed per charitatem animata mentes noſtras ſanctioribus flammîs ſuccendat, & ad

ad producendos diversissimos bonorum operum fructus vim suam atque vigorem conferat. 7. Sed quid hoc rei? Currebatis hactenus alacriter, & egregiè velut in stadio ad æternæ gloriæ bravium consequendum, magnósque progressus faciebatis in semitâ, quam vobis monstraveram, veræ religionis ac justitiæ. Quamobrem nunc ita titubatis? quis cursum vestrum tam subitò cohibuit, & à propositâ metâ, ad quam rectà tendebatis aliò revocavit, ut non ampliùs obsequamini veritati? Nolite, obsecro, tam faciles & creduli esse, cùm agitur de negotio religionis ac salutis, & cuicunque unde unde venienti, & magnifica quædam ac speciosa vobis obtrudenti patulas mox aures præbere. 8. Qui vobis tam splendidè illuserunt, ministri sunt tenebarum principis, & nequissimi mendaciorum omnium parentis, longéque alia vobis suasere, quàm Pater cœlestis, qui vos primò ad notitiam filii sui unigeniti vocavit, exiget. Neque quis mihi oggeret, unius vel alterius antiquioris ritûs observantiam tanti non esse momenti ac ponderis, ut propterea animó

7. Currebatis bene: quis vos impedivit veritati non obedire?

8. Persuasio hæc non est ex eo, qui vocat vos.

mô commotior in tam prolixam & acerbam querimoniam erumpam.

9. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.*

9. At ego probè intelligo, neque vos ignorare volo, quantulacunque legis antiquatæ particula cum fide Evangelicâ misceatur, totam fidei Christianæ puritatem, sinceritatem, ac substantiam ipsam vitiari atque everti, non aliter ac modicum fermentum totam farinæ massam suo Acore imbuit, inficit, atque corrumpit, atque adeò paulatim per gradus ad integram Judaismi professionem deveniri.

10. *Ego confido in vobis in Domino, quòd nihil aliud sapietis: qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicunque est ille.*

10. Equidem hoc mihi de vobis per ineffabilem miserentis Dei clementiam polliceri audeo, ad saniorem mentem & salubriora consilia revocatos non aliter vos imposterum de fide ac religione Christianâ judicaturos, quàm olim me docentem audistis, quin imò eorum nequitiam detegendam brevì, qui ut in abyssum vos incautos præcipitent, modìs omnibus allaborant, ne ejus profundam voraginem attentiori oculô contemplemini. Non impunè ferent hi tales, quicunque demum fuerint, cujuscunque demum nominis ac celebritatis, justásque Dei judiciô pœnas aliquando dabunt, quòd

quòd vos tot ſcrupulorum ac errorum laqueis irretitos à ſuſceptâ ſemel fide revocare contenderint 11. Dicunt ſanè, eóque nomine me apud vos traducunt, fratres mei, quòd non idem ubique ſemper doceam, ſed inter eos, qui legem profitentur, circumciſionem commendem, apud Gentiles verò ut minimè neceſſariam vilipendam: quæ ſi vera eſſent, ſi pro Moyſe & lege etiamnum ſtarem, ùt obtrectatores hi callidè mentiuntur, cur tam infeſtis odiis me Synagoga perſequitur tanquam diris devotum caput, méque nullo propemodum loco conſiſtere patitur? Non alio ſanè ex capite Evangelii doctrinam tantopere averſantur hi novatores, quàm quòd ejus prædicatione circumciſio antiquetur, quam ſi permitterem, ſublata foret illicò omnis odii in me, atque irarum occaſio, & omne crucis ſcandalum ceſſaret, non enim tam Chriſti crucifixi prædicatio eos offendit, quàm legis per crucem abolitio, at continuas etiamnum eructant in eam blaſphemias, ejus prædicatores eam potiſſimùm ob cauſam criminantur, quòd legis ſuæ antiquiſſimæ videantur

11. *Ego autem, fratres, ſi circumciſionem adhuc prædico: quid adhuc perſecutionem patior? Ergò evacuatum eſt ſcandalum crucis.*

tur contemptores. Hinc ergò manifestè consequitur, me neutiquam, ut ipsi jactitant, in laudes effundi cæremoniarum, quas tam superstitiosè colunt, sed iisdem constanter doctrinæ Christianæ principiis insistere, neque ea pro diversitate locorum & temporum pro libitu variare.

12. *Utinam & abscindantur, qui vos conturbant.*

12. Utinam, qui tot mendaciis vos circumveniunt, & in eas angustias conjiciunt obtrudendo circumcisionem, ut me exosum, contemptibilémque reddant, atque ita vos antiquâ libertatis possessione, in quam vos immiseram, rursus dejiciant, tanquam pestiferi sanioris doctrinæ corruptores à reliquo fidelium cœtu excludantur, vel si necesse sit, anathematis mucrone rescindantur, ne eorum periculosa cogitatio grassetur ulteriùs, aliósque inficiat.

13. *Vos enim in libertatem vocati estis, fratres: tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem Spiritûs servite invicem.*

13. Respuite fortiter vincula, quæ vobis injicere parant, ea enim præsenti libertatis statui, in quo vos benignissimi Dei voluntas collocavit haud quaquam conveniunt. Tantùm id vobis etiam atque etiam cavendum moneo, ne hac libertate, quâ Dei beneficiô donati estis, ad vitæ licentiam & morum dissolutio-

lutionem abutamini. Jugum vobis ſanè grave abſtulit, ut levius ſuaviúsque imponeret, quod in mutuâ dilectione, ſpiritu lenitatis, ac reciprocis obſequiis conſiſtit. Nolo itaque vos omni lege ſolutos, ſed quandoquidem lex à Moyſe lata tanti ponderis apud vos eſt, tantáque æſtimatio ejus præceptorum, ſuggeram rationem ea ex integro ſervandi ſecluſis tamen ejus ſacrificiis ac ritibûs. 14. En compendiô ea vobis exhibeo: diliges proximum tuum ſicut te ipſum, atque hoc ad litteram & amuſſim absque ullâ reſtrictione ut obſervetis, vos enixè hortor. 15. Quòd ſi dum contentiones de lege & circumciſione inter vos diſputationes agitatis, partim invidiâ inflammati, partim inanis gloriæ ſtudiô incenſi obtrectationibûs alius alium mordetis, & ut ita dicam, devoratis, præterquàm quòd in ſacroſanctas naturæ leges haud leviter delinquitis, attendite quæſo, ne alius ab alio conficiamini, mutuíſque vulneribûs ſupremum vobis exitium accerſatis. Hanc porrò animorum peſtem ut vel procul eliminetis, vel ne vel vos inficiat, caveatis in tempore, ſuaſe-

14. *Omnis enim lex in unò ſermone impletur: diliges proximum tuum ſicut teipſum.*

15. *Quòd ſi invicem mordetis, & comeditis, videte, ne ab invicem conſumamini.*

16. *Dico autem: ſpiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis.*

ſuaſerim, 16. ut omnem ſpem veſtram non in lege, ſed Chriſto JEſu ejúſque meritis collocetis, & divini ſpiritûs ductum, ac rectæ rationis impulſum omninò ſequamini, ita enim fiet, ut, quod paulò ante monui, impotentes libidinum motus facilè comprimatis, & reluctantes cupiditates frangatis divinæ præſidiô gratiæ.

17. *Caro enim concupiſcit adversùs ſpiritum: ſpiritus autem adversùs carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur: ut non quæcunque vultis, illa faciatis.*

17. Fomes enim concupiſcentiæ, quem à protoparente noſtro hæreditariâ ſucceſſione accepimus, ſpiritum impellit ad appetenda immoderatiùs ea, quæ ſub ſenſus cadunt, & æquè cum recta ratione pugnant, divinus econtrà ſpiritus animam gratiâ ſuâ innovatam & colluſtratam excitat, urgétque ad motus illos inordinatos pravarum cupiditatum comprimendos, rationíque ſubjiciendos, ex quâ perpetuâ lucta illud conſequitur, ut humana voluntas in diverſa quodammodo rapiatur, vóſque non quæcunque ſecundùm rectam rationem volueritis, eadem continuò & promptè faciatis, ſed vel inviti fœdos libidinum ſtimulos quandoque excitari in vobis ſentiatis.

18. *Quòd ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.*

18. Quòd ſi ſemel ſpiritu gratiæ hauſto ejus vos ductu atque

atque impulſu movendos atque regendos præbebitis, ſentietis profectò vos antiquæ illius legis imperiô ſolutos ac liberos, non eſſe ampliùs ſub illâ terrente videlicet, premente, vindicante, quomodo ſub lege ſunt homines improbi, vel qui ſervili ſupplicii metu compulſi ea, quæ legis ſunt, utcumque faciunt, eſtis tamen ſub lege obligante, ſed ita, ut quæ lex imperat, ſponte ac liberaliter, charitatis impulſu, præſtetis, adeóque videmini jam eſſe extra & ſupra legem illam rigidam ſub ſpiritu & lege ſuaviori Chriſti Domini vobis auxilia gratiæ & prœmia gloriæ cumulatiſſimè largientis. Quid ergò factô opus, reponetis mihi, ut tot tantisque promiſſis ac favoribûs fruamur impoſterum? R. vivendum ſecundùm Dei Spiritum, & non ſecundùm carnis petulantis dictamina. 19. Porrò, ut utriusque actiones & contrariam indolem vobis apertiùs ac luculentius explicem, operæ me pretium facturum exiſtimavi, ſi opera carnis, quæ omnibus nota ſunt & ipsâ ſe turpitudine ſuâ produnt, nec profundiori inveſtigatione indigent, paucis velut

19. *Manifeſta ſunt autem opera carnis: quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria.*

20. *Idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ.*

21. *Invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes: & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi vobis quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

22. *Fructus autem spiritûs est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas,*

velut digitô indicaverim, sunt autem adulterium, scortatio, mollities, 20. idolorum cultus, veneficia, inimicitiæ, lites, æmulationes, iræ, concertationes, dissidia, hæreses. 21. Invidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & similia flagitiorum portenta, de quibus sic habetote, quod aliàs etiam dixi, & sedulò monui, qui ejusmodi sceleribûs inquinantur, regnum Dei nequaquam consecuturos, sed æternis potiùs inferorum suppliciis addicendos. 22. Si autem ex alterâ parte nunc oculos conjicere placet in actus virtutum, quos Spiritus Sanctus per gratiam suam in animis justorum producit, tanquam fructus lectissimos, permagnam utilitatem afferentes unà cum verâ ac solidâ delectatione, tum in hac vitâ mortali, tum verò maximè in illâ sempiternâ ac beatâ, primo aspectu vobis consideranda occurret prudens atque discreta charitas, lætitia perturbari nescia, profunda mentis tranquillitas, admiranda in adversis patientia, perpetua sibíque constans lenitas, quam nunquam irritare valeas, facilitas quædam suavissima agendi comiter cum

cum omni hominum genere, bonitas seu beneficentia ad omnia obsequia promptissima, 23. mansuetudo singularis in perferendis injuriis, fidelitas exacta in servandis promissis, angelica modestia, exacta temperantia, & integerrima castimonia. Porrò iis, qui divinis hisce muneribûs præditi sunt, atque ornati, nihil negotii est cum lege, ejúsque comminationibus, quemadmodum enim equi morigeri, qui frœno obtemperant, scuticâ non indigent, ita neque, qui spiritu ducuntur, legis admonitione. Qui sæculi hujus principiis ac moribûs imbuti sunt, sibi omnia pro libertate suâ licita reputant, 24. qui verò Christo, ejúsque spiritui penitus adhæserunt, quemadmodum ille carnem suam affixam cruci habuit, ita & ipsi pravas omnes cupiditates, atque turbulentas animi perturbationes, quasi clavis quibusdam generosæ abnegationis confixas, & pene enectas habent, ut vix sese uspiam commovere valeant, multò minùs despoticum in corpore exercere imperium. 25. Itaque si Spiritum Sanctum Christi munere nobis inditum percepimus,

res

23. *Mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversùs hujusmodi non est lex.*

24. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.*

25. *Si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus.*

res ipsa postulat, ut actiones nostræ ejus impulsum consiliúmque sequantur, ut quem vitæ melioris auctorem habemus, eundem habeamus actionum nostrarum & magistrum & ducem. 26. Cùm autem pseudo-apostolorum garrulitas non leves inter vos suscitaverit dissensiones, & quod inde consequi necesse est, animorum alienationes & odia, postremò meneo, ne inanem vanámque gloriam captemus, provocantes invicem ad pugnas verborum & contendentes non tam veritatis indagandæ causâ, quàm vincendi studiô, utì hactenus factum, ne etiam, si qui insolentiùs sese efferant, æmulatione mutuâ accendamur id quod perfacile erit, si hominum laudes flocci faciamus, serióque consideremus, obstrictos nos esse ad majorem nunc vitæ sanctimoniam ac perfectionem consectandam, quandoquidem per fidem & gratiam conjuncti sumus illi, qui omnem in semet perfectionem præcontinet, eámque pro mensurâ ac dispositione diversâ sui Corporis Mystici membris abundè communicat.

26. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, & invicem invidentes.*

PARA-

PARAPHRASIS

CAP. VI.

1. LEx, quam profitemur, lex charitatis est, quamobrem dilecti fratres, si quis vestrûm impetu aliquo abreptus, vel imbecillitate victus, vel ignorantiâ seductus impegerit, & in delictum vel errorem aliquem prolapsus fuerit, eum vos, qui supernâ luce magìs collustrati, atque divino spiritu imbuti fortiores vobis ac robustiores videmini, magnâ cum lenitate ac mansuetudine admonitum ac resipiscentem à lapsu erigite & in pristinum statum restituite, memores, & vos non ab omni cespitandi periculo immunes esse, & si delinquere fors contingeret, ingentis beneficii locô habituros, si quis non duriùs aut acerbiùs, sed condolendo, dissimulando, ferendo, blandè suavitérque corripiendo vobiscum ageret, non tam ut severè puniamini, quàm ut amicè corrigamini. Nolite plus æquô vobis blandiri, quis-

1. Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.

(I)

quisque suos patimur manes, nec ullum facilè reperies, qui non pro humanæ conditionis imbecillitate vitiô quodam particulari laboret, vel maculâ quapiam notatus sit.

2. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.

2. Itaque alii aliorum infirmitates patienter ac benignè sufferte; si quos à falsis fratribus veluti in præceps abreptos noveritis, quasi gravi aliquo onere pressos sublevate, cúmque unius ejusdémque corporis sub uno Capite membra sitis, hoc pro certo quod vos statuite, mutuâ hac condolentis animi teneritudine, reciproco hoc pro viribus vestris opitulandi studio, admirabili hoc salubrium monitorum ac consiliorum commercio, dum ubi lapsûs periculum imminet, vobis invicem manum porrigitis, mutuísque certatis officiis, vos legem charitatis, quam tantopere Christus quasi propriam suámque non semel commendarit, ritè adimpleturos.

3. Nam si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.

3. Nam si quis præpostero sui amore obcœcatus ejus comparatione, quem prolapsum fuisse videt, sibi nimiùm complaceat, séque magnificè circumspiciat, quasi virum omnibus numeris absolutum, eximium, & perfectum, ideóque proxi-

proximum errantem superbè, durè, atque contemptim increper, atque redarguat, cùm ipse tamen reverà nihil sit, quia suo fastu, arrogantiâ, duritie, contemptu ostendit se nullius esse virtutis, hunc sua ipsius æstimatio vehementer fallit, eodémque is morbo, & quidem periculosiùs laborat. 4. Quare seriâ potiùs reflexione quisque interiorem animæ suæ statum exploret, sedulóque disquirat, quibus rationibûs, quo fine ac proposito ad hoc vel illud agendum moveatur. Quòd si quem contingat præclarâ benegestorum conscientiâ sustentari, næ ille in semetipso, non alterius comparatione propter sua utique bona, non propter aliorum infirmitates habebit, unde sibi gratulari & in Domino gloriari valeat, cujus virtute, non propriâ, ea præstitit. Cæterùm si conscientiæ suæ latebras atque recessus diligentiùs excutere velit, & quasi judex præteritæ vitæ suæ à se rationem exigere, multa fortè deprehendet, emendatione digna, unde sibi meritò displicere debeat, alienos verò defectus supremo Dei judicio discutiendos relinquere. 5. Unusquisque

4. Opus autem suum probet unusquisque, & sic in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero.

5. Unusquisque enim onus suum portabit.

que enim propriâ actionum suarum
sarcinâ satis onustus, quin aliorum
factis sese immisceat, aut exinde
factâ comparatione probandus sit,
ab illo inexorabili judice suppli-
cium consequetur vel prœmium,
quo dignus est secundùm merita pro-
pria nullâ habitâ ratione, an
alius meliùs, an minus malè vixerit,
ut adeò se, suásque vitæ rationes
inspicere quisque debeat, non
aliorum vitam, morésque curio-
siùs discutere. 6. Atque ista eos
potissimùm concernunt, qui facun-
do eloquio & scientiâ præstant, ne
illâ efferantur insolentiùs, reliquos
quod attinet, gratæ mentis offi-
cium postulat, ut Magistris ve-
stris, à quibus salutis doctrinam
accipitis, beneficam manum ex-
plicetis, cùm enim illi cœlestes vo-
bis thesauros divinæ sapientiæ ape-
riant, æquitati prorsus videtur con-
sentaneum, ut modicam saltem
partem facultatum vestrarum in
eorum sublevationem conferatis,
quod enim vobis impendunt, nun-
quid longè æstimatione pretióque
superat ea, quæ à vobis consequi
possunt? 7. Nolite mihi pro excu-
satione opponere indigentiam ve-
stram;

6. Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat, in omnibus bonis.

7. Nolite errare, Deus non irridetur.

ſtram: ſiquidem ſi vera non eſt, ſed ſolummodò ſimulata, fallere me poteſtis equidem, & ut nimis credulum exſibilare. Deus verò qui recondita quæque intuetur, falli minimè poteſt, aut impunè ſubſannari. In terrâ ſeritur, in cœlo metitur, explorate ergò quod ſeritis, nempe opera veſtra. 8. Et ſcitote; quem quisque ſementem fecerit, ſuo labori meſſem reſpondentem illum aliquando collecturum, & quidem qui carni ſeminat ſuæ, ejúsque commoda & voluptates quærit, ex eâ non diſpendium ſolùm, ſed interitum metet ſempiternum, qui contrà ſpiritui ſeminat facultates ſuas, videlicet in opera pia, ac præcipuè eleemoſynas profundendo, ex iis uberrimam meſſem colliget vitæ beatæ ac immortalis. 9. Ne ergò ſeminando, nempe benefaciendo defatigemur, ac remiſſiùs agamus, cùm enim tempus meſſis advenerit ab obitu noſtro, longè maximam colligemus, & quidem absque ullo labore, ſudore, aut tædio, contrà quàm in humanâ agriculturâ accidere ſolet, ubi non minùs laborandum eſt in ſegete ac manipulis colligen-

8. *Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carne ſuâ, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.*

9. *Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes.*

ligendis, quàm in jaciendo semine, alia est conditio messis cœlestis, quemadmodum enim non defecimus in hac vitâ seminando, ita non deficiemus in alterâ metendo fructus gratiæ gloriæque sempiternæ.

10. *Ergò dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei,*

10. Itaque quamdiu inter egentes degimus, egestatem eorum sublevemus, nec sinamus tam pretiosas temporis particulas nostrâ liberalitate vacuas effluere, in omnes omnino se charitas & beneficentia vestra sese effundat, prout facultas & occasio tulerit, sed præcisè in domesticos fidei, nempe fideles, qui in eandem nobiscum familiam Domini adsciti sunt.

11. *Videte, qualibus litteris scripsi vobis meâ manu.*

11. Tametsi porrò pro instructione aliorum absentium in conscribendis Epistolis aliàs amanuensis operâ uti consueverim, iisque sigillum tantummodo meum appresserim, hanc tamen satìs prolixam, multisque argumentìs refertam propriâ manu exaratam volui, partim ut ostenderem, quantâ charitate vos complectar, qui labori non pepercerim, partim ut nulla vobis possit esse suspicio, ne alienæ vobis litteræ pro meis obtrudantur, partim etiam, ut promptiorem firmiorémque

que

que illi fidem præstetis, & probè tandem intelligatis impostores esse longè nequissimos, qui vobis persuasum volunt, probari mihi observantiam rituum legalium. 12. Nolite, fratres, credere, sinceró eos legis Mosaicæ zelo agi, ut vos ad circumcisionem permoveant, aut quòd eam vobis pernecessariam existiment, sed gloriolam, nescio, quam aucupantur ac benevolentiam Judæorum, eadémque operâ sibi ab illis cavent, utpote acriter eos insectantibus, qui Christi crucem ita extollunt, ut legem, ejúsque cerimonias deprimant. 13. Nam neque ipsi quidem, qui circumciduntur, legem omni ex parte ob servant, sed ob id præcipuè, ut circumcidamini, satagunt, quò apud populares suos gloriari possint, quòd vos tanquam novos proselytos Mosi atque Judaismo aggregaverint, atque adeò ex pelliculâ vestrâ resectâ laudem & gratiam referant. Sed plaudant sibi, quantùm voluerint, & aliis placere contendant. 14. Absit, ut eorum exempla sequar, & ullâ prorsus aliâ in re, præterquàm in cruce Domini nostri JEsu Christi glorier, per quam id

12. Quicunque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantùm ut crucis Christi persecutionem non patiantur.

13. Neque enim qui circumciduntur, legem custodiunt: sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestrâ glorientur.

14. Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri JEsu Christi: per quem mihi

mundus crucifixus est, & ego mundo.

id assecutus sum, ut quæ vulgò magnifica & speciosa putantur, nihilo plus ad meum animum titillandum habeant virium, quàm si illa penitus extincta de cruce penderent ingrato & illætabili spectaculo, aut ego sensu vitáque carens infami crucis patibulo affixus essem. Quemadmodum mundus me despectui habet, miniméque curat, ita & ejus laudes, illecebras, ac pompam inanem nihili facio. Non tantùm fallacibus ejus præstigiis me circumveniri haudquaquam passus sum, & oblatam insuper terrenarum opum ac deliciarum affluentiam generosè excussi, sed id unum ago, ut Christo constanter adhæream,

15. *In Christo enim JEsu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.*

15. qui, neque Judæorum, neque Gentium peculiarem rationem habet, aut differentiam observat in communicatione cœlestium suorum favorum, sed solius fidei, quæ charitate animata per spiritualem regenerationem novam vitam tribuit, extinctâ infelici illâ Adami veteris, nisi tamen ista mors potiùs, quam vita dicenda.

16. *Et quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & mise-*

16. His porrò, qui fide firmissimâ hanc doctrinam complectuntur, qui suam fiduciam non

non ampliùs collocant in antiquatis cæremoniis, qui ad regulam à me præscriptam gressus suos direxerint, qui intra Evangelii limites & orbitam sese continent, nec ad Synagogam rursus pedem efferunt, his, inquam, ut veræ pacis fructus, & copiosa miserentis Dei benedictio cœlitùs obveniat, ex animo precor, sunt enim hi veri Israelitæ, qui non hominum judiciô, sed Dei testimonio & sententiâ commendantur, tametsi sanguinis origine ab Abrahamo non descendant, fides enim, quâ eximium hunc Patriarcham imitatione referunt, illis filiorum Dei, & populi electi præclarum characterem potiori jure tribuit, fructúque uberiori, quàm Judæis propagatio carnis. 17. Cæterùm nemo eorum mihi molestiam ampliùs facessat turbulentis contentionibûs, & exquirendis aliis atque aliis doctrinæ, quam vobis annuntiavi, probationibus, satis graves, solidásque vobis hactenus attuli, si necdum illis acquiescitis, actum est de vestrâ pervicaciâ, utpote frangi nesciâ. Arguite me porrò, si lubet, simulatò me agere inter Judæos,

ricordia, & super Israël Dei.

17. De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini JEsu in corpore meo porto.


dæos, qui circumcisionem coram eis approbem: enormem hanc calumniam non aliter refutaverim, quàm exhibendo corpus meum plagis, vinculis, aliísque notis alienæ sævitiæ undequaque lividum. Tantùm abest, ut inde erubescam, ut potiùs cicatrices has vobis ostendam tanquam gloriosa trophæa, quæ etiamnum mihi tanquam strenuo Christi pugili servóque stigmatico inhærent ex acri dimicatione pro Evangelii defensione, & testimonia omni exceptione majora, quòd nequaquam amicus sim eorum, quibuscum tamen conspirare me ac colludere insimulor. Pace meâ sentite de me, quod volueritis: longè magìs me vestri miseret, quòd videam tam splendidè vos in fraudem inductos desipere, quàm ut innocentiæ meæ proscissio me vehementer affligat, sanctè enim profiteor, salutis vestræ studiô me impensiùs affici, quàm existimationis meæ curâ, cujus jacturam perlibenter feram in obsequium & laudem Christi Domini,

18. *Gratia Domini nostri JEsu Christi cum spiritu vestro, fratres. Amen.*

18. quem enixè precor, ut gratiam suam animis vestris cum cœlestibus donis altè imprimat, magìsque indies augeat, atque confirmet.

A M E N.

ARGU-



ARGUMENTUM
EPISTOLÆ D. PAULI APOSTOLI
AD
EPHESIOS.

EPhesus, quæ est Asiæ minoris metropolis, & alterum, teste Plinio, Asiæ lumen, tempore, quo Gentium Apostolus in ea urbe commorabatur, florebat non solùm advenarum frequentiâ ob portûs amplitudinem, & templi toto terrarum orbe celeberrimi, & inter septem antiquitatis miracula connumerati magnificentiam, sed etiam bonarum artium studiis, multis tum magni nominis philosophis tum oratoribûs clarissima, quos inter Pythagoras, Parmenides, Zeno, Democritus & alii. Idololatria sedem quasi regiam ibi fixerat, & magia quam non immeritò

ejus ſororem nuncupaveris, numerabat permultos aſſeclas, ut adeò non exigui moliminis fuerit, ibi fidem Chriſti JEſu hactenus incognitam plantare, ubi principes tenebrarum à multis ſæculis vix non deſpoticè imperitabant. At verò cordatus Apoſtolus nec ſexcenta diſcrimina, nec mortem quamcunque veritus, ubi pro gloriâ amantiſſimi ſui Magiſtri dimicandum erat, Evangelicam doctrinam tam intrepidâ mentis conſtantiâ annuntiavit, tótque miraculis firmavit, ut per triennium, quo ibi commoratus fuit, longè plurimos Eccleſiæ Chriſti aggregârit. Non deerant præclarè cœptis qui ſeſe opponerent fortiter, Judæi enim ex omni parte zeloſiſſimum hunc novi Evangelii præconem inſectabantur perpetim, ſeditióque à Demetrio concitata eum in apertum mortis diſcrimen conjecerat. Poſtquam inde diſceſſerat ad diſſeminandum alibi Dei Verbum, nonnulli ex Judæis, qui ex deſtinato ſimulaverant ſe legis Chriſtianæ ſectatores, cùm ſubin animadverterent illius promulgatione, & propagatione legem ſuam ac ſynagogam paulatim aboleri, cœperunt ejus ſanctitatem corrumpere aſperſis de ſuo non paucis fabuloſis, quin & impiis commentis. Prædixerat id Act. 20. Apoſtolus in patheticâ illâ oratione, quam habuerat ad ſeniores & primores Eccleſiæ Epheſinæ eis valedicturus, & ultimùm commendaturus perſeverantiam in profeſſione Chriſtianorum dogmatum, quibûs haud ita pridem eos imbuerat. Quamprimùm ergò inaudiit, Phigellum, & Hermogenem inter alios omnem lapidem movere ad id deſtruendum, quod ipſe tanto labore ac ſudore ædificaverat, Româ, ubi vinculis tenebatur, præclaram hanc Epiſtolam à ſe conſcriptam per Tychicum Diaconum eò miſit annô à partu Virginis 59. SS. PP. annotant, Epiſtolas,

las, quas Paulus è carcere ſcripſit, quaſi concluſo utre, plus ſapientiæ eructare & ſpiritûs, anhelans enim ad martyrii palmam, ejúsque deſideriô æſtuans inſtar ſolis ad occaſum properantis ardentiores flammas, radiósque ſplendidiores evibrabat, id quod luculenter patebit ex eâ, cujus modò argumentum exhibeo. Res, quæ inibi tractantur, tantam ſpirant ſanctitatem, & in qualibet paginâ zelus adeò inflammatus emicat, támque profunda divinorum myſteriorum notitia, ut verba defuiſſe videantur auctori, quibûs ſenſus ſuos ſatìs appoſitè ad captum explicaret. Ex hac ſanè epiſtolâ, quæ, inquit D. Hieronymus, ſubtiliſſima eſt, agnoſcas Pauli fervorem, profunditatem, ſpiritum, indolem, videtur enim hîc muſtô plenum ejus pectus altiſſima ſpirare, & convolvere, ut ſublimitatem conceptuum ſuorum ſermo ejus aſſequi non poſſit, nedum exprimere. Hinc præ aliis epiſtolis hæc longas, implexas, & perobſcuras continet ſententias. Stylus grandiloquus & profundus, qualis decebat de altiſſimis myſteriis agentem cum ſapientibus contra philoſophos Platonicos.

Prior pars Epiſtolæ dogmatica eſt, & præcipua fidei noſtræ myſteria olim abſcondita explicat, agens videlicet de redemptione, & juſtificatione noſtrâ per acerbiſſimam Chriſti mortem, de vocatione Gentium, nominatímque Epheſiorum ad veram fidem, juſtitiam, ſalutem præ tot myriadibus aliorum hominum, de prædeſtinatione gratuitâ, de glorificatione Chriſti & corporis ejus, quod eſt Eccleſia. Alterâ parte, quæ ethica eſt, multa copiosè doctéque diſputat de Chriſtianæ vitæ officiis, viros, uxores, parentes, liberos, dominos, ſervos muneris ac debiti quosque ſui diligenter admonens, ad extremum omnes tanquam in militiam Chriſti adſcriptos adversùs impugnationes dæmo-

num armis instruit spiritualibus, hostium vires, artésque describens.

Caput primum orditur ab agendis Deo gratiis de æternâ prædestinatione, quâ proposuit instaurare omnia, quæ in cœlis, & quæ in terrâ sunt, idque per mortem filii sui, ad cujus agnitionem omne quidem hominum genus vocavit, singulari tamen beneficiô, & eximiâ divinæ gratiæ liberalitate gentes atheas in hac prædestinatione Judæis prætulit Deum colentibus. Tum Ephesios excitat ad laudem Dei ter Optimi Maximi, quòd præ aliis gentibus ipsi paucíque alii fideles prædicationem & doctrinam Evangelii, fidem, remissionem peccatorum, omnémque benedictionem cœlestem acceperint. Postemò singulares Deo grates reddit, ob sinceram fidem & charitatem Ephesiorum rogitans eum, ut illorum mentes magis magísque indies collustrare dignetur, quò præcellentiam suæ vocationis, Deíque potentiam grati agnoscant, quæ illos dæmonis imperio subduxit, beneficio tanti sanè æstimando, quantum est illud, quo Deus immortalis filium suum à morte suscitavit, ejúsque sacratissimam humanitatem supra omnes cœlos, & choros Angelorum exaltavit tanquam Caput universæ Ecclesiæ.

Capite secundo extollit eximium illud Dei beneficium, quo Ephesii liberaliter, planéque gratuitò vocati sunt ad fidem ac legem Evangelicam, & vi gratiæ à pristinis sceleribus ad vitæ sanctitatem per baptismum traducti, unáque cum Christo pene à mortuis excitati, novo spiritu animati, & ad spem patriæ cœlestis erecti. Tum ostendit, quòd Christus abolitâ per baptismum Judæorum circumcisione Gentes, quæ prius

priùs alienæ erant à Deo Deique promiſſionibus, unà cum Judæis in unâ eadémque Eccleſiâ ſibi, Deóque conjunxerit, nullo ampliùs inter eos diſcrimine. Inde concludit, gentiles jam non eſſe hoſpites & advenas, ſed domeſticos Dei & concives Angelorum, illúdque admirabile ac myſticum ædificium componere, cujus lapis angularis ſit Chriſtus Dominus, Apoſtoli & Prophetæ reliqui lapides fundamentales, anima verò cujusque templum Spiritûs Sancti.

Capite tertio pergit deprædicare beneficium vocationis Gentilium perinde ac Judæorum ad fidem & Eccleſiam Chriſti, docétque myſterium iſtud hactenus reconditum revelatum fuiſſe apoſtolis, quin ipſos ſpiritus angelicos, quos non latebat, filium Dei humanâ carne induendum ad reparandum à lapſu humanum genus, noviſſimis hiſce temporibûs multas Chriſti adventûs peculiares circumſtantias, quas antea ignoraverant, didiciſſe. Inde anſam ſumit gloriandi, ſe tanti myſterii propalandi Miniſtrum eſſe, atque ab ipſo Deo conſtitutum Doctorem Gentium, quem proinde enixe rogat, conferre velit copioſam Epheſiis illuſtrationem, ut comprehendere valeant longitudinem, latitudinem, altitudinem, profunditatem, verbô immenſitatem ac divitias inæſtimabiles charitatis in Chriſto JEſu, qui eos ad certam notitiam tam reconditarum veritatum, & hæreditatem gloriæ ſuæ vocaverit.

Capite quarto hortatur Epheſios ad morum integritatem, vitæque ſanctimoniam, præcipuè verò ad unitatem ſpiritûs in vinculo pacis, idque 5. argumentîs. 1. quia Chriſtiani omnes unum corpus ſumus, cujus anima

ma Chriſtus. 2. Quia omnes ad eandem hæreditatem cœleſtem vocati ſumus. 3. Quia omnes unum dominum habemus, unam fidem, unum baptiſma. 4. Quia omnes filii ſumus per adoptionem ejusdem patris immortalis. 5. Quia Chriſtus aſcendens in cœlum cuilibet ſuam gratiam diſtribuit, quâ quisque contentus ſit oportet nulli invidens, nihil ambiens. Tum rationem dat, quare in Eccleſiâ ſua quosdam conſtituerit Apoſtolos, quosdam Prophetas, alios Evangeliſtas, alios Doctores, alios Paſtores. Denique monet, ut depoſitâ priſtinâ cœcitate, ſordibúsque flagitioſæ vitæ veterem hominem exuant novúmque in Chriſto induant, eum ſibi in exemplum & objectum aſſiduæ contemplationis proponendo, qui pro ſuis inimicis mortem in cruce oppetere voluit.


Capite quinto iisdem ferme præceptis eos inſtruit dictitans cœlum minimé patere mancipiis Veneris, avaris, aut idolorum cultoribus ab operibus tenebrarum tanquam filios lucis eos avocat, ut qui vitæ innocentiâ & optimis exemplis prælucere debeant gentibus intenti cuſtodiæ ſenſuum, & ſolliciti, ut tempus impoſterum ſanctiùs impendant bonorum operum exercitationem ſuadet, ut convivia fugiant, ubi luxus cum luxuriâ regnat, non vino ſed Spiritu Sancto ſe implendo in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus. Poſtremò de matrimonio loquitur tanquam Sacramento & figurâ conjunctionis illius admirandæ Chriſti Domini cum Eccleſiâ ſuâ, ùt ſponsâ, unde infert Chriſtianis uxoratis incumbere, ut vitæ puritate & dilectione reciprocâ tam ſanctum prototypon imitentur.

Capite

Capite ſexto jubet, ut filii parentibus, ſervi dominis ſincerè & ex animo obtemperent, ac viciſſim ut parentes filiis, ac domini ſervis non, aſperi ac terrici, ſed benevoli ſint, debitámque curam præſtent. Deinde oſtendit, quàm acris nobis ſit lucta cum geniis infernalibus, atque contra eos arma & panopliam Chriſtiani militis aſſignat. Baltheus, inquit, ſit veritas, lorica ſit juſtitia, calceus ſit præparatio & propoſitum firmum Evangelium JEſu Chriſti intrepidè annuntiandi, ſcutum ſit fides, galea ſit ſpes ſalutis, gladius ſit Verbum Dei. Poſtmodum aſſiduum precandi ſtudium commendat pro cunctis fidelibus, præſertim autem pro ſe, ut ſibi Deus conſtantiam gratiámque conferat diverſas carceris, quo tenebatur, moleſtias atque ærumnas forti animô perferendi. Denique Epiſtolam abſolvit conſuetis apprecationibûs gratiæ pacíſque iis, qui JEſum Chriſtum ardenter diligunt.







PARAPHRASIS IN EPISTOLÆ D. PAULI APOSTOLI

AD

EPHESIOS

CAPUT I.

1. *Paulus Apostolus JEsu Christi per voluntatem Dei, omnibus Sanctis, qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo JEsu.*

2. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino JEsu Christo.*

3. *Benedictus Deus*

1. PAulus Dei voluntate, non meis meritis, aut hominum favore Apostolus JEsu Christi omnibus Sanctis, nempe Christi fidelibus in baptismo sanctificatis & ad sanctè vivendum vocatis atque obstrictis, qui Ephesi commorantur, salutem. 2. Gratia sit vobis, & pax à Deo Patre nostro, itémque Domino JEsu Christo. 3. Fratres mei sublatis in coe-

cœlum oculis manibúsque celebremus perpetuò mirificam Dei Patris bonitatem, qui dando nobis JEſum Chriſtum filium ſuum per ejus merita longè præſtantiora nobis contulit beneficia, quàm olim Iſraëlitis, hæc ejus munificentia verè cœleſtis eſt, & planè divina, Chriſtô videlicet ad nos cœlitùs miſſo, qui omni nos bonorum cœleſtium genere locupletans, donísque ſupernis gratiæ, gloriæque liberaliſſimè auxit. 4. In ejus gratiam, antequam prima, ut ita dicam, orbis fundamenta jacerentur, & admiranda illa cœli terræque machina verbo omnipotente è nihilo produceretur, nos elegit, ut eſſemus ſanctitate conſpicui, & omnis prorſus labis expertes (non hominum præcisè, qui extrinſecâ ſpecie facilè decipiuntur, ſed ipſius Dei judiciô ſinceriſſimo utique & exactiſſimo, qui ipſas humani pectoris latebras fundúmque penetrat) ídque non timore pœnæ, ſed reciprocâ & liberali in Deum charitate, quæ eſt vinculum abſolutæ perfectionis. 5. Quam etiam ob cauſam nos pro illo ſua ſponte benevolo & gratuito divinæ voluntatis

& Pater Domini noſtri JEſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cœleſtibus in Chriſto.

4. *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati, in conſpectu ejus in charitate.*

5. *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per JEſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm*

propositum voluntatis suæ.

tatis effectu nos prædestinavit, quos per Christi merita & eorum intuitu adoptaret in filios, non opera nostra etiam præcognita tanquam prædestinationis causam respiciens, sed semetipsum unicè spectans, in quo sapientissimi justissimíque consilii ac beneplaciti admirabiles eásque imperverstigabiles causas invenerat, prædestinavit, inquam, ad eximiam filiorum dignitatem, ut Christo Capiti nostro atque exemplari divino nos membra & imagines illius conformemur vitæ sanctimoniâ

6. In laudem gloriæ gratiæ suæ, in quâ gratificavit nos in dilecto filio suo.

6. in laudem & gloriam perpetuò celebrandæ cœlestis illius gratiæ, quâ nos in illo dilecto suo sibi perquàm gratos, charósque reddidit.

7. In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundùm divitias gratiæ ejus.

7. Pretioso ejus sanguine redempti sumus à servitute peccati, mortis, & diaboli, delicta nostra deleta & debita expuncta, quæ omnia debemus profusæ Dei benevolentiæ, & divitiis gratiæ in nos copiosissimè effusis,

8. Quæ superabundavit in nobis in omni sapientiâ, & prudentiâ:

8. à quâ tanquam ex fonte veræ sapientiæ & cœlestis cujusdam prudentiæ in nos redundavit quasi oceanus, mentes enim nostras supra consuetas naturæ vires elevavit, & omnem inde ignorantiæ cali-

caliginem diſpulit. 9. Ut agnoſcerent grande illud, & ineffabile amoris arcanum, & divinum illud ac reconditum voluntatis ſuæ decretum, quod per filium ſuum verum mediatorem & unicum Redemptorem noſtrum executioni dedit juxta gratuitam ſuam benevolentiam, quam apud ſe conſtituit, ſecretámque tenuit, 10. usquedum poſt tot ſæcula evoluta tempus ad id deſtinatum adfuit. Multa in figurâ hactenus & umbrâ contemplati fueramus, nunc ipſam veritatem adumbratam detegere & quaſi oculis ſubjicere placuit, multa pollicitus fuerat, nunc promiſſa ſimul omnia exequi voluit, beneficia multa electo populo ſuo præſtiterat, nunc recolligere omnia ſtatuit, & quaſi in compendium redigere. Homines & Angeli disjuncti erant non tantùm naturæ conditione, ſed etiam gratiâ & gloriâ, hi enim ſancti erant, & cæleſti jam beatitudine fruebantur, illi autem peccatores miſeri, iræque divinæ filii, hos ergò & illos arctiſſimâ denuo amicitiâ conjungi ſub uno eodémque capite Chriſto voluit, atque ita ruinas & ſedes vacuas

9. *Ut notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ, ſecundùm beneplacitum ejus, quod propoſuit in eo.*

10. *In diſpenſatione plenitudinis temporum, inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis, & quæ in terrâ ſunt, in ipſo.*

cuas angelorum per homines prædeſtinatos reſtaurari atque impleri.

11. *In quo etiam & nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ:*

11. Per ipſum, ejúſque ſolius merita vocati ſumus in partem hæreditatis, quæ illi ſoli, ùt naturali, & unigenito filio debetur. Pater ejus cœleſtis, qui ex gratuitâ voluntatis ſuæ determinatione omnia diſponit, prædeſtinavit nos Judæos, ut primi per fidem ac ſpem ei adhæreremus,

12. *Ut ſimus in laudem gloriæ ejus nos, qui antè ſperavimus in Chriſto:*

12. atque ita ſalus noſtra in ejus gloriam & honorem redundaret quemadmodum enim Prophetarum oraculis nobis promiſſus fuerat, ita nobis præ aliis cœleſtis ejus doctrina promulgata fuit,

13. *In quo & vos, cùm audiſſetis verbum veritatis (Evangelium ſalutis veſtræ) in quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto.*

13. quæ illa ipſiſſima eſt, quàm à nobis oretenus percepiſtis, quando Evangelium vobis annuntiavimus, quod verba veritatis vitæque æternæ complectitur, fidem illi præſtiſtis non absque fructu uberrimo, tabularum enim inſtar obſignati eſtis non ſignô corporali velut pecudes, ſed ſpiritu illo ſancto quondam promiſſo, ſive dum aſpectabili ſpecie ejus munera in vos effudit, ſive dum fidei beneficiô juſtificatos nunc ſuæ gratiæ præſidiô juvat ad hoſtes debellandos

dos, ut appareat vos ſpiritu divino plenos ad populum Dei & ſortem ſanctorum pertinere, 14. qui profectò ſpiritus eſt velut arrhabo hæreditatis nobis promiſſæ, pignúſque tantiſper ſecuturæ felicitatis, quo ſecuros nos eſſe juſſit, nos ex integro & irrefragabili titulo ipſius eſſè, qui nos redimendo ſui juris fecerit, ſibique ùt rem propriam acquiſierit, ut per hanc redemptionem ejus erga nos beneficientia ac potentia magno divinæ gloriæ incrementô eluceſceret. 15. Quare magnopere gaudeo, mihíque gratulor, cùm integram inaudio, quam ei ſervatis fidem, firmámque quam in eo collocatis fiduciam, ac denique eximiam in omnes Sanctos, ſeu Chriſtianos charitatem 16. neque deſino immortales Deo gratias agere pro beneficiis in vos collatis, eíque enixè vos commendare faciendo vota pro veſtrâ ſalute, quia tamen parum eſt bene cœpiſſe, niſi cœpta continuentur, 17. illud etiam atque etiam ſupplex poſtulo, ut cœleſtis Pater Domini noſtri JEſu Chriſti, ille, inquam, Deus immenſæ cujuſdam Majeſtatis gloriâ circumfuſus perſeverantiam vobis tribuat,

14. *Qui eſt pignus hæreditatis noſtræ, in redemptionem acquiſitionis in laudem gloriæ ipſius.*

15. *Propterea & ego audiens fidem veſtram, quæ eſt in Domino JEſu, & dilectionem in omnes ſanctos,*

16. *Non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis:*

17. *Ut Deus, Domini noſtri JEſu Chriſti pater gloriæ det vobis ſpiritum ſapientiæ, & revelationis in agnitione ejus.*

buat, & divinæ sapientiæ lucem, ut cœlestia illa arcana, atque abdita fidei mysteria, quæ humanæ mentis vi atque intelligentiâ percipi nequaquam possunt, cognitione complectamini quoad ejus fieri potest, idque non aliam ob causam, quàm ut ineffabilis illa divinitas quotidie magìs magisque cognoscatur, ametur, ac colatur.

18. *Illuminatos oculos cordis nostri, ut sciatis, quæ sit spes vocationis ejus, & quæ divitiæ, gloriæ hæreditatis ejus in sanctis,*

18. Atque insuper sciatis altiori lumine collustrati, quàm multa sint vobis ab illius vocatione exspectanda, quámque opulenta, splendida, magnifica sit gloria cœlestis, quam jure quasi hæreditario omnibus in Christo sanctificatis promissam & propositam esse voluit.

19. *Et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus secundùm operationem potentiæ virtutis ejus,*

19. Et sanè sensus omnes & humanæ intelligentiæ aciem transcendit præpotentia & efficacia virtutis illius admirabilis, quâ tenebras nostras dissipavit, vincula disrupit, dæmonum vires infregit, & in cordibus nostris Evangelii lucem accendit. Nihil est in rerum naturâ, quod ejus nutui se se opponere ausit: si mortuos ex sepulchris evocat, ad ejus exurgunt imperium, at verò cor hominum frœni impatiens, & in omnem licentiam effusum rebelle est ac re-

refractarium ejus stimulis, legibus, atque comminationibus, ut proin ausim dicere, virtutem illam, quâ eorum obstinationem frangit, & ad meliora ac saniora consilia revocatos jugo fidei legísque Christianæ subjicit, illi neutiquam cedere, 20. quam exercuit in Christo, cùm eum à morte suscitavit, & redivivum ad dexteram suam in cœlesti solio collocavit 21. supra omnem principatum & potestatem, & virtutem ac dominationem, denique non solùm supra omnes genios chorósque angelorum, quorum nomina nobis impræsentiarum utcunque nota sunt, sed illorum etiam, quos in cœlesti patriâ licebit primùm noscere. 22. Ut adeò omnia, tum quæ sensibus nostris impervia sunt, tum quæ illis exposita, cœlestis Pater ad pedes filii sui abjecerit, eúmque tanquam omnium Caput tum militanti tum triumphanti Ecclesiæ præfecerit, 23. quæ quidem est veluti corpus & complementum ejus, cùm neque corpus integrum sit sine Capite, neque caput sine corpore, sumus autem membra hujus corporis, & corpus hujus capitis; omnem nobis motum,

20. *Quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus:*

21. *Supra omnem principatum & potestatem, & virtutem & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro.*

22. *Et omnia subjecit sub pedibus ejus: & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam,*

23. *Quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.*

tum, vigorem, atque vitam tribuit, & quemadmodum ab eo, quidquid ſumus, agimus, ſperamus, neceſſariâ & immutabili lege dependet, ita convenit nobis vel maximè, ut tanti beneficii memoriam aſſiduâ gratiarum actione conſervemus, & amore reciproco compenſare pro viribus allaboremus.

PARAPHRASIS

CAP. II.

1. *Et vos, cùm eſſetis mortui delictis, & peccatis veſtris,*

1. ET verò, fratres mei, utilius nihil, nihil majoris momenti revolvere mente poſſumus, quàm favores à Patre cœleſti acceptos, quos, tametſi fortaſſis importunus moleſtúsque audiam monitor, non deſinam tamen identidem refricare, ut animis veſtris infigam altiùs nunquam obliterandos. Exiſtimo ſanè ad dignam eorum æſtimationem concipiendam ſufficere, ſi conſideretis miſeram ſortis veſtræ conditionem, è quâ denique emerſiſtis. Vitam ducebatis communem

nem illam cæteris animantibus, quæ videlicet naturæ corruptæ viribus ſtimuliſque conſuetis reſponderet, 2. adeóque flagitiîs ita inquinatam, ut mortui quodammodo eſſetis, ac veræ gratiâ vitæ deſtituti. Mundi dictamina ſectati Principi tenebrarum obtemperabatis, cui poteſtas aëris permiſſà, & imperium plusquàm tyrannicum in eos, qui faſcinati & increduli lucem veritatis Evangelicæ reſpuunt. Jure poſſem redargui, ſi vos tantummodò reprehenſione hac perſtringere intenderem. 3. Fateor, proh dolor, commune fuiſſe omnium vitium, & eandem totius veluti naturæ labem, adeoque & nos Judæos, atque inter hos primo locô me connumerandum, qui fœdis olim cupiditatibus dediti, flagitiiſque impliciti ea omnia ſtudiosè conſectati ſumus, quæ ſenſus, animíque noſtri cogitationes turpi titillatione demulcerent, digni ſanè, quos Deus malorum vindex irâ, odio, & omni ſuppliciorum genere perſequeretur, ùt cæteros fere mortales, quos tamen præ nobis contemnere ſolebamus ob generis noſtri ſanctitatem, ſed immeritò, in

2\. ***In quibus aliquando ambulaſtis ſecundùm ſæculum mundi hujus, ſecundùm principem poteſtatis aëris hujus, ſpiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ.***

3\. ***In quibus & nos omnes aliquando converſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum, & eramus naturâ filii iræ, ſicut & cæteri:***

in eandem ſiquidem omnes & ſcelerum & calamitatum abyſſum eramus prolapſi, ſique ſolis naturæ viribus fuiſſemus relicti, actum erat, perieramus æternùm.

4. *Deus autem, qui dives eſt in miſericordiâ, propter nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit nos,*

4. At verò Deus qui miſericordiâ abundat, nullâ pœnæ à nobis debitæ, ſed immenſæ & flagrantiſſimæ charitatis ſuæ, quâ nos ante omnem æternitatem proſecutus eſt, ratione habita

5. *Et cùm eſſemus, mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto (cujus gratiâ eſtis ſalvati)*

5. etiam quo tempore vitiis atque ſceleribus obſtricti non ſolùm ab illo alieni, ſed planè quaſi mortui, & extincti jacebamus, cùm ab inferis Chriſtum excitavit, nóſque ad ipſius fidem & gratiam vocavit, unà quodammodo cum illo nos vitæ reſtituit per illum ipſum, cujus vos præpotenti gratiâ ſalutem conſecuti eſtis,

6. *Et conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto JEſu.*

6. & cum eo aliquando, ſi cœptum vitæ ſanctioris curſum tenueritis, ſecundùm factam promiſſionem in cœleſti patriâ beati ſedebitis & regnabitis: ipſe quidem tanquam omnium noſtrûm Caput dexter Deo, Patri aſſidet ſupra omnes ſupremas illas & angelicas mentes elatus, nóſque quaſi membra ſua ad eandem dignitatem conſcenſuros præſtolatur.

7. *Ut oſtenderet in ſæculis ſupervenientibus abundantes divitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto JEſu.*

7. Quòd ſi ex me quæritis, cur

cur tam benevolè ac liberaliter vo-
biſcum agat, & ad tantum faſti-
gium gloriæ elevet, reſpondeo, hæc
omnia eum præſtitiſſe, atque
etiamnum præſtare, ut ſæculis ſe-
quentibus divinæ ſuæ gratiæ im-
menſas opes oſtenderet, fructúsque
admirabiles benignitatis ſuæ perci-
piendos per filium ſuum unigeni-
tum, quem cuncti mortales ali-
quando conſpicient ſupra omnes
angelorum choros exaltatum. 8.
Hoc autem tam amplum benefi-
cium prorſus liberaliter, atque gra-
tuitò nullóque modo merentibus
nobis collatum eſt, gratiâ enim ſa-
lutem conſecuti eſtis per Chriſti
fidem, quæ ipſa non ex viribus
naturæ, liberíve veſtri arbitrii, aut
meritis operum præcedentium ha-
betur, cùm ſit ſingulare Dei mu-
nus, & hic ipſe voluntarius ac liber
conſenſus credentium non poſſit
elici, niſi gratuitâ illuſtratione di-
vinâ præveniantur, excitentur, &
roborentur. 9. Hæc vobis ſcribo
& inculco, ne quis inani gloriæ
ſtudiô elatus tum evaneſcat ipſe,
tum omni fructu atque utilitate
privetur. 10. Siquidem quidquid
aut ſumus, aut poſſumus, id pro-
fectò

8. *Gratiâ enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt,*

9. *Non ex operibus, ut ne quis glorietur.*

10. *Ipſius enim ſumus factura, creati in*

Christo JEsu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.

fectò nihil est aliud, quàm divinæ munificentiæ opus, quæ è nihilo productos in hoc terrarum orbe collocavit, longè autem præstantiori beneficiô cumulavit, dum nos ad inexpectatam filii sui notitiam adductos melioríque quia sanctiori vitâ donatos quodammodo denuo procreavit eo consilio, ut quæcunque rationi ac legi divinæ consentanea sunt, secundùm auxilia gratiæ in eum finem collata, exerceamus strenuè, atque in semitis innocentiæ ac justitiæ ambulemus imposterum, neque ad dexteram, neque ad sinistram deflectendo.

11. *Propter quod memores estote, quòd aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini præputium ab eâ, quæ dicitur circumcisio in carne, manu factâ.*

11. Cupio autem, vos frequenter in memoriam revocare hoc singulare beneficium, quod accepistis à Christo, ut vos tam eximio benefactori gratos exhibeatis: propterea mementote, quales olim fueritis, nempe belluarum more vixistis fœdissimis carnis voluptatibus immersi, neque alio, quàm præputii, seu incircumcisorum nomine vocabamini ab iis, qui externam corporis circumcisionem colunt.

12. *Quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conversatione Israel, & hospites testa-*

12. Mementote, inquam, vos illo tempore fuisse absque Christo, nempe ejus cognitione, lege, gratiâ destitutos, prorsus alienos

nos ab instituto vitæque ratione populi Israëlitici, qui illius adventum sollicitè exspectabat, extraneos à pactis conventis, quibûs ejus promissa continebantur, & ut cuncta uno verbo complectar, in hac mortali vitâ planè sine Deo, utpote falsorum Numinum cultui cœcâ superstitione perquàm addictos. 13. At nunc longè mutatâ rerum facie vos, qui à verâ religione procul eratis, per Christi sanguinem pro salute vestrâ ad ultimam usque guttam effusum ad illum propiùs accessistis, adeo ut nunc arctissimè illi conjuncti, fratres ejus nuncupari possitis. Inter Judæos & Gentiles implacabilis vigebat discordia, circumcisio siquidem, quam illi religiosè colebant ùt sanctioris & electi populi notam, & isti ùt propudiosam aversabantur, & turpiculam, instar parietis se habebat utrumque populum separantis & impedientis, quò minùs conjungeretur. 14. Christus autem mediator pacificus nos Deo conciliavit, mutuas inimicitias sustulit, fecitque, ut utraque natio in unum veluti corpus coiret, destructo septô parietis, omnemque simultatem

mentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo.

13. *Nunc autem in Christo JEsu, vos, qui aliquando eratis longè, facti estis prope in sanguine Christi,*

14. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne suâ:*

15. *Legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum, novum hominem, faciens pacem.*

16. *Et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.*

17. *Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem iis, qui propè.*

tatem corporis sui in crucem suffixi objectu ac morte penitus abolevit, 15. legem videlicet veterum præceptorum, quæ diversissimis ritibus continebatur, & mortem reis intentabat, novâ conditâ lege, novisque decretis abrogans, ut duos populos concordes jam factos in unum novum hominem quasi in novitate scilicet vitæ ambulantes conflatos egregius pacificator in semetipso reconderet tanquam sibi unico Ecclesiæ capiti subjectos, à quo diversa membra corporis unitatem accipiunt, 16. atque adeo per meritum suæ passionis extinctâ inimicitiâ, quæ ex peccato inter Deum & hominem intercesserat, utrumque populum in unum veluti corpus, nempe Ecclesiam suam coactum divinóque suo spiritu animatum Deo immortali conciliaret. 17. Cúmque venisset in hunc mundum tanquam cœlestis caduceator à Deo missus, pacem hanc auspicatissimam læto præconiô promulgavit non solùm Judæis qui Deo propinqui erant per ejus notitiam, & legem ab eo acceptam, sed etiam qui procul eratis à verâ religione, cultúque Dei.

Dei; 18. adeò ut per ipsum tanquam communem pacificatorem, mediatorem ac redemptorem habeamus aditum & accessum liberum tanquam filii ad patrem utrisque reconciliatum duce uno eodémque Spiritu Sancto, qui non solùm Spiritus est pacis & concordiæ, quâ inter nos uniamur, verùm etiam spiritus adoptionis filiorum, quâ Deo ùt patri conjungimur. 19. Quamobrem non estis ampliùs hospites & peregrini, sed cives Sanctorum perinde ùt Spiritus Angelici Deíque familiares ac domestici, cui vobis semper præsenti tanquam patri omni cum fiduciâ indigentiam vestram exponere potestis, & opem quamprimùm desideratam obtinere, cives, inquam, non tantùm in eandem cum illis Ecclesiam adscripti, sed ad eandem quoque gloriam cœlestem destinati. 20. Superstructi, supérque impositi fundamento admirandi illius ædificii, nempe Ecclesiæ, cujus Prophetæ Evangelicam doctrinam prædixerant, Apostoli verò promulgaverant, cujus lapis primarius & angularis est Christus ipse Dominus, 21. in quo quidem totum hoc spiri-

18. *Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem.*

19. *Ergò jam non estis hospites & advenæ, sed estis cives Sanctorum & domestici Dei.*

20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo JEsu,*

21. *In quo omnis ædificatio constructa cres-*

cit in templum sanctum in Domino:

spirituale ædificium congruenter coagmentatum consurgit & crescit in templum sanctum Deo consecratum, quod ipse inexpugnabile reddidit contra omnes inferorum assultus.

22. *In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu.*

22. Cujus cùm & vos pars non exigua sitis, quilibet vestrûm seipsum consideret ùt templum veri Dei, & domicilium Spiritûs Sancti qui suâ gratiâ & charitate quasi glutino & calce fideles omnes tam Gentiles quàm Judæos conglutinat & coagmentat, ut faciant unum parietem, unam domum, unam Ecclesiam. Attendite ergò, ne profanetis aut polluatis cor vestrum, in quo, quem cœli cœlorum capere nequeunt, residere dignatur, & scitote illum tanquam absolutum dominum sibi soli illud reservare exclusô cujuscunque rei creatæ consortio, & in illam affectu, nec non flagitii qualiscunque, cujus severissimus vindex est, turpissimâ maculâ.

PARA-

PARAPHRASIS

CAP. III.

1. UT ergò arctissimâ unione JEsu Christo adhæreatis, & in præclari hujus ædificii, de quo modò sermonem intuli, erectionem & constructionem vos quoque assùmi valeatis, idcirco Romano carcere modò detineor, vinculísque adstrictus sum mihi longè acceptissimis propter defensionem nominis ac gloriæ Domini mei Servatoris, vestræque salutis procurationem, 2. scire enim vos percupio, fratres mei, divinâ providentiâ atque consilio ministerium vobis prædicandi Evangelii peculiariter mihi commissum. 3. Quando ipsi placuit me Ecclesiæ suæ aggregare, palámque manifestare, quàm præpostero & præfervido zelô ac furore illam insectatus fuerim arcanum illud divinum mihi per revelationem etiam Gentes doctrinæ Evangelicæ recipiendæ capaces esse. Equidem in hac ipsâ epistolâ jam bre-

1. *Hujus rei gratiâ, ego Paulus vinctus Christi JEsu pro vobis Gentibus.*

2. *Si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis:*

3. *Quoniam secundùm revelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut suprà scripsi in brevi.*

breviter vobis aliquid insinuavi, de hoc ipso mysterio vocationis vestræ ad fidem & Ecclesiam Christi.

4. Prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi:

4. Quòd si fortè paulò obscuriùs illud explicui, & verbis usus sum ejus magnitudini haud æquâ proportione respondentibus, id equidem feci, ut me scitè attemperarem imbecillitati vestræ, veritatem tam sublimem non nisi pro tenui captu intellectûs vestri communicando.

5. Quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus, & Prophetis in Spiritu.

5. Quod quidem mysterium per multa retro sæcula non ita clarè ac perspicuè notum erat Patriarchis atque Prophetis, sicut nunc per revelationem cognitum est Apostolis Christi Domini, utpote quibus multæ, singulares, ac determinatæ circumstantiæ hujus mysterii partim à Christo cum ipsis adhuc conversante, partim à Spiritu Sancto post Christi ascensionem in cœlum patefactæ sunt, quas obscurè tantùm & sub velamine cognoverant Prophetæ veteris Testamenti.

6. Gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis ejus in Christo JEsu per Evangelium:

6. Et Apostoli quidem satis dilucidè docuêre, Gentes ejusdem hæreditatis esse participes, ejusdem mystici corporis membra, earundem denique promissionum fidei in Christum, & Evangelicæ pro-

professionis beneficio consortes.

7. Et hujus quidem faustissimi nuncii singulari Dei clementiâ datus sum vobis Minister, quem in finem, ut illo officio ritè & cum optato fructu fungerer, multiplici me rerum divinarum notitiâ, animi constantiâ, potestate mira patrandi aliisque necessariis præsidiis me abundè instruxit. Sanè cùm oculos conjicio in vitam præteritam, atque reminiscor, quanto furore eas veritates impugnaverim, pro quarum defensione summo mihi nunc honori duco vincula & ærumnas carceris, vehementer confundor, neque satìs admirari atque deprædicare possùm ineffabilem Dei erga me benevolentiam.

7. Cujus factus sum minister, secundùm donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundùm operationem virtutis ejus.

8. Quamvis enim fidelium omnium sim longè infimus, cœleste tamen hoc munus omnibus Gentibus promulgandi incomprehensibiles divitias & beneficia, quæ per Christi meritum nobis abundantissimè velut ex infinito thesauro à Deo conferuntur.

8. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi,

9. Itaque destinatus sum ab eo, ut omnibus veræ fidei ac religionis lucem afferam, & attentiùs considerandum proponam ineffabile hoc mysterium, quod su-

9. Et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creavit.

perio-

perioribus sæculis absconditum erat & quasi clausum in unius Dei, qui universa condidit, scientiâ.

10. *Ut innotescat principatibus & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.*

10. Supremi quidem & infimi angelorum ordines jam ejus substantiam noverant, postquàm autem Ecclesia Dei cœlestibus charismatis & benedictionibûs mirum in modum cumulata fuit,

11. *Secundùm præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo JEsu Domino nostro:*

11. quas ex æternâ præfinitione per Christum Dominum ejus Caput illi communicare statuerat, & modò inter membra sui Corporis tot Gentiles numerat, quos etiam ipsis Judæis utcunque tempore ac promissione prioribus prætulit, postquàm ergò oviculæ, quæ videbantur derelictæ, nunc congregatæ sunt sub uno supremo pastore, & extranei in partem hæreditatis admissi sunt, ex hoc ipso, inquam, rerum eventu, felicíque Ecclesiæ progressu clariùs agnoscunt causas, ordinem, atque reliquas Incarnationis & Vocationis Gentium circumstantias ignotas hactenus, & quasi in speculo contuentur multiplicem & in effectibus suis prorsùs admirandam sapientiam Dei immortalis, nec non immensam erga homines charitatem, pro quibus proprium filium in

in mortem tradidit. 12. Ipſe eſt, in quo ſpes omnes noſtras locatas habemus depoſitis atque ſopitis jam omnibus anguſtiis, remorſibúſque conſcientiæ, cujus beneficiô per fidem ipſius ad cœlum oculos attollere, atque ad thronum Dei Patris magnâ omnino confidentiâ liberè & intrepidè accedere poſſumus, rebúſque afflictis opem expoſcere, & obtinere. 13. Quapropter vos etiam atque etiam obteſtor, ne animos deſpondeatis aut perturbemini ob eas vexationes & moleſtias, quibûs aſſiduè premor, quáſque Dei causâ, ac pro omnium Gentium ſalute non ſolùm æquo ſed etiam libenti animô perfero, cùm potiùs exultandum atque gloriandum vobis ſit, quòd tanti vos faciat Deus, ut pro veſtrâ ſalute, fideíque propagatione nos Apoſtolos ſuos adverſa quæque tam ſtrenuè ac fortiter tolerare velit. Scio equidem Chriſtianam hanc animi conſtantiam, ad quam vos exhortor, donum eſſe cœlitùs nobis collatum, nihilque infirmius eſſe voluntate humanâ, ſi propriæ naturæ viribus ſe ſuſtinere velit. 14. Quam ob cauſam, ut dixi, flecto genua mea ad Patrem Domi-

12. *In quo habemus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem ejus.*

13. *Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis: quæ eſt gloria veſtra.*

14. *Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad Pa-*

trem Domini nostri JEsu Christi,

Domini nostri JEsu Christi, ab eóque precibûs assiduè contendo, ne vincula mea quemquam vestrûm deterreant, aut à susceptâ fide ac religione revocent.

15. *Ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terrâ nominatur,*

15. Illum, inquam, omnium Parentem vobis opto propitium, ex quo tanquam primo exemplari atque causâ efficiente omnis tam angelicarum mentium procreatio, quàm sive Judæorum, sive Gentilium adoptio ac paternitas tanquam à patre omnium primo & universali profluit ac dimanat.

16. *Ut det vobis secundùm divitias gloriæ suæ virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem.*

16. Ut in vos effundat divitias gloriæ suæ, animíque robur conferat, quò divini spiritûs munere in interiori homine seu gratiæ cœlestis incrementô confirmati in instituto vitæ sanctioris cursu fortiter & constanter perseveretis,

17. *Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati & fundati,*

17. útque Christus ipse jam in animis vestris per fidem conceptus in iisdem perpetuò inhabitet, & per charitatem latè diffusam firmas atque altiores quotidie radices figat,

18. *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum:*

18. atque ita cum cæteris fidelibus seriò possitis perpendere, dignéque æstimare, quæ sit latitudo, & longitudo, & profunditas, & sublimitas, id est, quàm sit hoc nostræ redemptionis opus, quo nos Christus in pristinam liber-

bertatem asseruit, omnibus suis numeris atque partibus absolutum, longitudo scilicet ab æterno proveniens, latitudo erga omnes homines protensa, profunditas ad inferni novissima descendens, sublimitas in cœlum usque assurgens, ibíque divinam iram mitigans, & mortales inde olim exclusos ad replendas vacuas Angelorum sedes immittens.

19. Quantácunque subtilitate & acumine sit prædita intelligentia humana, non valebit perfectè assequi amoris magnitudinem, cujus impulsu Dei immortalis filius è throno descendere voluit, ut nos illum conscenderemus, vinculis ligari, ut nostra dissolveret, majestate suâ se exuere, ut ejus plenitudine & dignitate impleremur, intellectum nostrum collustrare, voluntatem succendere, atque ad veri Dei cognitionem cultúmque adducere, sine quo nulla salus, nulla animi tranquillitas, felicitas nulla. Quæramus, quantùm libuerit, quid pro virium nostrarum tenuitate præstare valeamus, ut ei pro meritis utcunque satisfaciamus, nihil planè inveniemus, quod ex æquo respondeat immensæ ejus charitati.

20. Præter illos favores, quos ab eo

19. Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.

20. Ei autem, qui potens est omnia facere

superabundanter, quàm petimus, aut intelligimus, secundùm virtutem, quæ operatur in nobis:

eo expetimus, per illam immensam potentiam, quæ principium est omnium meritorum nostrorum, longè plura potest præstare, quàm aut nos postulare, aut mente concipere possimus. 21. In omne igitur ævum universa Ecclesia glorificet Patrem cœlestem, qui pro suâ incomprehensibili bonitate voluit, ut primum ejus fundamentum esset ejus unigenitus filius, cujus amore & gratiâ illam tot beneficiis, ac favoribûs locupletavit, & nunc quidem florentem æternâ aliquando gloriâ coronabit.

21. *Ipsi gloria in Ecclesia, & in Christo JEsu in omnes generationes sæculi sæculorum, Amen.*

PARAPHRASIS

CAP. IV.

1. *Obsecro itaque vos, ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis.*

1. PArum est nôsse, quantis beneficiis vos affecerit Dominus, nisi etiam quid vicissim in testimonium animi grati ei debeatis, noveritis, siquidem tot favorum vobis exhibitorum magnitudo, & vocationis præcipuè vestræ ad fidem, gratiam, & gloriam excellentia, qualis

lis in præcedentibus declarata eſt, ingratitudinem veſtram tantò graviorem redderet, ſuppliciòque æterno digniſſimam. Quòd ſi animas veſtras, actus omnes, ipſáſque mentis cogitationes ejus obſequio amoríque penitus addiceretis, id ſcilicet ei redderetis, quod plurimis jam aliunde titulis ipſi debebatur. Quare, fratres mei, vos etiam atque etiam obſecrando exhortor per illam ſollicitudinem, quâ ſalutem veſtram procurare vos oportet, pérque vincula, quibûs amore Domini noſtri JEſu Chriſti detineor, ut eam vitæ rationem ineatis ipſi, quæ tam ſublimi vocationi, tot acceptis in hac vitâ mortali gratiis, & promiſſæ in alterâ immortali remunerationi ex æquo reſpondeat. 2. Cum omni modeſtiâ, manſuetudine, animi lenitate alter alterius mores charitatis ergò ferendo, licèt ſibi ſuæque conditioni diſſimiles, licèt ruſticos, licèt aſperos, licèt petulantes, licèt moroſos atque tetricos, 3. Omníque ſtudiô ac ſollicitudine conando ſervare unitatem ſpiritûs, eundémque ſenſum ac mentem indiſſolubili pacis vinculo ad-

2. Cùm omni humilitate & manſuetudine, cum patientiâ ſupportantes invicem in charitate,

3. Solliciti ſervare unitatem Spiritûs in vinculo pacis.

adstrictam.

4. Unum corpus, & unus Spiritus, sicut vocati estis in unâ spe vocationis vestræ.

4. Siquidem unum est corpus, unóque spiritu in hoc unum idémque corpus vos omnes coagmentati estis, ut jam alii ab aliis dissidere odiô minimè debeatis, sed mutuam animorum consensionem colere, qui ad eundem finem felicitatis, adeóque & pacis semper perennaturæ sperando tenditis.

5. Unus Dominus, una fides, unum baptisma.

5. Neque verò de hoc vocationis vestræ fine ulla potest esse disceptatio, siquidem unus omnibus est dominus redemptor noster Christus, una fides, quam omnes sequimur, unum baptisma, quo regeneramur.

6. Unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.

6. Unus verò potissimùm Deus, & omnium mortalium parens, qui est super omnes dominandi potestate, & per omnia immensitate ac providentiâ suâ diffusus, nobis verò peculiari quadam ratione per gratiam justificantem intimè præsens.

7. Unicuique autem nostrûm data est gratia, secundùm mensuram donationis Christi.

7. Quamvis autem tanta sit inter nos conjunctio & unitas, unicuique tamen nostrûm concessa est divinitùs certa quædam gratiæ portio pro eâ mensurâ ùtùt diversâ semper tamen æquissimâ, quam Christo Domino placuit elargiri, ut adeò nemo propterea extolli, quòd majorem, nemo conqueri

queri,. quòd minorem acceperit, aut aliis invidere debeat, cùm æqualiter nos omnes indignos invenerit, noſtrúmque non ſit ejus poteſtati ampliſſimæ ac ſapientiæ infinitæ certos pro arbitrio noſtro præſcribere terminos. 8. Inde eſt, quòd Propheta regius eam munificentiam olim prævidens exclamavit, cùm aſcendiſſet in ſublime, captivam illum duxiſſe ingentem captivorum multitudinem, quos nempe devictæ mortis faucibus eripuerat, cunctiſque mortalibus cœleſtia munera liberaliter impertiiſſe. 9. Cæterùm quòd ait, aſcendiſſe illum, quid quæſo aliud innuit, quàm ipſum priùs in imas partes terræ, atque infimam mundi regionem deſcendiſſe, ubi tot Patriarchæ & Prophetæ adventum liberatoris ac triumphatoris ſui flagrantiſſimè præſtolabantur, quare fratres mei, ſi cum illo aſcendere vultis, deſcendite priùs ejus exemplô in profundiſſimam contemplationem fragilitatis ac inopiæ veſtræ, & inde reſultantem divinæ opis, atque gratiæ neceſſitatem. 10. Et ſanè non abſque ratione priùs deſcendit, quàm ſupre-

8. *Propter quod dicit: aſcendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.*

9. *Quòd autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ?*

10. *Qui deſcendit, ipſe eſt, qui & aſcendit*

super omnes cælos, ut impleret omnia.

premos cœlos conscenderet ad stabiliendum ibi solium Majestatis ac gloriæ suæ, & inde amplissimam Angelorum ac Beatorum omnium Curiam considerandam, qui expleri non possunt clarissimo ejus intuitu: hunc enim ordinem servavit, ut sacrarum inprimis litterarum oracula, quibûs prædictus fuerat, impleret, & opus nostræ redemptionis absolveret, cujus gloriosa hæc in cœlum ascensio complementum est atque coronis, ut virtutem præterea atque officium pretiosi sui sanguinis infra, & supra terram, nec non in ipso cœlo empyreo ostenderet, & inde nobis divini sui Spiritûs munera liberaliter submitteret, ut etiam per Evangelii sui prædicationem in omne genus hominum triumphantis in morem principis altissimum ac supremum suum dominium exerceret, ut denique spectabilem se & adorabilem redderet splendore nominis sui per insignia victoriæ ac potentiæ suæ ubique locorum & gentium, quæ ipsum venerantur & colunt. Tametsi verò Ecclesia militans visibilem ejus præsentiam non habeat, divinam tamen

tamen amoris, quo eam proſequitur ac ſupremæ directionis aſſiſtentiam perpetuò experitur, cùm ſemper ejus Caput perſiſtat. 11. Cujus etiam providentiâ ſingulari componitur ex diverſis claſſibus, ex Apoſtolis, Prophetis, Evangeliſtis, Paſtoribus atque Doctoribus, qui omnes ac ſinguli ſuo funguntur officiô pro ratione debiti, 12. ut fideles, quorum inſtitutioni deſtinati ſunt, ad eximiam vitæ ſanctimoniam perveniant, & corpus hoc myſticum, cujus ipſe Caput eſt, ædificium hoc admirandum, cujus ille lapis angularis eſt, non modò ſibimet conſtet, ſed majora in dies incrementa capiat. 13. Hæc miniſteriorum ac officiorum varietas vigebit in Eccleſiâ, donec omnes, qui unam eandémque fidem profitentur, unum ovile conſtituant ſub uno paſtore, ſummámque illam conjunctionem aſſequantur, quæ fidei Chriſtianæ quaſi vinculô adſtringitur, ut nullæ partes hient, nihil ſit luxatum, nihil non ſuo locô aptè collocatum & cohærens, denique ita in fide & divinorum myſteriorum cognitione proficiamus, ut perfectam Chriſti

11. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem paſtores & doctores,*

12. *Ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti:*

13. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti:*

ſti notitiam ac dilectionem aſſequamur, in quâ videlicet plena menſura ſeu ſtatura, & matura ætas hominis Chriſtiani conſiſtit. Eò tendit & ordinata eſt iſthæc diverſitas in hoc myſtico corpore. Si ulteriùs aliam hujus rei cauſam expoſcitis, 14. hanc vobis ediſſero, ut non ampliùs puerorum more huc illuc fluctuemus, & circumferamur in omnem partem quavis novæ doctrinæ nobis afflatæ aurâ ac impulſu, ídque per nequitiam perverſorum hominum, qui veteratoriâ quadam ad inſidiosè fallendum verſutiâ nos circumvenire, & in damnatos errores pertrahere conantur. 15. Sed veritatem unà ac ſinceram doctrinam cum charitate ſectantes demus ſanè operam, ut per omnia virtutum genera creſcamus in Chriſto, ſeu ex virtute & influxu illius, qui eſt caput omnium membrorum Eccleſiæ. Hæ rationes meo quidem judiciô ſatìs demonſtrant, præfati ordinis atque diverſitatis inſtitutionem ex benignitate ac providentia divinâ profluere. Priusquàm verò ad aliud argumentum digredior, exemplum quoddam ſatìs fami-

14. *Ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in aſtutiâ ad circumventionem erroris,*

15. *Veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus:*

familiare & obvium proponam. Quando membra humani corporis mutuò conjuncta ſunt per nervos, tendines, & muſculos, ex cerebro influxum recipiunt eorum ſpirituum, qui inibi præparantur in eâ quantitate, quæ cuilibet neceſſaria eſt pro ſuâ functione, ex quo perfectio & conſervatio totius corporis phyſici reſultat. 16. Non abſimili ratione ex fidelibus, qui Eccleſiam Chriſti conſtituunt, mutuò unitis, ſibíque per diverſa miniſteria & charitatem cohærentibus quilibet à Chriſto Domino tanquam Capite hujus myſtici corporis gratias, & auxilia neceſſaria accipit ad ritè fungendum ſuo officiô cui deſtinatus eſt, ut adeo per hanc Miniſtrorum diverſitatem Eccleſia conſequatur abſolutam perfectionem, & incrementa exoptata. Cùm itaque & vos membra ſitis tam ſacri, & immaculati corporis, omni ſanè conatu vobis enitendum eſt, ne quid admittatis aut agatis, quod ſanctitatem iſthanc minùs deceat. 17. Hoc itaque dico, & etiam atque etiam per Deum obteſtor, ne priſtinam vivendi rationem repetatis contenti ſolo fidelium

16. Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem in menſuram uniuſcujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.

17. Hoc igitur dico, & teſtificor in Domino, ut jam non ambuletis ſicut & Gentes ambulant in vanitate ſensûs ſui,

lium nomine, neque versemini, ùt reliquæ Gentes in aberratione & vanitate mentis suæ versântur, sed monitorum meorum probè memores leges ipsâs Christianis præscriptas sanctè servetis.

18. *Tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vitâ Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum.*

18. Mirum non est, si illi, quorum mens tenebris superstitionis involuta est, aurésque divinis inspirationibus occlusæ, qui neque propria mala persentiscunt, neque supplicia ulla aut prœmia ab obitu suo exspectant, vivendi rationem teneant ab omni sanctitate & justitiâ, ad quam obligamur, alienam

19. *Qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.*

19. & ex inolitâ peccandi consuetudine quasi callô obducto desperabundi absque remorsu in quævis scelera etiam maximè obscœna, & nefanda præcipites ruant, nullámque penitus occasionem prætermittant agendi perperàm, & inexplebilia luxuriæ cupiditati frœna laxandi, quasi de lucro captando ageretur.

20. *Vos autem non ita didicistis Christum,*

20. Vos autem Ephesii non ita me Magistro Christum didicistis, longéque aliam esse Christianam disciplinam jam pridem nôstis, quæ non modò à flagitiis omnibus penitus abhorreat, sed miram quandam sanctitatem ac morum innocentiam spiret,

ſpiret, & à ſuis cultoribus exigat.
21. Si tamen illi aures præbuiſtis, ejúsque divina præcepta pronâ mente excepiſtis, qui tanquam Magiſter è cœlo ſubmiſſus unicè docet, quæ veriſſima, quæque ad animarum veſtrarum ſalutem maximè faciunt. 22. Nempe ille vos edocuit ſuo ſervitio addictos deponere, quod ad priſtinam vivendi, concupiſcendi & peccandi conſuetudinem attinet, veterem illum hominem, qui voluptatum illecebrîs delinitus fallacibus & erroneis cupiditatibûs corrumpitur, & indies computreſcit, quas potiùs ùtùt rebelles comprimere, & ſanæ rationis, legísque divinæ jugo ſubjicere oporteret. 23. Animati autem novo ſpiritu 24. induite alios mores, alium hominem, qui videlicet ſecundùm Deum ſive ad ejus exemplar & imaginem conditus eſt in ſanctitate, veritate, & juſtitiâ minimè fucatâ, ſed genuinâ ac ſincerâ, vósque impoſterum reddat quocunque minùs ordinato appetitu ſuperiores, æquitatis & charitatis erga proximum reverentiæque Deo debitæ obſervantiores. 25. Quapropter depoſito mendaciô, cujus

21. *Si tamen illum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis, ſicut eſt veritas in JEſu.*

22. *Deponere vos ſecundùm priſtinam converſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris.*

23. *Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ,*

24. *Et induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitiâ & ſanctitate veritatis.*

25. *Propter quod deponentes mendacium*

loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra.

cujus parentem scitis Satanam, loquimini quisque cum proximo suo sincerè & candidè, quod verum est, omni ambiguitate & fallaciâ sublatâ, memores, nos esse membra invicem arctissimo nexu in Christo conjuncta, absurdum autem nimis est, si membra ejusdem corporis (mentiendo & fallendo) se invicem lædant, cùm nihil tale contingat in corpore physico, nisi per insaniam.

26. *Irascimini, & nolite peccare: sol non occidat super iracundiam vestram.*

26. Quòd si ex naturæ proclivitate vos ad iram concitari contingat, date diligenter operam, ne illi frœna laxetis liberiùs, sed ita cohibete, ut ad facta non prosiliat, sed primo quoque tempore ad mitiora & leniora consilia revocetur, ne vestram indignationem sol occidens adhuc æstuantem aspiciat.

27. *Nolite locum dare diabolo:*

27. Quò omnem diabolo occasionem præscindatis variis suggestionibus improbis fovendi intra vos vindictæ ardorem.

28. *Qui furabatur, jam non furetur: magìs autem laboret operando manibùs suis, quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti.*

28. Qui furabatur, furtis jam & furandi consuetudine abstineat, sed honesto potiùs, utilíque opificio aut officio sese exerceat, ut & suis & aliorum etiam indigentium necessitatibus providere possit.

29. *Omnis sermo malus ex ore vestro non*

29. Pravus & inquinatus sermo nullus vobis

vobis excidat, sed ea ex ore vestro prodeant, quæ commoda, quæ opportuna, quæ pudica sint, & cedant in ædificationem, utilitatem, & oblectationem quandam spiritualem fidelium. 30. Date operam, ut Spiritus ille sanctus inter vos quasi in domicilio grato atque jucundo libenter habitet, & curate, ne maledicis aut obscœnis verbis ullam tristitiæ vel offensæ materiam illi præbeatis, cujus operâ tabularum instar per baptismum & confirmationem internâ & copiosâ gratiâ tanquam notâ filiorum Dei ac cœlestis hæreditatis participes redditi usque in diem mortis & liberationis ex hoc vitæ mortalis ergastulo, in quo demum resignandi eritis, & promissâ felicitate beandi. 31. Omnis porrò amarulentia & excandescentia, & inde proveniens clamor & obtrectatio ac maledicentia tollatur, cesset in vobis, & omnis prorsus improbitas absit. 32. Sed estote alii in alios benigni, benefici, comes, blandi, injurias vobis mutuò condonantes, non aliter ac Deus in Christo ejúsque meritis omnia vobis delicta liberalissimè condonavit.

procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.

30. *Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei: in quo signati estis in diem redemptionis.*

31. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitiâ.*

32. *Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut & Deus in Christo donavit vobis.*

PARA-

PARAPHRASIS

CAP. V.

1. *Estote ergò imitatores Dei sicut filii charissimi:*

1. NOn absque ratione Deum vobis in exemplum illustre propono, cùm enim acceptâ remissione peccatorum facti sitis filii Dei, Deóque cumprimìs dilecti, nunquid patrem vestrum non externâ solùm specie, sed etiam morum vitæque imitatione referre debetis, qui vos tanquam filios charissimos tot muneribûs locupletavit, tótque etiam gravissima delicta in Christo benignissimè condonavit, ut & vos invicem condonetis ac remittatis offensas. An fortè perfectius exemplar requiritis? Defigite, quæso, fratres mei in hoc divinum speculum attentæ considerationis obtutum.

2. *Et ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis.*

2. Et complectimini vos mutuâ, sed sincerâ & ab omni commodo proprio alienâ benevolentiâ, quali nimirum & Christus nos complexus est tradendo semetipsum pro nobis in oblationem ac victimam Deo inprimis charam,

charam, quippe bonæ fragrantiæ odore perfusam, quâ pro universo hominum genere idem ipse summus Sacerdos litavit, nullâ suæ Majestatis, nullâ nostræ indignitatis habitâ ratione, exemplô sanè imitatione dignissimo. 3. Cæterùm cùm & sanctitas divini prototypi imitationi vestræ proposita sit, tantum abest, ut vobis indulgeam vel dissimulem ullam fornicationem, pollutionem, & inexplebilem exsaturandæ libidinis per diversa turpitudinum aut lasciviæ genera appetitum, ut ne istarum quidem sordium mentionem ullam inter vos fieri velim, ne fortè quod proclive est in hac materiâ lubricâ, ex ipso auditu concepta cogitatio carnem commoveat ad concupiscentiam vel delectationem spurcam. 4. Atque hæc ipsa cordis mundities puritásque in ipsis colloquiis familiaribus se se exerat, ut longissime à vobis absint obscœnitas, scurrilitas, dicacitas & id genus alia, quæ sunt ab instituto nostro alienissima, nulláque ratione decent Christianam disciplinam atque sanctitatem professos: sed potiùs Deo assiduas agite gratias. Cur autem hujuscemodi

3. Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis sicut decet sanctos:

4. Aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet: sed magis gratiarum actio.

di vitiorum execrationem eliminationémque tantopere urgeam, rationes planè non contemnendæ mihi suppetunt.

5. Hoc enim scitote intelligentes: quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei.

5. Si enim hucusque fortè ignorâstis, at nunc ùt rem certissimam animis vestris altè imprimite, nullum scortatorem, aut impurum, aut voluptatum plus æquo appetentem, qui Veneri ac libidini tanquam idolo sese totum consecrat, aut avarum hæreditate gaudere in regno Christi, seu Ecclesiâ ipsius triumphante.

6. Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei filios diffidentiæ.

6. Nemo vos in fraudem pertrahat inani & futili garrulitate, quasi actiones ex virtutis præscripto peragendæ minimè necessariæ sint ad consequendam salutem æternam, sed fides in Christum sufficiat unà cum baptismo, ejusmodi enim actiones Deum nobis propitium reddunt, quæ autem bonis moribus repugnant, quales sunt priùs enumeratæ, iram atque vindictam divinam provocant in ingratos, perfidos, & contumaces homines.

7. Nolite ergò effici participes eorum.

7. Date ergô operam, ne vos ulla eorum vitiorum macula vel aspergat vel inficiat ex improborum consortio.

8. Eratis enim aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate.

8. Eratis siquidem olim errorum & cœcitatis quibusdam veluti tenebris circumsepti, nunc autem

tem divini ſpiritûs beneficiô cœle-
ſti luce perfuſi hanc ipſam, quâ
præditi eſtis, lucem præ vobis ferte
ejusmodi vivendi ratione inſtitutâ,
quæ reſpondeat acceptæ divinorum
myſteriorum notitiæ, & promiſſæ
in cœlis remunerationis. 9. Id quod
fiet, ſi non iracundos vos, aſperos
& malignos, ſed benignos & bene-
ficos, non fraudulentos, ſed juſtos,
non mendaces & hypocritas, ſed
ſinceros & veraces, adeóque genui-
nos lucis filios exhibueritis. 10.
Et omni ſtudiô exquiratis, quid à
vobis exigat Deus, quâ in re ei
maximè placere, & ſanctam ejus
voluntatem adimplere poſſitis. 11.
Ille vos ex profundâ flagitioſæ vi-
tæ ſentinâ eruit, nolite, obſecro, in
eam denuo cœco impetu præcipi-
tes ruere, ille vos ex conſortio il-
lorum retraxit, qui lucem fugiunt,
ut liberiùs & impuniùs delinquant.
Nolite ad eos recurrere, & com-
plices fieri ejusmodi operum, quæ
tenebras & latibula captant, ad te-
gendam turpitudinem, nihílque
poſt ſe relinquunt, niſi triſtem gra-
vémque afflictæ conſcientiæ remor-
ſum, quin potiùs non ſolùm acrio-
ribus verbis eos confundite, ſed
etiam

9. *Fructus enim lu-
cis eſt in omni bonitate,
& juſtitiâ, & veritate.*

10. *Probantes, quid
ſit beneplacitum Deo:*

11. *Et nolite commu-
nicare operibus infru-
ctuoſis tenebrarum, ma-
gis autem redarguite.*

etiam contrariis integerrimæ vitæ exemplis palàm facite, quàm ſint illa honeſto virô indigna, & à Chriſtianâ diſciplinâ aliena.

12. *Quæ enim in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt & dicere.*

12. Et omnino talia, ut quæ ab impuriſſimis hiſce infandarum libidinum magiſtris aut ſectatoribus occultè geruntur, turpe ſit vel verbulô tangere.

13. *Omnia autem, quæ arguuntur, à lumine manifeſtantur: omne enim, quod manifeſtatur, lumen eſt.*

13. Quemadmodum claritas ſolis orientis ea detegit, quæ nox abſconderat, ita etiam ſplendor ſanctioris vitæ à vobis inſtitutæ repræſentabit illis non abſque horrore ac pudore enormitatem ac fœditatem ſcelerum, quam ne modò agnoſcant, ignorantiæ craſſæ caligo præpedit. Mentes ita colluſtratæ haud dubiè execrabuntur præteritæ vitæ ſordes, lachrymiſque copioſis eluent propoſitâ firmiter ſeriâ emendatione, atque ita è ſpiſſis tenebris in lucem clariſſimam emergent redditæ ex perfidis fideles, ex timidis cordatæ, ex tepidis ac frigidis ferventiſſimæ in obſequio cultúque ſupremi Numinis. Cæterùm nihil adeò periculoſum, quàm diutiùs hac peccandi conſuetudine quaſi lethargo quodam opprimi.

14. *Propter quod dicit: ſurge qui dormis,*

14 Quapropter ſic vobis perſuaſum eſſe cupio, quotidiè Chriſtum

stum vos quodammodo compella-
re atque hisce ferme verbis com-
monefacere: expergiscere, qui dor-
mis somno imò morte peccati gra-
vatus, & illucescat tibi Christus.
15. Videte igitur, ut cautiùs impos-
terum vitam vestram instituatis
non stultorum insipientiam, sed
prudentum sapientiam imitantes,
qui rebus suis studiosè invigilant,
nec tam facilè aliorum fraudibûs
inducuntur. 16. Semita, quâ in
cœlum tendimus, laqueis, insidiis-
que plena est, hostes habetis extra
& intra vos, qui quod vi neque-
unt, astu dolóque evincere sata-
gunt. Tempus, quod sanè breve
& angustum superest, tanquam
rem pretiosissimam majori studiô,
curâ, & quarumvis rerum dispen-
dio in meliores usus, uti solent
mercatores industrii, impendite
captando occasiones omnes profi-
ciendi in viâ virtutum & bona ope-
re ac merita accumulandi, conta-
gio enim grassantium passim flagi-
tiorum nunc universalis est, fraus
ubique perfidia & protervia domi-
natur, innocentia sexcentis pericu-
lis exposita est, continuis dimica-
tionibus sustinendis, monstrísque
de-

& exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.

15. *Videte itaque fratres, quomodò cautè ambuletis: non quasi insipientes,*

16. *Sed ut sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.*

17. *Propterea nolite fieri imprudentes: sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei.*

18. *Et nolite inebriari vinô, in quo est luxuria: sed implemini Spiritu Sancto,*

19. *Loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino,*

20. *Gratias agentes semper pro omnibus i,*

debellandis fatigata. 17. Propterea attendite, ne vos imprudentia transversos agat, sed omnem adhibete industriam, ut intelligere valeatis, quæ sit Dei immortalis voluntas. Non repugno, si corpori vestro, quæ necessaria sunt indulgeatis, sed superflua resecate. 18. Vinum permitto, sed cum debitâ moderatione & ad vires conservandas. Nolite vos eo ingurgitare, unde rationis deliquium, inflammatio concupiscentiæ, & facilis ad quævis luxuriæ inquinamenta provocatio, venter enim merô æstuans citò despumat in libidines, sed implemini potiùs Spiritu Sancto, id est, gratiâ & lætitiâ spirituali, atque in universum bonis donísque cœlestibus. Omissis conviviis, ubi luxus & intemperantia regnat non absque gravi discrimine amittendæ innocentiæ illas potiùs mensas accedite, ubi charitas in hospites, & frugalitas primas tenet, exclusâ inani pompâ, & superfluâ abundantiâ. 19. Ibi cum fratribus vestris psalmos, hymnos & cantica spiritualia concinite non linguâ tantùm, sed intimo cordis affectu. 20. Gratias agentes pro

pro omnibus divinis beneficiis Deo Patri eorum largitori munifico, idque in nomine Domini nostri JEsu Christi, 21. qui cùm in cœlum modò sublatus alios sui locô vicarios in terris constituerit, subjecti illis estote cum omni reverentiâ & observantia, quæ à filiis debetur parentibus. 22. Uxores propriis viris (vos enim nunc nominatim compello) estote subditæ non aliter ac Domino Deo, 23. quoniam caput est uxoris, ut & Christus caput est Ecclesiæ, à quo corpus ipsum, nempe Ecclesia, tanquam à Capite omnem vigorem, vitam, & salutem haurit. 24. Itaque quemadmodum Ecclesia Christo subjecta est, ita etiam uxores suis maritis subditas esse oportet & obtemperare in omnibus. 25. Viri diligite uxores vestras affectu non præcisè carnis & sanguinis, sed sanctiori illo & puriori, quo Christus Ecclesiam suam veluti sponsam dilectissimam complexus est pro ejus salute vitam ac sanguinem profundens. 26. Ut eam sanctitate & justitiâ imbueret ab omni impuritate peccati mundatam aquæ in baptismate affusæ lavacro, sacro-

sancto

nomine Domini nostri JEsu Christi, Deo & Patri.

21. *Subjecti invicem in timore Christi.*

22. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino:*

23. *Quoniam vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ: ipse, salvator corporis ejus.*

24. *Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.*

25. *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro eâ.*

26. *Ut illam sanctificaret, mundans lavacrô aquæ in verbo vitæ,*

sancto & divino verbô adhibito, quod vitam, id est, spiritum & gratiam animæ confert. 27. Eámque omnis prorsus maculæ expertem, omni rugâ ac deformitate vetustatis carentem, omni sanctitate ac virtutum ornamentis conspicuam longè pulcherrimam redderet, suísque oculis gratissimam exhiberet, id agendo videlicet, ut fideles, qui eam componerent, ab omni graviori noxâ immunes sanctitate & integritate morum splenderent, ut innocentia malitiæ, veritas mendacio, observantia despectui, fidelitas perfidiæ succederet. 28. Pari ratione & jure viris incumbit diligere uxores suas, earum mores potiùs corrigere, quàm labeculas aut rugas vultûs, animorum vitia, quàm corporum, humiles modestásque reddere, si vanitati studeant, discretas, si imprudentiâ peccent, devotas, si nugîs hujus sæculi delectentur, salutis suæ studiosas, si ambitione, & inani gloriâ efferantur licentiùs, ipsas, inquam, diligere debent tanquam propria corpora, nam qui uxorem suam diligit, seipsum diligit. 29. Nullus enim unquam suam ipsius car-

27. Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.

28. Ita & viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit.

29. Nemo enim unquam carnem suam odiô

carnem propriúmque corpus odio habuit, quin potiùs enutrit illud, fovet, recreat & ornat, quandoquidem ergò uxor unam carnem, corpúsque constituit cum marito, an non absurdissimum quid & prope monstrosum esset, si vir uxorem suam prosequeretur odio? an non potiùs obstringitur ad peculiarem ejus curam habendam, quæ pars quædam ipsius est? ad eam conservandam, protegendam, sublevandam, quemadmodum Christus Ecclesiam suam & singulos nostrûm gratiâ divinâ & Sacramentis nutrit, roborat, pascit, protegit, & ornat? 30. Quæ caro quædam est ex ipsius carne, & os ex ossibus ejus formata scilicet ex illius in cruce exspirantis & obdormientis latere, quando illud lanceâ transfixum fuit, cujus figuram nobis Eva præbuit ex Adami dormientis costâ formata. Deus ipse in ejus personâ omnibus uxoribus loquens memoranda hæc verba protulit: 31. propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ (amoris scilicet glutinó) & erunt duo in carne unâ Gen. 2. 24. Ex quo colligere licet, vinculum hoc

habuit: sed nutrit & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam:

30. Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus.

31. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne unâ.

hoc omnem planè admirationem transcendere, quippe quod tanti momenti est, ut pro ejus conservatione salvo naturæ jure reliquæ omnes obligationes solvi tollique possint, & ipsi etiam parentes deseri, quibus vitam acceptam debemus. Utcunque ista verissima sint, si matrimonium aliud non foret, quàm legitima conjunctio duarum personarum ad procreandos liberos, vel individuam vitæ societatem colendam, non esset res adeò sancta & divina qualis nunc est, nunc autem præterquàm quòd ab ipso Deo in hujus mundi primordiis institutum sit, symbolum præterea est ineffabilis illius & mysteriô plenæ unionis naturæ divinæ cum humanâ, & JEsu Christi cum Ecclesiâ suâ. Si enim vir patrem & matrem suam relinquit amore conjugis, an non Christus Dei filius hominem induendo quasi visus est relinquere patrem suum in cœlis, postea etiam matrem suam Synagogam, ut sponsæ suæ Ecclesiæ adhæreret perpetuò? 32. Quam ob causam assero mysterium hoc magnum esse, ideóque priùs quidem in veteri lege signum fuisse conjunctionis

32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesiâ.*

ctionis illius futuræ, nunc autem signum esse ejusdem jam factæ adeoque propriè dictum Sacramentum gratiam conferens & mutuum amorem conjugum. 33. Unde vos impense hortor, ô conjuges, ut amorem hunc conjugalem excitetis, foveatis, augeatis, atque ita hanc mysticam conjunctionem, quam repræsentatis, reipsâ etiam exprimatis. Suam quisque uxorem, ut seipsum diligat, uxor autem etiam atque etiam satagat, & virum omni reverentiâ, veneratione, obsequio sibi devinciat, quemadmodum Ecclesia Christum reveretur, eique sanctè in omnibus obtemperat.

33. Verumtamen & vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum suum.

PARAPHRASIS

CAP. VI.

1. POsteaquam mutua virorum atque uxorum officia explicata sunt, rectus ordo postulat, ut quæ liberorum ac parentum sunt propria, paucis expediam; parentum enim legitima conjunctio libe-

1. Filii obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est.

berorum procreationem atque honestam educationem pro fine respicit, qui etiam chara pignora sunt reciproci inter eos amoris. Itaque vos liberi in omnibus, quæ divino cultui ac pietati non repugnant, obtemperate parentibus vestris in Domino, quem nimirum in cœlis regnantem in terris ipsi repræsentant, quíque observantiam ipsis præstitam tanquam sibi exhibitam remuneratur. Hanc ex omni parte perfectam natura ipsa exigit, neminémque à primaria hac & indispensabili lege eximit. Omnia ergò illis pro viribus vestris exhibete obsequia, subvenite illis, si quâ necessitate vel inopiâ premantur, vitam ipsam pro illis exponite, nihil ultra debitum præstabitis, quin iis semper obstrictissimi permanebitis.

2. *Honora patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione*:

2. Inter præcepta decalogi in secunda tabulâ primum hoc est honorandi parentes, vel etiam absolutè primum, cui adjuncta sit peculiaris promissio remunerationis temporalis.

3. *Ut bene sit tibi, & sis longævus super terram.*

3. Vitæ nimirum hujus longævitas, ex quo liquet, quàm grata & accepta sit Deo ejus observatio, qui ejus remunerationem in alteram vitam non

non differt quemadmodum aliàs ſolet. 4. Vos verò Patres ne intempeſtivo vel acerbiori imperiô provocetis ad iram liberos veſtros, néve illos duriùs aſperiúsve ſervorum more tractetis, memores, illos eſſe quandam veſtri ipſorum particulam, ac proin ſollicitudini curæque veſtræ commiſſàm, ſed enutrite eos atque educate in timore Dei, & Chriſtianæ vitæ diſciplinâ, adhibitâ etiam caſtigatione moderatâ, ſi in vitia deflectant, secùs rigidam Deo reddituri rationem, ſi veſtrâ conniventiâ, vel facilitate mores induant depravatos. Denique ſaluberrimis monitis optimíſque exemplis diligenter curate, ut virtutum potiùs ornamentis quàm inani dignitatum temporalium ſplendore decorentur, aut molliori delicioſæ vitæ conſuetudine enerventur. 5. Servi obtemperate iis, qui dominandi jus habent, quíque externarum rerum, quæ ad corpus pertinent, pro imperio potiuntur, idque cum timore atque tremore extremi illius judicii, cùm vobis præteritæ vitæ, atque adeò & obedientiæ ſuperioribus debitæ ratio reddenda erit, poſtremò ſincero

4. *Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros: ſed educate illos in diſciplinâ & correptione Domini.*

5. *Servi obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto:*

cero & candido voluntatis obſequio absque hæſitatione, ſiniſtrâ interpretatione, aut repugnantiâ, perinde ac ſi ipſi Chriſto, cujus locum tenent, ac perſonam repræſentant, obſequium præſtandum eſſet. 6. Non ùt facere ſolent ii, qui præſentibus tantùm dominis obſequuntur, abſentes aſpernantur, aut etiam ludibrio habent, quod proprium eſt eorum, quibus id unum propoſitum eſt, ut hominibus & ad oculum placeant, ſed potiùs, ùt Chriſti ſervos decet, quæcunque Deus per Superiores ſuos præcipit, alacriter, promptè ac ſponte 7. propensâ voluntate executioni date unius Dei reverentiâ commoti, non verò ſuppliciorum metu, aut ſimulatione compulſi, utì faciunt gentilium ſervi. Deus vos in hoc ſtatu pro poteſtate ſuâ collocavit, oportet igitur, ut ſanctiſſimæ ejus voluntati debitâ cum reſignatione vos ſubmittatis, & ſecundùm æquiſſimam illius ordinationem Superioribus veſtris perinde ùt ipſi Deo obſequamini, 8. ut qui probè ſciatis, ſingulos quidquid boni præſtiterint, ejus olim mercedem ac prœmium reportaturos à ſupremo omnium remunerato-

6. Non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ùt ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo,

7. Cum bona voluntate ſervientes, ſicut Domino, & non hominibus.

8. Scientes quoniam unusquisque, quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, ſive ſervus, ſive liber.

ratore Domino, sive servus, quis fuerit, sive liber. 9. Vos verò domini nolite arbitrari despoticum ac tyrannicum prope agendi modum cum subditis permissum vobis, sed similem proportione quadam illis exhibete humanitatem, benignitatem, amorem, sinceritatem, fidelitatem, qualem illi meo jussu vobis exhibent, si quod obsequium ab illis requiritis, non imperiosè & asperè, sed suaviter id facite, excusate vel dissimulate, si quid per imprudentiam fortè contra rationem sui officii deliquerint, non truculento vultu eos identidem excipite, non minas acerbiores assiduè jactate, multò minùs ob quamcunque levissimam causam verberibûs in eos desævite crudeliùs, sed considerate illos perinde Christianos esse adeóque & fratres vestros, uni eidémque servientes Deo regnanti in cœlis, qui cùm sit Dominus omnium, mirâ cunctos mortales benevolentiâ & amore complectitur & severam à vobis dominii vestri ac tyranidis in servos rationem exiget, talémque se vobis exhibebit, quales vos servis exhibuistis, quippe qui in dispensatione gratiarum aut castigatione noxarum nullam

9. Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes, quia & illorum & vester Dominus est in cœlis: & personarum acceptio non est apud eum.

lam qualitatis externæ aut ſtatûs perſonæ cujuspiam, ſed unius duntaxat virtutis aut vitii rationem habet. Atque hæc ſufficiant de officiis diverſorum ſtatuum. Nunc fratres dilectiſſimi ad omnes nullo diſcrimine me converto, vósque obteſtor, quàm poſſum, maximè, ut ſuprema mea monita tam profundè memoriæ veſtræ inprimatis, ut nullâ unquam oblivione exinde obliterari poſſint.

10. *De cætero fratres, confortamini in Domino, & in potentiâ virtutis ejus.*

10. Generoſum pectus induite, illúdque per fidem ac fiduciam conſtantem in Deum corroborate in dies, metum omnem deponite, quandoquidem ejus præpotens virtus vobis aſſiſtit, cui nec inferorum nec hominum conjuratæ vires reſiſtere poſſunt, quamdiu in mundo degitis, dimicandum vobis eſt.

11. *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adversùs inſidias diaboli.*

11. Aſſumite ergò univerſum armorum apparatum à Deo ſubminiſtratum, ut ſtrenuè ſtare poſſitis, vósque tueri adversùs inſidias, aſſultus, & machinationes diaboli, quas per improbos perditósque homines ita callidè pro more & experientia ſuâ multiplici molitur, ut non adeò facilè eas animadverti aut ſuperari contingat.

12. *Quoniam non eſt nobis colluctatio adversùs carnem & ſangui-*

12. Quoniam non eſt nobis lucta adverſùs homines tantùm, quorum fragilis

lis & caduca eſt natura, viréſque exiles, ſed adversùs potentiſſimos dæmones, qui vocantur principes & poteſtates, adversùs mundi inferioris, ſi Deo placet, dominos, rectores, inquam, tenebrarum ſæculi hujus, adversùs denique ſpirituales nequitias, ſeu nebulones verſutiſſimos, qui in ſublimibus locis ſeu aëere degunt, & incautos mortales ad omnem impietatem excitant & inflammant, neque verò de rebus minimis, ſed de cœleſti ac ſempiternâ beatitudine certamus, nos præſertim, qui ſpiritualem vitam profitemur. 13. Quapropter accipite, quæ vobis offero ſpiritualium armorum præſidia, ut tot támque callidis hoſtibus poſſitis illæſi reſiſtere tempore periculoſo ac fatali, cùm nempe tentationes ingruunt, & poſt illos debellatos erecti & intrepidè ſtare adversùs quoſcunque novos incurſus & inſultus armorum omnium genere probè inſtructi, 14. State ergò quaſi ad opus, vel pugnam potiùs parati ipsâ veritate veluti baltheo ſuccincti, qui corpus exornet, latera roboret, & lumbos ſtringat, in quibus fœdæ libidinis motus primò perſentiſcimus. Pro loricâ ſit juſtitia, ſeu vitæ inculpatæ integritas, quæ cor &

nem: ſed adversùs principes & poteſtates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.

13. *Propterea accipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare.*

14. *State ergò ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam juſtitiæ,*

15. *Et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis;*

16. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere:*

17. *Et galeam salutis assumite: & gladium spiritûs, (quod est verbum Dei)*

18. *Per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu: & in ipso vigi-*

& pectus obarmet. 15. Calcei item militares, id est, ocreæ, sint animi promptitudo ad Evangelium pacis non tantùm amplexandum, & vitâ immaculatâ exprimendum, sed etiam, si occasio tulerit, aliis nationibus promulgandum non obstantibus quibuscunque periculis, atque insectationibus, qui enim ocreatus incedit, audacter, intrepidè & expeditè progreditur, cùm qui nudis est pedibus, ægrè, timidè, tardè, & suspenso gradu incedat. 16. Pro scuto vobis serviat fides solida sibíque constans per spem firmata, per charitatem formata, ut improbi illius adversarii tela omnia instar ignis penetrantia & cor inflammantia impunè possitis excipere, imò penitus extinguere. 17. Accipite autem præterea galeam salutarem, id est, spem illam futuræ vitæ à Deo promissæ, quæ pro casside cervicem muniat, gladium denique spiritualem, hoc est, verbum Dei ancipiti acie præditum, quo valeatis ipsos etiam hostes quoscunque lacessere, sternere, jugulare, spoliis exuere. 18. Sed quia satis non est militi armis instructum esse, nisi accedat perpetua vigilantia ad impetrandam opem ex alto, instandum quoque est sedulò,

assiduè

assiduè & ardenter precibus, ut Deus
vos pugnantes adjuvet, & victores ef-
ficiat, quas non tantùm pro omnibus
fidelibus, 19. sed etiam pro me ipso
expeto vestro Magistro, ac in Domi-
no parente, ut mihi divinitùs conce-
datur sermonis facultas, & libera di-
cendi vis pro annuntiando palam,
ubicunque opportunum fuerit, my-
sterio Evangelii. 20. Cujus causâ,
quod mihi honorificum & gloriosum
duco, catenâ vinctus legatione fungor,
ut ab illius, inquam, arcani cordа-
tâ promulgatione neque præsentium
ærumnarum consideratio, neque
metus futurarum me absterreat. 21.
Ne autem ignoretis, quis rerum mea-
rum sit status, omnia vobis nota fa-
ciet Tychicus charissimus frater, &
fidus in iis, quæ ad Christum Domi-
num pertinent, Minister, 22. quem
misi hanc ipsam ob causam, ut de re-
bus nostris certiores vos faceret, &
tristitiâ fortè ac dolore ob vincula
mea correptos aliquo solatio persun-
deret: Ea sanè nec constantiam ve-
stram labefactare debent, nec zelum,
quo æstuabatis, restinguere. Qui ob-
sequio Dei sese devovet, necesse est,
ut præparet animam ad conflictum,
neque enim existimare debet, dæmo-
nes

lantes in omni instantiâ,
& obsecratione pro om-
nibus sanctis:

19. *Et pro me, ut de-*
tur mihi sermo in aper-
tione oris mei cum fiduciâ,
notum facere mysterium
Evangelii:

20. *Pro quo legatio-*
ne fungor in catenâ, ita
ut in ipso audeam, prout
oportet me, loqui.

21. *Ut autem & vos*
sciatis, quæ circa me
sunt, quid agam: omnia
vobis nota faciet Tychi-
cus, charissimus frater,
& fidelis minister in Do-
mino:

22. *Quem misi ad vos*
in hoc ipsum, ut cognos-
catis, quæ circa nos sunt,
& consoletur corda ve-
stra.


nes unquam pacem vel inducias cum ipſo inituros, quin potiùs movebunt illi omnem lapidem, omnes machinas artésque nequitiæ ac malitiæ ſuæ expedient, ut ipſum præpediant à coronâ perſeverantiæ conſequendâ, vel ſanctiora ejus pro Dei gloriâ conſilia diſturbent. Accingite vos ad hæc eadem certamina, memores, hac ipsâ ſemitâ vobis pergendum, quam Chriſtus tenuit. Abſolvo epiſtolam ardentiſſimâ ſupplicatione ad Patrem cœleſtem, ejúſque filium JEſum Chriſtum, ut vos ad illum portum proſperè dirigat, ubi nulla ampliùs tempeſtatis jactatio, nullum ampliùs metuendum naufragium. 23. Pacem interea vobis, fratres, & charitatem unà cum fide novis indies incrementis augendam à Deo vobis apprecor. 24 Gratia ſit, & perſeveret cum omnibus, qui ita conſtanter & ex animo diligunt Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, ut ad ſempiternam immortalémque vitam ſint aliquando perventuri.

AMEN.

23. *Pax fratribus, & charitas cum fide, à Deo Patre, & Domino JEſu Chriſto.*

24. *Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum noſtrum JEſum Chriſtum in incorruptione. Amen.*

ARGU-



ARGUMENTUM
EPISTOLÆ D. PAULI APOSTOLI
AD
PHILIPPENSES.

PHilippenses, quorum civitas à Philippo Macedoniæ rege conditore suo nomen accepit, Macedones esse, & ex eâ provinciâ primos Apostoli Pauli ministeriô fuisse vocatos & conversos ad fidem Christi, idque non sine manifestâ divinæ voluntatis significatione docet Actorum Apostolicorum liber cap. 16. Cùm ergò Paulus Romam profectus ibidem in carcerem conjectus esset, eâ re auditâ Philippenses, quo in Apostolum suum affectu erant tenerrimo, miserunt eò Epaphroditum Episcopum vel certè legatum suum cum subsidio pecuniario solatio illi & auxilio futurum, quemadmodum & ante fecerant

Theſſalonicæ agenti. Ad eos igitur è vinculis, quorum diſertè ac præclarè meminit cap. 1. per eundem Epaphroditum hanc mittit Epiſtolam, quæ multam omnino laudem ac commendationem Philippenſium continet. Tum eos commonet, ut in fide Chriſti conſtantes perſtent, nec adversis frangantur, nec fidem habeant quibusdam judaizantibus, qui legalia Moyſis annexa volebant Evangelio, cùm tamen jam abolita eſſent. D. Hieronymus hanc Epiſtolam eodem tempore ſcriptam autumat, quo ſcriptæ ſunt ad Epheſios, Coloſſenſes, & Philemonem Epiſtolæ.

Cap. 1. Præmiſſâ conſueta ſalutatione exponit, quàm memori, gratóque animô beneficentiam ſibi exhibitam acceperit fuſis ad Deum precibûs, & gratiis ſingularibus ei propterea redditis. Rogat poſtmodum largitorem bonorum omnium, ut illis perſeverantiam in fide & vitâ Chriſtianâ tribuat, ùnà cum ſpiritu diſcretionis, quo bona à malis, & meliora à vilioribus ſecernere, & ſeligere poſſint, narrat ſubin vinculorum ſuorum fructum, quibûs Evangelii propagatio magnâ cum libertate potiùs propagata, quàm retardata fuerit, quamvis adhuc nonnulli Chriſtum annuntient non tam ſincero divinæ gloriæ zelô, quàm popularis auræ captandæ ſtudiô, vel etiam ex invidentiâ quadam ac livore, ut graviores ei moleſtias ſuſcitent. Poſtmodum commemorat, quanto deſideriô teneatur pro eorum ſalute, cujus gratiâ ſe libenter ad majorem eorum conſolationem atque utilitatem adhuc permanere velit in carne, utcunque aliàs diſſolvi cuperet & eſſe cum Chriſto. Denique hortatur eos ad perferenda forti animô adverſa quæque pro Chriſto, ejúſque fide, neque enim minas, neque inſectationes malevolorum magnopere pertimeſcen-

cendas, ſed potiùs pro ſingulari favore habendas, quòd pignora ſint ſalutis æternæ, & eximia dona Dei.

Cap. 2. Morum præcepta, & pia hinc inde monita ſuaviter tradit, præcipuè verò ut mutuam concordiam pacémque foveant, Chriſti humilitatem, charitatem & obedientiam æmulentur hac potiſſimùm argumentatione inſtans: Chriſtus Dei filius ex ſingulari animi demiſſione, & amore humani generis formam ſervi ultrò aſſumpſit, mortémque in cruce oppetiit, vos itaque tanquam Chriſtianos pari promptitudine paratos eſſe convenit pro Chriſto veſtríſque fratribus ad diſpendium famæ ac facultatum veſtrarum æquo animô perferendum. Addit inſuper hanc ſui abjectionem ac neglectum fructu prœmióque ampliſſimo non cariturum, quandoquidem ſicut Chriſtus ſupra omnes cœli, terræ, atque inferorum principes exaltatus eſt, ita ſervatâ proportione eadem ipſos propterea maneat remuneratio.

Cap. 3. Aggreditur potiſſimum epiſtolæ argumentum, ipſam videlicet de juſtitiâ Chriſtianâ diſputationem, haud abſimilem ab eâ, quam ad Romanos & Galatas explicuerat, legem veterem & inprimis circumciſionem ac reliquas ceremonias non leviter perſtringens, vel eos potiùs redarguens, qui legis Moſaicæ jugum fidelium cervicibus denuo imponere moliebantur, tanquam neceſſariò ferendum & obſervandum cum Evangelio. Contra hos docet veram juſtitiam ac ſalutem non à lege Moyſis, ſed à Chriſto incarnato & crucifixo petendam atque exſpectandam eſſe. Canes illos nuncupat ob rabiem, maledicentiam & ingluviem. Tum aſſerit, ſi ex circumciſione & origine gentis hebrææ captanda ſit gloria, nemini ſe ex hac parte cedere, hanc autem originem, exiſti-

mationem, ſcientiam, & quæcunque laude digna præſtiterit, dum legi obnoxius erat, ſe nihili ducere, & ùt damna ac impedimenta ſalutis potiùs reputare, imò ùt excrementa in ſterquilinium projicienda. Aliam juſtitiam non agnoſcit, quàm illam JEſu Chriſti, quâ decoratus eſſe deſiderat, non ſimplici, & extrinſecâ imputatione, utì delirant hæretici, ſed reali, verâ, ac intrinſecâ poſſeſſione. Addit ſe nondum perfectionis Apoſtolicæ culmen attigiſſe, ad illud tamen ſe quotidie aſpirare, ac tendere, neque ſe retrò reſpicere ad præterita, ſed ad ea, quæ durante adhuc hujus vitæ mortalis curriculo agenda ſuperſunt. Tum ſeipſum in exemplar imitandum proponit, in eóſque, qui novitiam doctrinam ſpargebant, acerrimè invehitur tanquam ventri ſuo unicè deditos, & inimicos crucis. Denique concludit hac demonſtratione: Ille vobis omni obſequiô colendus atque demerendus eſt, qui vos plectere aut remunerari poteſt pro meritis, at verò ſoli Chriſto hæc poteſtas competit, quippe qui à dexterâ Dei olim deſcendens communicaturus eſt vobis cœleſtem ſui corporis gloriam, huic itaque vos convenit intemeratam fidem ſervare, hanc autem violatis, ſi eam Pſeudoapoſtolis habetis ad Judaiſmum inſtigantibus. Nullam ergò his præſtare vobis permiſſùm eſt.

Cap. 4. Hortatur eos, ut gaudeant in Domino, & perſeverent in bene cœptis. Commendat eorum denuo erga ſe curam ac ſollicitudinem, muneráque ſibi miſſà, & ſignificat ſcire ſe abundare & pati. Poſtremò bene eis precatur.



PA-



PARAPHRASIS IN EPISTOLAM D. PAULI APOSTOLI

AD

PHILIPPENSES

CAPUT I.

1. PAulus & Timotheus collega meus chariſſimus huc evocatus ſervi JEſu Chriſti omnibus ejus ſectatoribus, qui ſunt Philippis, unà cum ſuis Epiſcopis ac diaconis ſalutem plurimam dicunt.
2. Gratia igitur, & pax à Deo Patre noſtro ac Domino JESU Chriſto profecta vos perpetuò tueatur ac ſervet.
3. Equi-

1. *Paulus & Timotheus ſervi JEſu Chriſti, omnibus ſanctis in Chriſto JEſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & diaconibus.*
2. *Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro & Domino JEſu Chriſto.*

3. Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri.

3. Equidem non solùm intimis animi mei medullis vos amantissimè complector, sed quoties vestra in Deum fides ac pietas mihi venit in mentem (venit autem frequentissimè) mirum in modum lætitiâ exilio, & pro tam eximio in vos collato beneficio immortales Deo gratias ago, 4. sempérque in omni precatione meâ pro vobis omnibus, vestráque incolumitate ac salute incredibili meo gaudiô vota faciens fausta vobis omnia à benignissimo Deo assiduè postulo, 5. eadémque operâ vobis item ex animo gratulor, tum quòd singulari Dei providentiâ facti sitis participes Evangelii JEsu Christi nimirum credendo, fidémque operibûs corroborando, ídque perseveranter ab initio, quo nomen Christo dedistis ad hoc usque tempus, ita ut neque Pseudoapostolis aures præbueritis, nec ad pristinam superstitionem relapsi, nec persecutionibûs turbati fueritis, tum etiam, quòd divinâ inspiratione laborum meorum socii, & muneris penè collegæ evaseritis, dum per legatos etiam absenti vinctóque liberaliter necessària suppeditatis,

4. Semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens.

5. Super communicatione vestrâ in Evangelio Christi à prima die usque nunc

ditatis, ídque hucusque jam à primâ die, quâ nosse vos cœpi, & pro filius meis complecti. 6. Quocirca persuasum habeo ita planè fore, ut qui in vobis bonorum operum ac præcipuè beneficentiæ erga Ministros Evangelii veluti semina sparsit, is copiosam segetem ad maturitatem perducat, & quod illius munere tam feliciter inchoatum est, eodem auctore tandem ad exitum perducatur, nisi divinæ illius gratiæ defueritis donec mortalia vestra corpora Deo judici sistantur gloriâ & immortalitate coronanda in prœmium Christianæ perseverantiæ. 7. Sic enim æquum est me de vobis omnibus sentire, propterea, quòd infixa mihi semper in animo altissimè hæreat, tum salutis vestræ sollicita procuratio, tum humanitatis recordatio, quâ me tum absentem, tum etiam vinctum non modò non deseruistis, sed omnibus charitatis officiis perinde prosecuti estis, ac si unà mecum iisdem vinculis constricti pro Evangelii defensione ac propagatione decertassetis, atque omnino ejusdem beneficii participes essetis effecti, quod nobis divinitus concessum

6. *Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi JEsu.*

7. *Sicut est mihi justum hoc sentire pro omnibus vobis: eò quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione & confirmatione Evangelii, socios gaudii mei omnes vos esse.*

ſum eſt, ut pro Chriſti nomine adverſa toleremus, quæ omnia extremum mihi gaudium afferunt atque ſolatium. 8. Teſtis enim mihi eſt Deus, qui intimos animi receſſus intuetur ac cernit, quàm propensâ vos & in ſincerâ in viſceribus Chriſti JEſu charitate complectar, in quibus ut ſuaviter quieſcatis, ejúsque miſericordiam, compaſſionem, amorem induatis, & penitus in illum transformemini ex intimis præcordiis opto. Præter favores jam acceptos alios atque alios ab illo, unde omnia bona profluunt, munificentiſſimo Deo, pro vobis efflagito 9. quem etiam obteſtor, ut charitas veſtra, quam benefaciendo declaratis, majora indies incrementa capiat, & exuberet per bona opera, ídque ſecundùm ſcientiam Chriſtianam & cum exacto dictamine rectæ rationis, ne ſi temerè & ſine delectu vos officioſos & largos præbeatis etiam erga pſeudoapoſtolos, qui vos ſeducere nituntur, benignitas veſtra degeneret in vitium, & charitas eſſe deſinat: multiplici præterea myſteriorum fidei ac rerum ad ſalutem pertinentium intelligentiâ repleamini,

8. *Teſtis enim mihi eſt Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus JEſu Chriſti:*

9. *Et hoc oro, ut charitas veſtra magis ac magis abundet in ſcientiâ, & in omni ſenſu:*

ni, 10. quâ planè perſpiciatis, & diſcernere valeatis, quæ præſtantiora ſint, & inter cætera emineant, quantáque ſit differentia inter Evangelium meum, & impoſturas Judaizantium, ut præterea animi candore ac ſincera mente præditi recto & inoffenſo greſſu curſum veſtrum peragatis, atque ad illum extremum judicii diem ſecuri perveniatis 11. & quidem juſtitiæ fructibûs pleni, quibûs nunc ad laudem & gloriam Dei per Chriſtum abundatis. 12. Nolim autem vos ignorare, fratres, ea quæ mihi aſpera & dura Romæ acciderunt, & nonnullâ forte triſtitiâ ac ſollicitudine animos veſtros perculerunt, non modò Evangelii curſum non retardâſſe, ſed magno potiùs ei emolumento fuiſſe, 13. ita ut vincula mea ad Chriſti optimi Maximi gloriam atque honorem non in Cæſaris regiâ ſolùm ac prætorio, ſed omnibus propemodum Romanæ urbis & Imperii locis vulgata mirum in modum celebrentur, cùm paſſim innotuerit, quòd non ob æs alienum, vel ſcelus aliquod, ſed propter ſolum Chriſtum ejúſque fidei promulgationem carcere detinear, 14. quô

10. *Ut probetis potiora, ut ſitis ſinceri, & ſine offensâ in diem Chriſti,*

11. *Repleti fructu juſtitiæ per JEſum Chriſtum in gloriam & laudem Dei.*

12. *Scire autem vos volo fratres, quia quæ circa me ſunt, magìs ad profectum venerunt Evangelii:*

13. *Ita ut vincula mea manifeſta fierent in Chriſto in omni prætorio, & in cæteris omnibus;*

14. *Et plures è fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantiùs auderent sine timore verbum Dei loqui.*

14. quô factum est, ut plerique ex fratribus nostris in Domino vinculis meis mirificè in fide confirmati, eò quòd viderent, me etsi vinctum religionis Christianæ causam intrepidè agere, majori animi magnitudine ac constantiâ absque ullo timore Evangelicam doctrinam audeant promulgare.

15. *Quidam quidem & propter invidiam & contentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant,*

15. Neque verò sum nescius, quosdam quidem per invidiam & contentionem, quòd in primâ Romani Imperii sede novam doctrinam non absque copioso animarum fructu, & proprii nominis celebritate annuntiem, quosdam verò optimâ mente, & sincero alienæ salutis studiô Christi fidem ac doctrinam prædicare,

16. *Quidam ex charitate, scientes, quoniam in defensionem Evangelii positus sum,*

16. opinantes id, quod est verissimum, me ad Evangelii defensionem quasi in statione publicâ divinitus esse constitutum, nunc autem, cùm ab eâ per vincula nonnihil præpediar, tantò sibi ardentiùs meas vices supplendas.

17. *Quidam autem ex contentione Christum annuntiant, non sincerè, existimantes. pressuram se suscitare vinculis meis.*

17. Nonnullos verò improbâ æmulatione accensos animô minimè sincero, suæque potiùs, quam Christi gloriæ studioso Dei verbum evulgare, ratos nimirum, sese detentioni meæ novam molestiam ac vexationem afferre pos-se

ſe, quæ me quaſi ipſorum gloriæ invidentem graviùs urat, & affligat, quàm utcunque moleſta captivitas. 18. Quâ tamen in re vehementer falluntur. Quid enim meâ refert, quâ mente prædicent? nempe quovis modo, ſive per externam tantùm ſpeciem & inanis gloriæ ſtudiô, ſive etiam candidè ac ſincerè ex optimo zelo annuntietur Chriſtus, dummodo doctrina nullo errore inquinata ſit, fructúſque Evangelii ad quàm plurimos perveniat, equidem hoc nomine plurimùm gaudeo, ſempérque gaudebo. 19. Quamvis enim immiſcendo ſeſe meo miniſterio negotium ac moleſtiam mihi creari exiſtiment, anſam mihi tantummodo præbent majoris meriti, quin imò in Dei bonitate ac providentiâ confiſus propè certus ſum eorum machinationes mihi tandem ceſſuras in majorem gloriam ac ſalutem tum meam tum aliorum multorum veſtris præſertim precibûs ſuffragantibus, diviníque ſpiritûs afflante numine. 20. Etenim jam pridem hanc ſpem atque exſpectationem animô conceptam retineo, mihíque perſuaſum habeo, illam adeo firmis

18. *Quid enim? dum omni modô, ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuntietur: & in hoc gaudeo ſed & gaudebo.*

19. *Scio enim, quia hoc mihi proveniet ad ſalutem, per veſtram orationem, & ſubminiſtrationem Spiritûs JEſu Chriſti.*

20. *Secundùm exſpectationem, & ſpem meam, quia in nullo confundar: ſed in omni*

fiducià sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem.

firmis radicibus niti, ut mihi minimè verendum sit, ne aliquo tempore pudefiam, sed sperandum potiùs fore, ut magnâ cum libertate non aliter atque aliàs semper, ita quoque nunc Christi gloria, noménque in meo corpore celebretur, sive mihi diutiùs vivendum sit, sive etiam mors oppetenda: si enim vivere pergam, ejus potentia, quæ me protexerit, cunctos in admirationem ac laudes rapiet, si verò è medio tollar, fieri haudquaquam potest, ut non illius doctrinæ æstimatio permagna concipiatur, pro cujus defensione ejus præcones mortem ipsam non expavescunt ùtùt terribilium omnium rem maximè terribilem.

21. *Mihi enim vivere Christus est, & mori lucrum.*

21. Nam, ut ingenuè fatear, mihi quidem ipsâ vitâ charior Christus est (sine quo ne vivere quidem velim) mors autem pro magno lucro. Itaque si vivo, uni Christo, ejúsque fidei promulgandæ vivo, si morior, meo magno commodo bonóque diem obeo. Prius si contigerit, glorificabitur Christus meâ prædicatione, laboribúsque apostolicis, si posterius, martyrio meo ac beatitudine in cœlis.

22. *Quòd si vivere in carne, hic mihi fru-*

22. Quòd si diutiùs hanc

hanc auram vitalem ducere operæ pretium ſit, nempe & mihi utile ad majus & prolixius meritum, & aliis quoque ad eorum converſionem, quorum ſalus tantopere Servatori meo pretioſa & chara eſt, adeo non præfero veſtris commodis atque rationibus utilitatem meam, ut quid è duobus eligam, ſtatuere planè nequeam. 23. Utrinque enim coarctor. Si enim ſpectem, quid meis rationibus proficuum & commodum ſit, mors mihi peroptanda videtur, quòd hinc migrare & cùm Chriſto indiſſolubili unione vivere longè optimum ac jucundiſſimum cenſeam. 24. Cæterùm adhuc ſuperſtitem eſſe, & Evangelicis laboribus inſiſtere, quia vobis aliíſque magìs expedit, præferendum duco commodo meo privato. 25. Quamobrem non eſt, cur lugeatis orbitatem veſtram, non vos deſeram, ſed manebo vobiſcum, ùt in Domino confido, & prope certus ſum, me diutiùs ad veſtrum ſolatium, & fidei propagationem ſupervicturum, 26. ut veſtra de me Apoſtolo veſtro vinculis liberato, vobíſque reddito in Chriſto JEſu gloriatio ac conſolatio magìs

ctus operis eſt, & quid eligam, ignoro.

23. *Coarctor autem è duobus: deſiderium habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto, multò magis melius:*

24. *Permanere autem in carne, neceſſarium propter vos.*

25. *Et hoc confidens ſcio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum veſtrum, & gaudium fidei:*

26. *Ut gratulatio veſtra abundet in Chriſto JEſu in me, per meum adventum iterum ad vos.*

ac magìs augeatur, si meâ rursus præsentiâ ac conspectu perfruemini.

27. *Tantùm dignè Evangelio Christi conversamini: ut sive cùm venero, & videro vos, sive absens audiam de vobis, quia statis in uno spiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii:*

27. Id unum modò in præsentiâ moneo, ut de rebus meis non ampliùs solliciti eam, quæ Evangelicam fidem maximè deceat, morum vitæque integritatem retineatis, ut sive vos iterum revisam, sive absens de rebus vestris certior fiam, verè intelligam, perstare vos in uno eodémque spiritu; uno pariter animo pro Evangelicâ veritate ubivis terrarum promovendâ decertantes,

28. *Et in nullo terreamini ab adversariis: quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc à Deo.*

28. nulláque re penitus territos ab iis, qui vobis adversantur, qui dum id faciunt, sibi quidem exitium atque interitum, vobis autem salutem & gloriam pariunt sempiternam, ídque Deo ipso auctore ac rectore æquissimo.

29. *Quia vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini:*

29. Etenim Christi beneficiô ac meritо divinitus vobis concessum est, non modò, ut in eum credatis, sed quod longè pluris æstimandum est, quia difficilius, ut pro nomine ejus exemplô meo adversa patiamini

30. *Idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc audistis de me.*

30. & nunc in partem ac societatem veniatis illius certaminis, cui olim me expositum præsentes ipsi Philippîs spectastis, cùm virgîs cæsus & in carcerem conjectus fuis-

fuissem, nunc autem de me absente aliorum narratione cognoscitis.

PARAPHRASIS

CAP. II.

1. Si quod igitur consolationis genus exspectandum mihi optandúmque est ab iis, qui Christo dederunt nomina, atque ejus fidem complexi sunt, si quod levamentum aut solatium à charitate profectum, si qua animorum consensio, ac veluti spiritûs sympathia, si quis denique intimæ dilectionis ac commiserationis erga Apostolum vestrum captivum affectus, 2. explete, quæso vos, gaudium meum, quod ex præclaris conversionis, ac conversationis vestræ initiis jam dudum concepi, datéque operam, ut omnes eodem planè modo animô sitis affecti, pari amoris vicissitudine præditi, unâ mente, eodémque sensu informati, ut non animorum modò ac voluntatum sit

1. *Si qua ergò consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritûs, si qua viscera miserationis:*

2. *Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes.*

sit inter vos conjunctio, sed etiam doctrinæ eximius ac singularis consensus, uno verbo perfecta sententiarum concordia atque conspiratio, ut omnes idem sapiant, sentiant, credant, ament, idem velint, idem nolint.

3. *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.*

3. Nihil igitur per contentionem aut vanam gloriam agite, sed modestiam potiùs atque animi demissionem colite, ut mutuâ quadam humilitatis contentione alium quisque sibi præferat, séque præstantiorem ac meliorem judicet, adeo ut alius alii sese sponte subjiciat, & infimum omnes locum, quantùm in vobis est appetatis.

4. *Non quæ sua sunt, singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum.*

4. Nec quisquam in vobis reperiatur, qui privata sua emolumenta spectans sui duntaxat suorúmque commodorum rationem habeat, sed singuli potiùs communem omnium sollicitudinem gerant, & proximorum saluti atque utilitati maximè studeant.

5. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo JEsu.*

5. Omnino is sit affectus atque animi sensus in vobis humilitatis, misericordiæ, charitatis, qui fuit in Christo JEsu Domino nostro prototypo utique perfectissimo.

6. *Qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo:*

6. Qui cùm verè Deus esset, eâdémque omnino divinitate ac substantiâ cum

cum Patre præditus, ſciebat quidem ſibi jus fásque eſſe neglectâ humanæ fragilísque carnis aſſumptione magnificentiam illam Deô dignam non retinere modò, quod nunquam non fecit, ſed etiam præſeferre ídque citra ullam injuriam, cùm reverà Deo Patri prorſus naturâ æqualis eſſet. 7. Exinanivit tamen ipſe ſeſe, ac ſi ita loqui fas eſt, pene ad nihilum ſuam illam divinam Majeſtatem redegit, & quaſi eam non adeo magnifaceret, ejus ſplendorem tantiſper quaſi velô quodammodo obduxit abjectâ atque imbecilli hominis naturâ ac conditione ſervi ſuſceptâ ſimilis mortalibus factus, habitúque ac conſtitutione naturæ inter mortales verè compertus ùt homo, imò hominum omnium deſpicatiſſimus. 8. Submiſit itaque ſeſe factus ex Domino ſervus, ex Deo homo, ex creatore creatura, ſéque Deo Patri obſequentem præbuit usque ad mortem, qui auctor eſt vitæ noſtræ, & mortem quidem indigniſſimam ſimul & acerbiſſimam in cruce, per quem reges regnant, quíque innocentia ipſa & ſanctitas eſt. 9. Quapropter Deus immortalis hac

7. Sed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ùt homo.

8. Humiliavit ſemetipſum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

9. Propter quod & Deus exaltavit illum,

& donavit illi nomen, quod est super omne nomen.

hac tantâ animi demissione mirè delectatus illùm in summam extulit sublimitatem à mortuis redivivum & gloriosum super omnes Angelos extollendo, ad dexteram suam collocando, noménque, titulum, ac dignitatem tum Judicis vivorum atque mortuorum, tum Mediatoris ac Salvatoris ei conferendo, quo nullum est toto universo

10. *Ut in nomine JEsu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum,*

majus & augustius, 10. ut videlicet, qui à terreno eóque iniquo judice feralem mortis sententiam acceperat, nunc in genua provolutos honoris ergò quoscunque cœli terræque principes atque ipsas in-

11. *Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus JEsus Christus in gloriâ est Dei Patris.*

ferorum potestates cerneret, 11. omnisque adeo barbara natio, & ignota lingua fateatur ac prædicet, JEsum Christùm verè esse Angelorum, hominum, rerúmque creatarum omnium Dominum ac Deum ipsi párenti Deo æqualem, ídque ad ipsius Dei optimi Maximi gloriam tum celebrandam, tum etiam latissimè propagandam. Hoc exemplo omnino par est vos excitari ad profundam vestri despi-

12. *Itaque charissimi mei, (sicut semper obedistis) non ut in præ-*

cientiam atque abjectionem. 12. Considerate illud, fratres mei, attentione majori, & quemadmodum

dum

dum aliàs mihi pro veſtrâ in me benevolentiâ atque beneficentiâ ſemper obtemperaſtis, non tantùm cùm iſthìc præſens apud vos eſſem, ſed nunc multò magìs cùm longè abſum à vobis, ne aliàs ad oculum tantùm paruiſſe videamini; date diligenter operam, ut cum omni ſollicitudine ac timore, quæ ad ſalutem promovendam atque ſtabiliendam faciunt, ſtudiosè procuretis nec viribus veſtris, nec meritis hactenus congeſtis, neque præſentis voluntatis rectitudini nimiùm confiſi, 13. tantum enim abeſt, ut quidquam vobis arrogare poſſitis, ut Deus potiùs ſuâ vos cœleſti gratiâ ita anteverteat, & comitetur, ut illo auctore & velitis, & perficiatis, quidquid boni peragitis, adeóque nec primam gratiam excitantem, neque finalis perſeverantiæ donum promereri valeatis, tametſi vobis aliíſque ſapientes, perfecti, ſancti videamini. Hoc ipſum itaque ſalutarem metum vobis incutere debet, quòd hæc omnia ex gratuitâ Dei voluntate dependeant, qui ſicut iſta ex puro beneplacito conceſſit, ita etiam juſtitiâ ita exigente propter ſocordiam,

ſentiâ mei tantùm, ſed multò magis nunc in abſentiâ meâ, cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.

13. *Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bonâ voluntate.*

diam, ingratitudinem, occultam superbiam ac præsumptionem denuo subtrahere potest, nisi hanc ipsam dependentiam ac necessitatem divinæ opis grato submissóque animô agnoscamus, imploremus, illíque gratias, utì par est, agamus. Atque hic metus, hæc sollicitudo concepta tum ex profundâ notitiâ fragilitatis nostræ, tum ex incertitudine perseverantiæ, tum ex horrore offendendæ tantæ Majestatis nobis tam salutaris est,

14. *Omnia autem facite sine murmurationibus & hæsitationibus:*

14. quàm perniciosa est omnis arrogantia & inde orta indignatio, ac disceptatio, quâ fit, ut in aliorum mores atque actiones superbè & curiosè inquiratur, eâque acerbiori censurâ perstringantur. Quæ proin vitia ut procul fugiatis, etiam atque etiam hortor, itaque in rebus omnibus ita vos gerite, ut aliorum studia minimè reprehendatis, neque vos alienis rebus ac negotiis misceatis, aut curiosiùs investigetis (quod otiosi atque maligni proprium est) quid in iis probandum, quídque reprehendendum videatur,

15. *Ut sitis sine querelâ, & simplices filii Dei, sine reprehensione, in medio nationis pravæ &*

15. quò sitis ipsi ab omni reprehensione liberi, omníque labe prorsus puri, sinceri, atque candidi filii Dei, nulli

penitus

penitùs affines culpæ, cùm tamen in medio nationis pravæ perversæque versemini, homines autem illos impios ac sceleстos intelligo, quos inter virtutum vestrarum splendore non aliter micatis, quàm cœlestia illa corpora, syderúmque lumina per noctis tenebras collucent. 16. Adeóque velut astra quædam vivifici sermonis atque Evangelicæ doctrinæ præfulgidâ luce magnam mihi gloriandi materiam præbetis coram tribunali divino, me non incassùm tot tantósque labores pro vobis exantlâsse in prædicando Evangelio, utpote qui per meam prædicationem tam egregiè profeceritis, ac cœlestia quædam mundi lumina facti sitis sempiterno quodam splendore coruscantia. 17. Quin etiam hoc verè vobis atque ex animo affirmare possùm, etiamsi me contingat immolari per mortem quamcunque à persecutore pro Christo inferendam, posteaquàm vos ac fidem vestram Deo ministrans atque sacrificans priùs obtulero, non id me ullâ ratione conturbat, sed eo nomine plurimùm gaudeo, quòd ei offerar in sacrificium, vobísque majorem in modum

perversæ: inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.

16. *Verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi, quia non in vacuum cucurri neque in vacuum laboravi.*

17. *Sed & si immolor supra sacrificium & obsequium fidei vestræ, gaudeo & congratulor omnibus vobis.*

modum gratulor & congaudeo, qui & ipsi per fidem reddimini sacrificium Deo acceptum.

18. *Idipsum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi,*

18. Nolite hac verborum expressione offendi aut affligi, sed potiùs lætitiâ me cum perfundi tum ob supremum vitæ meæ sacrificium, quod votis omnibus exopto, tum ob divina charismata in vos effusa, quæ ut in vobis porrò conserventur & indies augeantur, nulli sanè labori aut curæ parcam.

19. *Spero autem in Domino JEsu, Timotheum me citò mittere ad vos: ut ego bono animô sim, cognitis, quæ circa vos sunt.*

19. Ideóque spero in Domino JEsu, brevì me ad vos missurum Timotheum mihi longè charissimum, ut per illum de vobis, rebúsque vestris certior fiam, cognitóque felici vestrûm omnium statu eam, quam par est, quámque opto ac spero, capiam animô voluptatem, donec enim hoc resciero, metus me tenet atque anxietas, ne Ecclesia vestra aliquid damni vel mali passa sit.

20. *Neminem enim habeo tam unanimem, qui sincerâ affectione pro vobis sollicitus sit.*

20. Neminem sanè habeo ex iis, qui mecum sunt mecúmque vivunt, qui Timothei in vos omnes studium atque amorem assequatur, quíque persimili industriâ res vestras curaturus videatur.

21. *Omnes enim, quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt JEsu Christi.*

21. Nam, ut ingenuè fatear (quod tamen non sine aliquo pudore atque acerbo animi

animi sensu dicere cogor) omnes, quæ sua ipsorum sunt, non quæ JEsu Christi, appetunt, & quærunt de aliis parùm solliciti. 22. Quis autem & qualis hic sit, de quo dixi, Timotheus, vos experimentô didicistis, qui probè nostis, illum velut filium unà mecum tanquam parente Evangelicæ prædicationi operam strenuè navâsse. 23. Hunc igitur spero, me brevì missurum ad vos, simul atque rerum mearum statum planiùs perspexero, quò scilicet vergant mea vincula, an iis brevì eripiendus, an in illis mansurus diutiùs. 24. Quamquam non exiguam in Domino spem conceperim, quòd non ita multo pòst tempore ipse ad vos venturus sim. 25. Interim tamen necessariò mihi faciendum existimavi, ut Epaphroditum fratrem, collegam ac commilitonem meum, vestrum autem sive Episcopum sive legatum, qui vestro nomine victui meo necessària subministravit, ad vos quamprimùm remitterem. 26. Vehementer enim omnium vestrûm conspectum optabat, gravissimé que angebatur propterea, quòd multorum sermone, ac fortasse etiam nonnullorum litteris cogno-

22. Experimentum autem ejus cognoscite, quia sicut patri filius, mecum servivit in Evangelio.

23. Hunc igitur spero me mittere ad vos, mox ut videro, quæ circa me sunt.

24. Confido autem in Domino, quoniam & ipse veniam ad vos citò:

25. Necessarium autem existimavi, Epaphroditum fratrem & cooperatorem & commilitonem meum, vestrum autem apostolum & ministrum necessitatis meæ mittere ad vos.

26. Quoniam quidem omnes vos desiderabat: & mæstus erat, propterea quòd audieratis illum infirmatum.

noverat, perveniſſe ad vos de ſuâ moleſtâ ægritudine nuncium, cunctísque peracerbum accidiſſe.

27. Nam & infirmatus eſt usque ad mortem: ſed Deus miſertus eſt ejus; non ſolùm autem ejus, verùm etiam & mei, ne triſtitiam ſuper triſtitiam haberem.

27. Et profectò negari non poteſt, eum tam gravi periculosóque morbô laborâſſe, ut nihil propiùs fuerit, quàm ut diem clauderet extremum, ſed Deus Optimus Maximus illius miſertus eſt, & neque tantùm illius, ſed, ut verum fatear, multò etiam magìs mei, ne ad eas moleſtias, quibùs quotidie Evangelicæ prædicationis causâ ſupra modum premor, is etiam dolor accideret, quem fuiſſem ex ejus obitu percepturus, ſi tali ac tanto paſtore vos orbatos vidiſſem.

28. Feſtinantiùs ergò miſi illum, ut viſo eo iterum gaudeatis, & ego ſine triſtitiâ ſim.

28. Illum itaque eò citiùs, ut vos ejus præſentia, jucundiſſimóque conſpectu ac ſermone frueremini, & ego interim quadam gaudii veſtri anticipatione recrearer, qui certò ſcirem, ejus adventum vobis omnibus fore gratiſſimum.

29. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & ejusmodi cum honore habetote.

29. Excipite igitur illum in Domino hilari lætóque vultu, & ſi qui ſunt apud vos ei ſimiles, illos magno in pretio habete, & omni officii genere complectimini.

30. Quoniam propter opus Chriſti usque ad mortem acceſſit, tradens animam ſuam, ut

30. Quoniam ut me vinctum ſublevaret, adeóque hac ratione rem Chriſtianam promoveret, atque amplificaret, non

exiguum

exiguum mortis discrimen adiit, ex prolixo itinere nimiísque laboribus, nullámque vitæ suæ rationem habuit, ut ipse per se præstaret, quod vestro in me officio propter locorum intercapedinem deesse videbatur, quódque haud dubiè præsentes ipsi mihi exhiberetis, si hac in urbe commorandum vobis foret.

impleret id, quod ex vobis deerat erga meum obsequium.

PARAPHRASIS

CAP. III.

1. QUod superest, fratres mei, qualiacunque sint adversa mihi perferenda, nolite eam ob rem affligi, aut ullâ ex parte turbari. Majoris momenti res nostram requirunt sollicitudinem atque attentionem. Quare æqui boníque consulite, si eadem in hac epistolâ monita repetam, quæ sæpe coràm proposui, cùm apud vos agerem, vel etiam aliis inculcavi. Iterata hæc commonitio nullum mihi fastidium creat, cùm eam non tantùm perutilem, sed prope necesf-

1. *De cætero fratres mei, gaudete in Domino. Eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.*

ceſſariam reputem pro majori ſalutis veſtræ ſecuritate, ut nimirum cautiores reddamini, & adversùs malorum inſidias vigilantiores. Cavete vobis ab hiſce pſeudoapoſtolis, qui doctrinam Evangelii aſperſo legis veteris jam abrogatæ fermentô corrumpere ſatagunt.

2. *Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem.*

2. Canes ſunt impudentes, qui identidem nobis oblatrant, & aliud clamoribûs ſuis non quærunt, niſi ut ventrem ſuum expleant, rabidóque morſu Eccleſiam Dei dilacerent. Nullum vobis ſit commercium cum perverſis hiſce omnis malitiæ miniſtris ac hypocritis, qui Legis ac Circumciſionis ſtudium atque neceſſitatem jactitant, cùm tamen illis potiùs fatalem modò plagam inferat, alióſque ad exitiale ſchiſma inducat.

3. *Nos enim ſumus circumciſio, qui ſpiritu ſervimus Deo, & gloriamur in Chriſto JEſu, & non in carne fiduciam habentes:*

3. Nos etenim ſumus veræ circumciſionis, qualem Deus requirit, ſectatores, qui reſectis tum Judaicis ritibûs, tum ſæcularibus ſincerè atque ex animo mente ac ſpiritu religioſè Deum colimus, & gloriamur non in Moyſe, ſed in Chriſto, neque ſpem in rebus externis collocamus, quæ ad animum nihil pertinent, qualis eſt corporis & carnis circumciſio, vel potiùs

tiùs inutilis modò post Christum concisio. 4. Quamquam ego, si quidquam in carne confidendum, habeo etiam, de quo in corpore meo & carne nonnihil gloriari possim, imò magìs quàm plures alii. 5. Quippe octavo ab ortûs mei die circumcisus, ex gente Israeliticâ oriundus, è tribu Benjamin natus, hebræus vero hebræo sanguine progenitus, sectâ ac professione legis observantissimâ pharisæus, non est ergò, quòd existiment Judæi, me ex zelo, & invidiâ hisce detrahere, quasi inferior, sed sciant me id facere studiô veritatis, fidei, & salutis, ut carne omnes traducam ad spiritum, doceámque tam Judæos, quàm Gentiles adorare Deum in spiritu & veritate. 6. Quòd si studium paternæ religionis consideretur, tanto ardore ac zelo pro eâ pugnavi, & Ecclesiam Christi tunc temporis exurgentem persecutus sum, ut absque horrore ac pudore illius furoris reminisci non valeam: quod autem ad eam justitiam attinet, quæ pendet ex lege, eam tam studiosè sectatus sum, ut nullâ prorsus reprehensione dignus repertus sim. 7. Verùm sic sum in præsenti

4. Quamquam ego habeam confidentiam & in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magìs.

5. Circumcisus octavo die, ex genere Israel, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, secundùm legem Pharisæus.

6. Secundùm æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundùm justitiam, quæ in lege est, conversatus sine querela:

7. Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitra-

tus sum propter Christum detrimenta.

ti comparatus, ut quæ pridem pro magno lucro & gloriâ ducebam, ea cum Christi doctrinâ atque Evangelicâ prædicatione collata pro ingenti nunc detrimento & dedecore habeam propter Christum, quia sunt impedimenta veritatis & salutis à Christo hauriendæ.

8. *Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam JEsu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ùt stercora, ut Christum lucrifaciam.*

8. Quin etiam ita mihi prorsus persuadeo, ea omnia, quæ me aliquando famâ clarum, & inter conterraneos meos valde æstimabilem reddiderant, utì est nationis sanctitas, nobilitas originis, gloria nominis, & aliæ Judaismi prærogativæ, imò bona mundi, terrena omnia, si cum eximiâ ac præstante Christi Domini mei cognitione componantur, magno dispendio habenda, vel nauci potiùs facienda esse, ut adeo non dubitem horum omnium tanquam vilissimarum rerum, imò sordium nos inquinantium jacturâ Christi Domini fidem quasi ingentis cujusdam thesauri inventionem facilè redimendam, quandoquidem lex Evangelica tantò præstat veteri, quantò Christus Dominus suo servo Moysi.

9. *Et inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est*

9. Itaque mihi magnopere gratulor, quòd in illo & per illum veluti palmes in vite ad tantam dignitatem ac

ac felicitatem evectus ſim non meâ conſiſus ac prædictus juſtitiâ, hoc eſt, illâ, quæ pendet ex lege, & perexigui momenti eſt, ſed illâ potiùs verâ ac ſolidâ, quam Chriſti fides & pollicetur, & prædicat, quæque ab immortali Deo fidei gratiæque cœleſtis beneficiô tribuitur. 10. Hoc unum mihi in votis eſt, ut perfectam aliquando ejus ſcientiam & cognitionem aſſequar, quis nimirum, qualis, quantúsque ſit, nempe Deus homo, Meſſias, Salvator mundi, mortíſque domitor ac triumphator, eximiámque ejus reſurrectionis vim atque efficaciam percipiam, & quod caput eſt, perpeſſionum ipſius fiam aliquâ ratione particeps, quò etiam in ejus gloriæ conſortium veniam, & quoad fieri poteſt mortis ipſius in meipſo ſimilitudinem exprimam depoſitâ priori, & novâ poſtmodum divináque ejus vitâ animatus, 11. atque ita ereptus è miſerâ regione mortis, quam incolimus, pertingam ad eam reſurgentium corporum noſtrorum gloriam, quam fidei lumine illuſtrati aliquando futuram exſpectamus. 12. Neque tamen idcirco exiſtimetis velim, quòd me jam aut metam attigiſſe, aut juſtitiæ apicem

Chriſti JEſu: quæ ex Deo eſt juſtitia in fide.

10. *Ad cognoſcendum illum, & virtutem reſurrectionis ejus, & ſocietatem paſſionum illius: configuratus morti ejus:*

11. *Si quo modo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis:*

12. *Non quòd jam acceperim, aut jam perfectus ſim: ſequor autem,*

si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo JEsu.

cem assecutum me confidam: considero me quasi in stadio constitutum, útque aliquâ ratione respondeam ineffabili benignitati Servatoris mei, qui me longiùs ab eo fugientem & Damascum contendentem feliciter apprehendit, suâque vocatione cepit, ex eo tempore omni studio conatúque curro & constanter persequor, ut ipsum, ipsius vitam, virtutes ac perfectionem quam unicè suspiro, attingam.

13. *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retrò sunt obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens meipsum.*

13. Hoc igitur accipite fratres, neque me decursô jam stadiô pervenisse ad metam, neque Christianæ vitæ perfectionem attigisse, sed in id unum totis viribus collimare, ut quæ à me olim pro Christo gesta aut tolerata sunt, tanquam à tergo seposita oblivioni tradam, (præteritorum enim memoria superbos reddit ac desides) ad ea verò, quæ ante oculos versantur, & in conspectu posita sunt, quantâ possum, maximâ diligentiâ contendam,

14. *Ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo JEsu.*

14. & oculis semper in scopum præfixum defixis toto animo ferar ad illam nobilissimam cœlestis gloriæ palmam iis propositam ac destinatam, qui JEsum Christum cœlitùs vocantem prompto ac hilari animô, cursûque constante sequun-

quuntur. 15. Quotquot igitur perfectionis ſtudium atque amorem profitemur, hoc ſanè & ſentiamus, & fateamur, necdum planè nos ad perfectionis culmen perveniſſe, ſed enitendum potiùs, ut majores quotidie progreſſus faciamus. Quòd ſi quis amore proprio faſcinatus plura de ſe præſumit, equidem confido: illum Deo dante per internam inſpirationem atque doctrinam huic ipſi veritati manus aliquando daturum demiſsè de ſe humilitérque ſentiendo. 16. Interea, dum debitâ cum animi modeſtiâ ac moderatione exſpectamus, quæ nobis adhuc revelare dignabitur de divinitatis ſuæ arcanis, nec non de carnis noſtræ infirmitate, demus operam, ut quod jam Dei munere aſſecuti ſumus, ſedulò ac ſtudiosè retineamus, & eundem porrò vitæ tenorem ac regulam ſequamur, hoc eſt, ut idem prorſus ſentientes eodem planè modo affecti ſimus. 17. Ne ergò deflectatis à rectâ, quam tenetis, ſemitâ, minimè vereor me vobis, fratres, in exemplum imitandum proponere, nec non eorum vitam ac mores, quos vidiſtis, cùm apud vos eſſem, ſe ſuámque vitæ rationem

15. *Quicunque ergò perfecti ſumus, hoc ſentiamus: & ſi quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus revelabit.*

16. *Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem ſapiamus, & in eâdem permaneamus regulâ.*

17. *Imitatores mei eſt te fratres, & obſervate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.*

18. *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi:*

19. *Quorum finis interitus: quorum Deus venter est: & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.*

20. *Nostra autem conversatio in cœlis est: unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum JEsum Christum.*

21. *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ secundùm operationem, quâ etiam possit subjicere sibi omnia.*

tionem nostris tum exemplis tum præceptis conformare. 18. Id quod tantò magìs vobis necessarium est periculoso hoc tempore, quantò plures nunc sunt falsiloqui Doctores, qui suorum studiorum studiosi, utì sæpe dixi, non absque lachrymis, & intimo doloris sensu iterare cogor, crucis Christi publici hostes, atque oppugnatores sunt. 19. Quorum extrema interitu atque exitiô clauduntur, quippe pro Numine gulam, atque abdominis cupedias ac genium colunt, terrena & caduca unicè sectantur, sibíque gloriosum ac honestum ducunt, de quo maximè erubescere atque confundi deberent. 20. Nos verò ab hac vivendi ratione alieni quasi cœlestis patriæ municipes de illo senatu & Beatorum cœtu assiduè cogitamus, atque ita nos gerimus in omni vitâ, ut appareat nos securo tranquillóque animô Christum nostrum liberatorem cœlitùs venientem exspectare, 21. qui pro eâ vi atque efficacitate, quâ sibi omnia subjicere potest, quáque rebus omnibus pro imperio dominatur, hæc humilia atque abjecta corpora nostra in aliam quandam for-

formam revocabit, suóque corpori immortalitatis gloriâ circumdato reddet quàm simillima.

PARAPHRASIS

CAP. IV.

1. Tanta est hæc remuneratio, ut ejus comparatione atrocissima quævis supplicia leviuscula vobis videri debeant. Inardescite ejus desideriô fratres mihi perdilecti, & secundùm præsentiam vestram exoptatissimi, quos gaudii & coronæ veluti segetem ac materiam agnosco, & libens prædico. In illam semper defixos tenete oculos, & persistite, uti cœpistis, in fide, spe, gratiâ & justitiâ, vósque hac meâ tam singulari providentiâ & charitate præbete non indignos, ut meritò vos mihi præ cæteris charos, ac pene incredibili amore conjunctos profiteri valeam. 2. Evodiam fanè obsecro, idémque Syntichen primarias apud vos matronas etiam atque etiam precor, ut sepositis omnibus

1. Itaque fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea: sic state in Domino charissimi,

2. Evodiam rogo, & Syntychen deprecor, idipsum sapere in Domino.

bus dissidiis unâ eadémque animi consensione idem in Domino, cui serviunt, sapiant, & loquantur.

3. *Etiam rogo, & te germane compar, adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, & cæteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ.*

3. Te verò fidelis socie atque collega prædicationis Apostolicæ, qui mecum strenuè laborasti in vinea Domini, oro, atque obtestor, ut iis, quacunque poteris, ratione opituleris, quæ in promulgatione Evangelii me comitantes unà cum Clemente, cæterísque adjutoribus meis, quorum nomina in libro vitæ descripta sunt, multa itinerum fastidia pertulerunt, mihíque laboranti subsidio fuerunt.

4. *Gaudete in Domino semper: iterum dico, gaudete.*

4. Vos porrò gaudete in Domino semper, nempe non in iniquitate, sed in veritate, non in flore vanitatis, sed in spe æternitatis, tam tempore adversitatis, quàm prosperitatis, iterum repeto gaudete bonâ freti conscientiâ, & recolentes inæstimabilia beneficia partim hîc collata, partim conferenda in cœlis.

5. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus propè est.*

5. Hoc tamen gaudium comitem habeat modestiam & moderationem omnium affectuum ac morum etiam externorum, quò sitis ædificationi proximo, vestrámque animi æquabilitatem tot inter adversa agnoscant universi, hæc enim brevì desinent, Dominúsque jam propè adest,

adeſt, ut ſuâ vos præſenti ope ſublevet, ac corroboret, vel ab omnibus malis ad ſe evocatos eruat, veſtrámque modeſtiam ac patientiam coronet, gaudiúmque cœptum compleat. 6. Nulla igitur vos ſollicitudo premat, nullóque animi angore perturbemini de rebus obventutis capitíque veſtro imminentibus, ſed in omnibus rebus fuſis ad Deum precibûs, ſupplicationibúsque unà cum gratiarum actione conjunctis vota veſtra atque indigentiam bonorum omnium largitori Deo omni cum fiduciâ, & reſignatione exponite. 7. Huic conſilio ſi morem geritis, cœleſtis ac divina pax, quæ magnitudine ac præſtantiâ ſuâ omnem mentis captum longè ſuperat, & per merita Chriſti Domini fidelibus ejus ſervis conceditur, animorum veſtrorum ſenſa & cogitationes ſuo veluti lumine illuſtrabit, corda verò liquidiſſimo gaudiô perfundet, atque in obſequio Dei ſingulari præſidiô firmabit ac tuebitur. 8. Quod autem reliquum eſt, fratres, hîſce non contenti ad majora ſemper virtutum incrementa aſpirate, datéque diligenter operam, ut quæcunque ſunt vera, & minimè fucata, quæcunque gravia

6. *Nihil ſolliciti ſitis: ſed in omni oratione, & obſecratione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.*

7. *Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto JEſu.*

8. *De cætero, fratres quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunque juſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bona*

fama, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate,

gravia ac verecunda, quæcunque æquitati consentanea, quæcunque pura & casta, quæcunque ad communem amorem & concordiam faciunt, quæcunque bonam famam atque existimationem parere possunt, si quid honestum, si quid studiosum ac laude dignum videtur, hæc, inquam, atque his similia mente ac cogitatione assiduè verseris & reipsâ sectemini.

9. *Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis & vidistis in me, hæc agite: & Deus pacis erit vobiscum.*

9. Quæ verò didicistis & accepistis, auribûs denique ac oculis vestris à nobis hausistis, hæc porrò imitatione & actionibus vestris exprimite, & Deus pacis auctor vobis hæc meditantibus atque agentibus haud dubiè aderit, vobísque etiam pacem & gratiam gentilium conciliabit.

10. *Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire, sicut & sentiebatis, occupati autem eratis.*

10. Magnopere sanè gavisus sum in Domino, quòd tandem, quæ nonnihil elanguisse videbatur, vestra de me bona persuasio ac benevolentia, denuo reviviscere, ac veluti frondescere cœperit, quamquam, ut opinor, non omnem de me penitus sollicitudinem deposueratis, sed nempe facultas vel opportunitas eam demonstrandi deerat.

11. *Non quasi propter penuriam dico: ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse.*

11. Neque verò hæc à me propterea commemorantur, quod de meâ inopiâ ejúsque subsidiis

diis

diis procurandis magnopere sim sol-
licitus qui jam pridem ita sim ani-
mô comparatus, ut quæcunque ac-
cidant, æquo animô feram, &
rei familiaris angustias non solùm
patienter tolerem, sed etiam amem
paucîs contentus. 12. Quin etiam
mihi perinde est, aut tenuitate de-
primi, aut si rerum copia, & afflu-
entia suppetat, bonîs omnibus abun-
dare. Quidquid mihi acciderit,
quocunque rerum articulo statúque
deprehendar, accidentia, si quæ
superveniant famis & saturitatis,
indigentiæ & opulentiæ pro mediis
opportunis mihi serviunt resignatiô-
nem & obedientiam Deo debitam
exercendi. 13. Uno verbo nihil
mihi arduum, atque difficile vide-
ri potest, dum Christi patrocinio,
præsidióque sustentor, cujus amoris
suavitate cùm perfusa sint, quæcun-
que tolerari necesse est adversa, in-
credibiliter dulcescunt. 14. Ni-
hilo tamen secius vestram in me
beneficentiam non solùm probo,
sed laudo etiam vehementer,
quòd hac maximè ratione prœ-
mii adversorum tolerantiæ debiti
participes esse voluistis subvenien-
do meæ indigentiæ. 15. Memi-
nistis

12. *Scio & humiliari, scio & abundare (ubique & in omnibus institutus sum) & satiari & esurire; & abundare & penuriam pati.*

13. *Omnia possum in eo, qui me confortat.*

14. *Verumtamen benefecistis communicantes tribulationi meæ.*

15. *Scitis autem & vos Philippenses, quòd*

in principio Evangelii, quando profectus sum à Macedoniâ, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati & accepti nisi vos soli:

nistis enim vos, opinor, Philippenses, cùm initiô meæ apud vos prædicationis Evangelicæ è Macedoniâ isthuc proficiscerer, nullam aliam Ecclesiam afflicto mihi & egenti quidquam contulisse compensando spiritualia à me accepta donis temporalibus, sed à vobis solis tunc accepi, quod referrem in codicem datorum & acceptorum.

16. *Quia & Thessalonicam semel & bis in usum mihi misistis.*

16. Ipsi enim Thessalonicam usque ad victum necessaria semel atque iterum ad me misistis.

17. *Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestrâ.*

17. Quæ non idcirco commemoro, quòd vestram aut cujusquam liberalitatem iteratò requiram ac sollicitem, sed ut solatium, gaudiúmque meum vobis patefaciam ex copioso lucro, quod vestris rationibus in libro Dei pro tot eleemosynis aliísque piis obsequiis proximo præstitis adscribetur, ut creditores reddamini amplissimæ remunerationis ac mercedis cœlitùs redhibendæ.

18. *Habeo autem omnia & abundo: repletus sum, acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.*

18. Jam verò ut ad hæc recentia & postrema veniam, sic habetote, accepisse me omnia, méque iis abundè expletum esse, quæ à vobis per Epaphroditum ad me transmissa, ab eóque fideliter reddita sunt,

ſunt, fateórque me veluti ſuavi quodam ſuffitu hac veſtrâ liberalitate mirificè recreatum eſſe, nec dubito illam fuiſſe quaſi victimam & hoſtiam Deo cumprimis gratam, quæ cum thure per ignem & fumum odore ſuaviſſimo usque ad ejus thronum aſcendet, ac millenas inde benedictiones in vos referet.
19. Non poſſum tantæ liberalitati ex æquo reſpondere, ſed Deum enixè rogo, ut quod viribus meis deeſt, pro ſuâ immenſâ opulentiâ ac bonitate ſuppleat, ídque cum magnâ & præclarâ gloriæ veſtræ teſtificatione apud omnes mortales, & quod magìs optandum eſt, cum certâ futuræ felicitatis exſpectatione, quæ Chriſti JEſu potiſſimùm meritis tribuetur.
20. Iſtius, noſtrúmque omnium Patri amantiſſimo, cùm pares non poſſimus pro tantis favoribus, ſaltem maximas quas poſſumus gratias referamus votis omnibus exoptantes, ut illi gloria immortalis tot titulis debita in omnem æternitatem reddatur. Amen.
21. Salutate omnes Sanctos, qui Chriſto JEſu nomina dederunt.
22. Viciſſim autem ſalutant vos omnes, qui mecum ſunt fratres, quin etiam omnes ſancti,

19. Deus autem meus impleat omne deſiderium veſtrum, ſecundùm divitias ſuas, in gloriâ, in Chriſto JEſu.

20. Deo autem & Patri noſtro gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

21. Salutate omnem Sanctum in Chriſto JEſu.


22. Salutant vos, qui mecum ſunt, fratres. Sa-

lutant vos omnes ſancti, maximè autem, qui de Cæſaris domo ſunt.


23. *Gratia Domini noſtri JEſu Chriſti cum Spiritu veſtro. Amen.*

ſancti, Chriſtíque fideles vobis ſalutem plurimam dicunt, præcipuè verò, qui ſunt ex Cæſaris familiâ.

23. Gratia Domini noſtri JESU Chriſti ſit cum omnibus vobis. Amen. Ejus præſidiô poſſidebitis omnia, & in optimos uſus vertetis ſive opes ſive inopiam, tranquillâ pace perfruemini, & quæ vobis dedi, ſalutis monita nec memoriâ, nec animis veſtris excidant.



AR-



ARGUMENTUM
EPISTOLÆ D. PAULI APOSTOLI
AD
COLOSSENSES.

Coloſſenſes, quibus Epiſtola inſcribitur, non ſunt Rhodii, utì aliqui opinabantur, tametſi enim daretur incolas inſulæ Rhodi olim ita appellatos ob nobilem illum ſolis Coloſſum, qui inter ſeptem mundi miracula numeratus inſulam illam tam celebrem reddidit, aliunde tamen ſatis liquet, illos, ad quos hanc epiſtolam dedit Apoſtolus, longè ab iis diverſos fuiſſe, ſedésque ſuas fixiſſe in majori Phrygiâ haud procul Laodicea & Hierapoli. Jam verò Apoſtolus, quanquam Coloſſenſes ne quidem viderat, utì colligitur ex cap. 2. quia tamen tanquam Gentium Apoſtolus peculiarem in ſe curam

ram susceperat omnium Ecclesiarum, cùm intellexisset, nonnullos pseudodoctores labem aliquorum errorum Colossensibus aspersisse, ut huic quoque Ecclesiæ exinde periclitanti pro officio & zelo suo succurreret, hanc ad illos epistolam dedit, quâ eos ad saniora consilia, & pristinæ fidei integritatem conatur revocare. Errores inter illos à discipulis Simonis Magi vel certè Cerinthi disseminati eò præcipuè collimabant, quòd non Christus Dominus ob nimiam videlicet dignitatis suæ præcellentiam, sed Angeli nostræ salutis auctores sint & mediatores. Judaicas præterea superstitiones, ac nefaria Gentilium sacra & observationes magnâ ex parte probabant hi novatores, denique quod purum ac nitidum à viris Apostolicis Archippo & Epaphrâ hauserant Evangelium Christi Domini lacunarum seu opinionum exoticarum influxu inquinabant. Eorum doctrinam primis duobus capitibûs refutat Apostolus, ubi ostendit, non nisi per Christum filium Dei, per quem omnia condita sunt, nos instaurari, & cum Deo reconciliari, per ejus unius merita nobis ad illum patere aditum, eum unicum esse Mediatorem nostrum principalem, fontem omnium gratiarum, principium & finem nostrarum actionum, & quemadmodum is corruptibilem hanc vitam, quam hactenus duxerat, in cruce exuit, ita & nos per baptismum peccato mortuos esse, nec non observationibus tum Judaicis tum philosophicis, quas elementa terrena & hujus mundi nuncupat, id est, prima rudimenta crassioris & imperfectæ notitiæ valde opposita clariori & sublimi comprehensioni, quam modò habemus post prædicationem Evangelii, quocum proinde misceri non debeant, cùm ad sanctificationem nostram nihil conferant. Duobus subsequentibus capitibûs agit de moribus,

bus, & cuilibet pro ſuo ſtatu ac conditione ſalubria, & homine Chriſtiano digna monita tradit. Scripta eſt cum duabus præcedentibus eodem anno hæc epiſtola ex Romano carcere ab Apoſtolo, éſtque quoad materiam & ſententias perſimilis illi, quam ad Epheſios dedit, & inſtar illius grandiloqua ac ſublimis.

Caput 1. orditur à conſuetis apprecationibus gratiæ & pacis Domini JEſu Chriſti. Tum extollit Coloſſenſes ob fidei conſtantiam & rerum adverſarum ac moleſtarum tolerantiam pro defenſione Evangelii. Certos reddit, quòd pro illis conſtanter Deum Optimum deprecetur, ut eos indies magìs colluſtret & promoveat in intelligentiâ tum divinorum myſteriorum, tum obligationis eis incumbentis ſingulares Deo grates agendi, quòd illos vocare dignatus ſit in partem hæreditatis Sanctorum, nempe cœleſtis gloriæ non Angelorum operâ ac virtute, ſed Chriſti Domini, cujus plures eminentes prærogativas adducit, & imprimis, quòd per eum redempti ſimus, & acceperimus remiſſionem delictorum. 2. Quòd inviſibilis Dei imago ſit non inanimis illa & muta, ſed eâdem vitâ ac ſubſtantiâ cum Deo Patre prædita. 3. Appellat illum primogenitum omnis creaturæ ad indicandum æternam ejus generationem, quæ præcedit creationem omnium rerum, & nullo fine clauditur, quemadmodum initium nullum habuit. 4. Aſſerit, quòd in ipſo, & per ipſum, & propter ipſum omnia condita ſint, & nominatim Dominationes, Principatus, Poteſtates ac Virtutes, eorúmque errorem refellit, qui contendebant, hunc terrarum orbem per Angelos procreatum. Ab his qualitatibus generalibus deſcendit ad particulares, quæ mortalium commoda concernunt, quas inter primo locô venit, quòd Caput ſit Corporis myſtici,

nempe Ecclesiæ. Tum observat, quòd primus a mortuis resurrexerit, & secundùm utramque naturam tam humanam, quàm divinam primatum habeat super omnia, quòd plenitudo divinitatis in ipso habitet, quòd per eum Deus cœlestia ac terrestria, Angelos ac homines per peccatum ab illis divulsos cœlóque exclusos inter se reconciliaverit uniendo ipsos tanquam unum corpus in Christo ùt capite, pace inter eos composita per sanguinem ejus in cruce effusum, quo peccatum, quod erat inimicitiæ causa, deletum est. Ostendit subin eo temporis articulo, quo hæc reconciliatio executioni data est, homines à Deo aversos & alienos fuisse & opere & mente, gratiæ itaque magnæ locô habendum, quòd eis pacem procurare voluerit, majoris, quòd eam procuraverit proprio sanguine, maximæ, quòd in cruce. Postmodum hortatur eos ad perseverantiam in fide & illibatâ doctrinâ, si tamen percipere velint fructus hujus pacificationis. Sanctè asseverat, ærumnas & insectationes, quas amore Christi Domini pertulit, sibi dulces & in deliciis fuisse, séque perlibenter adimplere, quæ desunt ejus passioni, ex quo loquendi modo tamen nequaquam sequitur, Apostolum sibi persuasisse, quasi ejus passio & merita ex se non suffecerint ad delenda omnia delicta, sibíque proin hanc sufficientiam supplendam fuisse propriis conatibûs ac meritis. Impia fuisset, & erronea hæc persuasio, sed longè sublimiorem ac reconditam veritatem detegere ac declarare voluit Apostolus, quam paucîs explico. Christus Dei Filius incredibili & longè majori zelo, quàm concipere possimus, pro honore Patris sui ter Optimi Maximi accensus reparare ejus læsionem statuerat, justitiæque divinæ satisfacere omni pœnarum ac suppliciorum genere, quæ excogitari poterant, cùm in terris degeret, atque hoc ipsum post mortem etiam modis omnibus

nibus expetit pro salute humani generis, si fidem habemus Divo Chrysostomo in expositione horum verborum: omnibus autem perspicuum est, quamvis longè acerbiora pertulerit, quàm omnes simul martyres, eum nihilominus tantummodò flagellatum fuisse, spinis coronatum, & cruci suffixum. Plura igitur pœnarum genera restant, quæ nec ei inflicta fuère, nec porrò infligentur, cùm vitâ nunc fruatur sempiternâ, nullísque ampliùs doloribus obnoxia. Quod autem in seipso tolerare, aut persentiscere nequit, vult illud in suis membris admittere ac perferre, quibus tam admirabili nexu conjungitur, ut patiatur & ipse, cùm illi dolent, & in iis ratione quadam adeo arcanâ, & intimâ resideat, ut dici non abs re valeat, eum in S. Bartholomæo excoriatum, in S. Joanne discipulo suo perdilecto in ferventis olei dolium conjectum, in ipso Apostolo Paulo ærumnas carceris, vinculorum aliásque molestias sustinere. Hic meo quidem judiciô legitimus sensus est illorum verborum: *adimpleo ea quæ desunt &c.* Suas quoque, quas Christus in se suscepit, nuncupare potest afflictiones ac dolores Apostolus, cùm ejus Legatum agat: paulò post enim hunc characterem assumit, declarátque officii sui esse gentilibus revelare mysterium absconditum, & sanctioribus etiam præteritorum sæculorum Antecessoribus incognitum, nempe eorum vocationem ad fidem & gratias Christi Domini, tametsi enim Patriarchæ & Prophetæ non ignoraverint adventum Christi Domini, non omnibus tamen constabat, eum propter Gentes etiam aliquando venturum.

Cap. 2. significat Colossensibus, quanto studiô ac sollicitudine teneatur, pro eorum non minùs ac illorum, quos de facie noverat, institutione sincerâ, plenâque ac perfectâ notitiâ mysteriorum fidei, monétque, ut non patian-

tiantur ſe falsâ ratiocinatione decipi, neque ſubdolâ philoſophorum verſutiâ & calliditate à recto fidei tramite abduci, neque denique inani Judæorum ſuperſtitione, & multiplici dierum ac ciborum obſervatione & cultu quodammodo corrumpi & inquinari. Argumentum, quo dicta ſua ſtabilit, eſt ejusmodi: Tali Magiſtro credendum eſt, in quo ſunt *abſconditi omnes theſauri* ſapientiæ ac ſcientiæ, quíque adeo vos fallere nequit, hoc autem de alio cum veritate prædicari non poteſt, quàm de Chriſto Domino, ergo. Hæc vocula *theſauri* ſecundùm D. Chryſoſtomum denotat abundantiam, particula *omnes* plenitudinem, quódque nihil ei deſit, verbô autem *abſconditi* inſinuatur eſſe ſecreta aliqua ipſi ſoli reſervata cum tempore eructanda & patefacienda aliis. Tum ſingularem erga illos ſollicitudinem iteratò declarat, religiosè teſtando, ſe tametſi corpore abſentem, præſentem tamen illis eſſe ſpiritu aſſiduáque mentis cogitatione ac curâ, nec non auctoritate ac poteſtate ſpirituali. Geſtientis poſtmodum animi ſui lætitiam explicat, eósque collaudat, quòd in ordine gradúque ſuo ſinguli firmi perſiſtant, veluti milites probè exercitati, & impensè obteſtatur, ut profundas radices agant in fide JEſu Chriſti, & ſuper illum tanquam fundamentum ſolidiſſimum ſuæ ſalutis ædificium erigant, quemadmodum inſtructi fuerant, inanem verò philoſophiam, ſeu novum religionis ſyſtema ex diverſis opinionibus Platonis aliorúmque pliloſophorum conflatum explodant. Demum ſupremam Chriſti Domini dignitatem repræſentat, in quo dicit plenitudinem Divinitatis reſidere corporaliter, nempe tanquam in proprio corpore, adeo ut corpus à Verbo Patris per Incar-

Incarnationem assumptum non minùs sit corpus ejus proprium, quàm si id per naturam suam possideret. Caput ipsum nuncupat omnis Principatûs ac Potestatis, nempe Angelorum quibus imperat ùt rex, & inde arguit, cultum latriæ seu supremæ venerationis ipsis ùt subditis deberi minimè. Ex titulo Capitis ansam sumit Colossensibus declarandi, quibus quantísque nominibûs ipsi obstricti sint 1. Plenitudinis gratiarum per ipsum acceptarum. 2. Admirandæ circumcisionis factæ per internam virtutem Spiritûs Sancti, qui in eis veterem hominem destruit. 3. Sepulturæ cum ipso in baptismo. 4. Resuscitationis per fidem. 5. Remissionis peccatorum. 6. Rescissionis pacti illius funesti, quo obstricti erant ad mortem, & si fides habenda antiquis probatísque Sacrarum litterarum interpretibus, abolitionis legis Veteris, quâ supra modum gravati erant. 7. Submissionis & enervationis potestatum infernalium. 8. Victoriæ de illis feliciter relatæ. Ex favoribus hisce infert, nihil ampliùs deferendum essè priscis observationibus legis, & pseudophilosophorum somniis: superstitiosum dierum ac ciborum delectum carpit eâ ratione adductâ, quòd umbræ exorto solis lumine, & figuræ evanescere ac cessare debeant, ubi veritas ipsa sese clarè manifestat, atqui Christus Dominus est ipsa veritas, atque lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. In fine iteratò monet, ut sibi diligenter caveant à falsâ & superstitiosâ ultra omne meritum angelorum religione.

Tertio quartóque capite adhortationem inſtituit pertinentem ad mores vitæque informationem, apertam illam quidem neque cognitu admodum difficilem, quam tamen præſtare difficillimum videatur, nempe ad ſtudium deſideriúmque rerum cœleſtium, renovationem mentis, charitatem, pacem, omnéque officium Chriſtianum, ut inſtent orationi, & circumſpectè agant inter gentiles, & ſalutent amicos ſuos, quos fusè & particulatim deſignat.



PA-



PARAPHRASIS IN EPISTOLAM D. PAULI APOSTOLI AD COLOSSENSES

CAPUT I.

1. PAulus Dei Optimi Maximi consiliô ac voluntate electus Apostolus JEsu Christi, non verò Angelorum, &-Timotheus frater, 2. iis, qui sunt Colossis, fidelibus in Christo fratribus nuper ejus fidem, religionem, adeóque & sanctitatem complexis ; 3. gratiam & pacem à Domino nostro JEsu Christo pre-

1. *Paulus Apostolus JEsu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus Frater*:

2. *Eis, qui sunt Colossis, sanctis & fidelibus fratribus in Christo JEsu.*

3. *Gratia vobis & Pax à Deo Patre no-*

ſtro, & Domino JESU Chriſto. Gratias agimus Deo & Patri Domini noſtri JEſu Chriſti ſemper pro vobis orantes:

4. Audientes fidem veſtram in Chriſto JEſu, & dilectionem, quam habetis in ſanctos omnes,

5. Propter ſpem, quæ repoſita eſt vobis in cœlis: quam audiſtis in verbo veritatis Evangelii:

6. Quod pervenit ad vos, ſicut & in univerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit, ſicut in vobis ex eâ die, quâ audiſtis & cognoviſtis gratiam Dei in veritate,

7. Sicut didiciſtis ab Epaphra chariſſimo conſervo noſtro: qui eſt fidelis pro vobis Miniſter Chriſti JEſu,

precantur. Nos quidem aſſiduis precibûs gratias immortales bonorum omnium auctori Deo & Domini noſtri JEſu Chriſti Patri pro vobis agimus. 4. Libenter enim, liquidóque cum ſolatio audivimus, Epaphram multa ac magna narrantem de fide veſtrâ in Chriſto JEſu, & eximiâ charitate, charitatíſque officiis, quibûs omnes Sanctos complectimini, 5. ídque propter ſpem vobis ſepoſitam in cœlo, & certiſſimam exſpectationem æternæ retributionis, de quâ pridem multa cognoveratis percepto veritatis Evangelicæ non humano ſermone, ſed oraculo planè divino. 6. Quod quidem non ad aures modò veſtras pervenit, ſed potiſſimas mundi partes complevit, atque uberrimum ubique fructum profert, quemadmodum apud vos quoque contigiſſe gratulor jam inde ab eo die, quo primùm verè audiſtis & cognoviſtis gratuitam Dei beneficentiam, quâ ſalvare conſtituit genus humanum. 7. Quemadmodum, inquam, didiciſtis ab Epaphrâ conſervo olim noſtro nobíſque cumprimis charo, cui tanquam eximio & fideli Chriſti Mi-

niſtro

nistro pro vestrâ omnium utilitate magnopere sollicito meritò fidem omnem adhibere potestis, 8. qui & coràm declaravit nobis, vestram illam, de quâ dicere cœperam spiritu Dei animatam, sinceram, solidam, & ex intimis visceribus profectam charitatem, quâ me & alios Christianos prosequimini, ejúsque puritatem ac præstantiam ab omni simulatione & proprio emolumento alienam magnificentiùs deprædicavit. 9. Quapropter cùm probè sciamus, satis non esse, cœpisse ferventer, nisi bene cœpta prosequamur constanter, nihilque humanâ voluntate esse mobilius, & nos ex quo die id primùm audivimus, nullum finem facimus pro vobis orandi ac summis votis à Deo contendendi, ut impleamini perfectâ & absolutâ cognitione voluntatis ejus, nihilque vos lateat eorum, quæ Deus immortalis jure à fidelibus suis exigit, usque eò, ut omni sapientiâ ac intelligentiâ non carnali aut litterali, sed spirituali vera ac solidâ præditi sitis ad discernendam à fuco veritatem. Obtestamur, ut divinum suum spiritum in vobis diffundat, 10. quo agen-

8. *Qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu:*

9. *Ideo & nos, ex quâ die audivimus, non cessamus pro vobis orantes & postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientiâ & intellectu spirituali:*

10. *Ut ambuletis dignè Deo per omnia*

placentes: in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientiâ Dei:

agente incedatis eo planè modo, quo incedere par est eos, qui Deum agnoscunt, eúmque, quâ dignum est, pietate ac religione colunt, ut omnibus in rebus ei placeatis bonorum operum fructum copiosum proferentes, & majora indies in scientiâ Dei sive divinorum mysteriorum notitiâ incrementa capientes.

11. *In omni virtute confortati secundùm potentiam claritatis ejus in omni patientiâ, & longanimitate cum gaudio,*

11. Cœlesti præsidiô abundè corroborati adversùs assultus & impugnationes adversariorum per illustrem ac gloriosam Dei potentiam, per invictam patientiam & constantem animi erga omnes lenitatem semper vobis ipsis similes, & in adversis perinde ac prosperis hilares,

12. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine:*

12. demum gratias agentes debitas Patri cœlesti qui tantos favores vobis contulit. Cùm enim non nisi mortem commeriti essemus, ipse nos nullis nostris meritis, imò indignos, & malè de se meritos per solam gratiam suam idoneos fecit ut in album Christianorum relati divinæ illius sortis ac beatæ vitæ sanctis & electis suis promissæ participes esse possemus per lumen Evangelii ac fidei in terris, gloriæ verò in cœlis.

13. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum,*

13. Illum, inquam, Deum paren-

parentem bonorúmque omnium auctorem intelligo, qui nos eripuit à potestate tenebrarum, atque impio dæmonum imperio, & in regnum sive Ecclesiam filii sui unicè dilecti mira quadam ratione traduxit, 14. cujus beneficio ac munere per Christi ipsius sanguinem redemptionem, hoc est, scelerum omnium ac flagitiorum plenam condonationem adepti sumus, ut adeò non ampliùs, alio reparatore salutis nostræ egeamus: Considerate, obsecro, attentiùs, quanta eum dignitas, atque præcellentia supra omnes Angelorum choros, & reliquos cœlestis patriæ cives longissimè evehat. 15. Ipse est imago Dei Patris perfectissima Patri per omnia similis & æqualis, adeóque ejusdem omnino essentiæ ac naturæ cum Patre, qui cùm sit inaspectabilis, per hanc sui imaginem carne aliquando indutam nobis innotuit. Idem verò si cum rebus creatis conferatur, ante omnem creaturam ab æterno modô quodam ineffabili genitus meritò primogenitus omnium vel potiùs princeps nuncupabitur. 16. Nam ejus veluti operâ, vel potiùs vi atque effica-

& transtulit in regnum filii dilectionis suæ:

14. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum:*

15. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ.*

16. *Quoniam in ipso condita sunt universa*

in cœlis & in terrâ, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt;

efficacitate condita sunt universa, sive quæ in æthereis globis omnium mortalium oculis conspicua cernuntur, sive quæ terræ ambitu continentur, quæcunque demum sub oculorum aspectum cadunt, aut solâ mente & cogitatione comprehenduntur, denique seu throni, seu dominationes, seu principatus, seu potestates, seu Angelorum supremi, uno verbo, omnia ejus vi & facultate & ejus unius respectu condita sunt,

17. *Et ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant:*

17. ipse verò utì æternitate, ita & dignitate, causalitate, rerúmque omnium productione omnes præcellit, quoniam utì per ipsum & propter ipsum sive in ejus gloriam condita, ita & per ipsius potentiam, sapientissimámque gubernationem consistunt & conservantur universa: nos autem propiori atque arctiori vinculô ei devincti sumus.

18. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, & primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens.*

18. Est enim quoddam veluti Caput mystici corporis Ecclesiæ, cujus nos membra sumus accipientia ab eo omnem gratiæ & vitæ spiritualis influxum, sine quo nec activitas quædam, nec motus ullus in bonum nobis inesset. Propria charitas, quâ nos redemptos voluit, eum morti

sponte

ſpontè ſubjecit, ex ſuo tamen ſepulchro quaſi ex incunabulis glorioſus atque triumphabundus prodiit verè primus omnium mortuorum, regeneratus per reſurrectionem ad vitam immortalem. Quacunque ergò ex parte conſideretur, ſive ſecundùm Majeſtatem Divinitatis, ſive ſecundùm recentiorem ſtatum aſſumptæ naturæ humanæ, eminentiſſimè omnes præcellit tum Angelos tum homines, & in omnibus primas tenet. 19. Quandoquidem parenti Deo placuit omnem in ipſo plenitudinem ac perfectionem ſcientiæ, gratiæ, potentiæ & divinitatis veluti ſedem ac domicilium collocare, non tantùm per efficaciam & operationem, ſed per ipſam etiam eſſentiam. 20. Cœlum inter & terram, beatiſſimos inter ſpiritus ſempiterna ibi felicitate fruentes, & homines in hac lachrymarum valle acerbo ſervitutis jugô preſſos permagna erat & quodammodo hoſtilis animorum diſſenſio, nunc inter illos atque inter ipſum Deum pace per ſanguinem ejus in cruce effuſum compoſitâ, univerſa, ſive quæ in cœlo, ſive quæ in terrâ, cum Deo redierunt

19. *Quia in ipſo complacuit, omnem plenitudinem inhabitare:*

20. *Et per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt.*

21. *Et vos cùm essetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis:*

22. *Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso:*

23. *Si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles à spe Evangelii, quod audistis, quod prædicatum est in universâ creaturâ, quæ sub cœlo est, cujus factus sum ego Paulus Minister.*

runt in gratiam. 21. Itaque & vos quondam à se aversos & hostes, dum nimirum totâ mente vitia ac flagitia sectaremini, 22. Christus nunc quidem sibi Deóque Patri reconciliatos in suam benevolentiam admisit per multiplices vitæ suæ ærumnas, & mortis acerbissimæ ignominiam expiatos, ut vos tam opulentos redderet, quantùm priùs coram oculis Patris sui eratis pauperes, tam sanctos, quàm priùs scelestos, tam puros, quàm priùs inquinatos, tam omni commendationis genere dignos, quàm priùs reprehensione. 23. Modò permaneatis probè fundati, & altâ radice fidei nixi, stabiles, ut neque cadatis impostorum fraude vel astu seducti, vel cedatis gentilium minis à fidei constantiâ deterriti, neque dimoveamini ab eâ spe, quam in animis vestris insevit Evangelium, quod nunc quidem instar fulguris ab Oriente ad Occidentem, à Septentrione ad Meridiem plurimas gentes pervasit, ut adeò vobis summo dedecori esset ab eâ fide ac religione recedere, quæ toto terrarum orbe recepta est; hujus porrò Evangelii ego Paulus ministrum me

me factum esse profiteor 24. tanto gestientis animi solatiô, ut adversa omnia, quæ vestrâ & illius causâ sustineo, leviora mihi videantur & expetibilia. Inficias nemo iverit, JEsum Christum virum fuisse dolorum, quorum vehementia amoris ejus magnitudini aliquâ ratione responderit. Nihilominus non omnia sustinuit tormentorum genera, quæ hominum malitia excogitare valet, tametsi cùm in terris degeret, impensè desideraverit honorem offensi Patris modis omnibus resarcire, ejúsque justitiæ quocunque suppliciô excogitabili satisfacere. Jam verò status gloriæ, quem per resurrectionem suam adiit, omni illum doloris sensu eximit: Amor tamen illius erga nos ita ingeniosus est, ut quod in proprio corpore experiri ampliùs nequit, in membris suis sentiat (quæ utique Capiti suo patienti conformari æquum est) adeò ut siquando pro defensione ejus nominis quid patior, absque temeritate pronunciare possim, Christum in me pati, quódque, quantum est in me, adimpleam ea, quæ deesse videntur non quidem sufficientiæ & efficaciæ

24. *Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne meâ, pro corpore ejus, quod est Ecclesia;*

ciæ Passionis illius amarissimæ, quæ in se infinita est, sed ut ea singulis Christi membris actu applicetur, divinâ providentiâ sic disponente, ut quemadmodum in proprio naturali corpore Christus olim multa passus est, ita etiam in mystico suo corpore nempe Ecclesiâ, ejúsque membris adhuc multa patiatur,

25. *Cujus factus sum ego Minister, secundùm dispensationem Dei, quæ data est mihi in vos, ut impleam verbum Dei.*

25. cujus sanè Ecclesiæ factus sum Minister eam rationem agendi secutus, quâ veluti œconomiâ quapiam in administrandâ familiâ suâ utitur Deus, quâque me Gentium Apostolum constituit, ut non per Angelos, sed per me vos, cæteræque Gentes ad fidem Christi adducantur, Evangeliíque prædicationem ab ipso cœptam ritè pro ratione officii mei compleam.

26. *Mysterium, quod absconditum fuit à sæculis, & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus,*

26. Quarum gentium vocatio mysterium planè est præteritis sæculis absconditum, & reconditum in sinu Patris, quod per Filium revelavit Apostolis, iísque quos per illorum prædicationem ad novum gratiæ ac sanctitatis statum dignatus est evehere,

27. *Quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus in Gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ,*

27. quibus scilicet Deus patefacere voluit, quanta sit, quámque gloriosa magnitudo hujus beneficii, quod tam liberaliter ipsis Genti-

Gentilibus communicare voluit, ut ex dæmonum mancipiis eorum domitores, ex idolorum cultoribus servos redderet cœli terræque regis, ex filiis iræ filios gratiæ, ex hæredibus mortis, cœli hæredes non per multa extrinseca opera, non per observationes festorum, ciborum &c. uti faciunt Judæi; sed per fidem in JEsum Christum, qui quasi lux cœlitus missa emicat inter vos, éstque uti origo salutis, ita etiam & fiduciæ vestræ anchora, cùm ex ejus potissimùm meritis gloriam immortalem exspectare debeatis. 28. Quem quidem salutis nostræ reparatorem nos prædicamus, quemlibet admonentes, omníque sapientiâ imbuentes, ut quoad ejus fieri poterit, nullum non Deo sistamus non tantùm perfectè instructum in his, quæ ad fidem & cognitionem Christi pertinent, sed etiam quoad vitam & mores Christianos omni virtute præditum. 29. Atque ad hoc, quantùm possum enitor, omnibúsque nervis contendo, adversa quæque libenter perfero, orationi, vigiliis, jejuniis me totum impendo non humanis confisus viribus, sed vi & efficaciâ

28. *Quem nos annuntiamus corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem, in omni sapientiâ, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo JEsu.*

29. *In quo & laboro certando secundùm operationem ejus, quam operatur in me in virtute.*

ficaciâ ſpiritûs Chriſti, qui me identidem excitat & urget ſuggerendo animos, vires ac zelum, ut igneâ charitate & igneâ linguâ prædicem, omnibúſque hunc divini amoris ignem afflem & aſpirem.

PARAPHRASIS

CAP. II.

1. *Volo enim vos ſcire, qualem ſollicitudinem habeam pro vobis, & pro iis, qui ſunt Laodiciæ, & quicunque non viderunt faciem meam in carne:*

1. NOlite mirari, quòd in calce ſuperioris capitis laborum meorum ac certaminum tam ſtudiosè meminerim, velim enim vos ſcire, quantâ ſollicitudine premor, quantúmque, ut ita dicam, capitis periculum ac dimicationem veſtrâ causâ ſuſtineam, itémque eorum, qui ſunt Laodiceæ, aliorúmque omnium, etiam illorum, qui me de facie non noverunt.

2. *Ut conſolentur corda ipſorum, inſtructi in charitate, & in omnes divitias plenitudinis intellectûs, in agnitionem myſterii Dei Patris, & Chriſti JEſu:*

2. Ut èorum animi partem aliquam conſolationis accipiant, ipſíque adeo, tanquam ejuſdem corporis membra mutuâ charitate cònjuncti perfectam & pleniſſimam aſſequantur notitiam atque intelligentiam divinorum

norum myſteriorum, maximè circa ineffabile arcanum Sacroſanctæ Triados, & Incarnationis, ac paſſionis Filii Dei, 3. quem humanæ libertatis aſſertorem ac vindicem meritò vobis in Magiſtrum fallere fallíque neſcium propono, in quo ſolo, & non angelis reconditi ſunt omnes ſapientiæ veræque ſcientiæ theſauri, imò & divinitatis. 4. Hoc autem perinde à me dictum & à vobis accipi volo, ut omnem in eo fiduciam collocetis, neque extra eum ad humanas ſcientias incertas vanas ac fallaces aſpiretis, ſed potiùs diligenter caveatis, nequis verborum lenociniis & fucato dicendi genere artificiosâ deníque & ad fallendum idoneè comparatâ oratione vobis imponat, & à rectâ vos ſententiâ ad impietatem traducat. 5. Atque hæc pro meâ de vobis ſollicitudine. Tametſi enim locorum ſpatiis longè abſum à vobis, ſpiritu tamen ac mente vos ſemper aſpicio, nec latum quidem unguem à latere veſtro diſcedo, magnóque, mihi credite, gaudio ac voluptate afficior, dum veſtrum in rebus omnibus rectum ordinem tanquam gene-

3. In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.

4. Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in ſublimitate ſermonum.

5. Nam etſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum: gaudens, & videns ordinem veſtrum, & firmamentum ejus, quæ in Chriſto eſt, fidei veſtræ.

generosorum militum in antiquâ statione persistentium, vestræque in Christum fidei constantiam ac soliditatem intueor.

6. Sicut ergò accepistis JEsum Christum Dominum, in ipso ambulate,

6. Quemadmodum ergò Christo liberatori nomina dedistis, ùt Capiti ac Mediatori vestro, ita ei adhærete fideliter. Nemo vobis pro illo Angelos mediatores obtrudat, ipse enim via recta est, quæ ducit ad Patrem. In ipso igitur ùt in viâ ambulate: ipse sit fundamentum totius conversationis vestræ.

7. Radicati, & superædificati in ipso, & confirmati fide, sicut & didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione.

7. Fixas porrò in illo radices habetote, illíque veluti fundamento superædificati ac in perceptâ fide confirmati eam retinete constanter, majorésque indies in illâ progressus facere contendite, eóque nomine Deo immortali perennes gratias potiùs agite, quàm ut patiamini vos ab illâ ullo sermonis artificiô avelli ac dimoveri.

8. Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum:

8. Videte, quæso, ne quis vos philosophicis argutiis à Christi grege avellat, & instar prædæ captos in sua castra abducat, vel fidei vestræ integritatem corrumpat vanissimorum hominum inventione ac traditione, aut mixturâ rituum Judaicorum, qui rudimenta quodammodo

modo ac prima craſſiora principia fuerunt notitiæ perobſcuræ Dei neceſſaria quidem pro ſtatu legis, nunc autem perniciosâ ac mortifera pro præſenti ſtatu Evangelii jam paſſim diffuſi, quandoquidem homines à verâ Chriſti religione abducunt, qui nobis modò ùt ipſa prima veritas unicè audiendus & ſequendus eſt. 9. Nam in eo, niſi fallere, aut falli volumus, fateri neceſſe totam & plenam divinitatem cum omnibus ſuis attributis aut perfectionibus non adumbratè aut fictâ quadam rerum imagine ac ſimilitudine, ſicut olim in templo Salomonis, ſed verè ac reipsâ tanquam in propriò corporeo domicilio reſidere non ex parte tantùm, ſed perfectè & abſolutè, non per ſolam operationem, aut rerum admirandarum efficientiam, ſed per veram realem ſubſtantialem ac permanentem unionem cum carne humanâ in perſonâ Verbi.

9. *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*

10. Ex quâ plenitudine copioſæ in vos gratiæ defluunt tanquam ex fonte inexhauſto fluenta præſertim ſcientiæ Sanctorum. Huic uni, ſi quidquam ſapitis, adhærete tan quam Capiti & Principi non tantùm

10. *Et eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatûs & poteſtatis:*

tùm ſveſtro, ſed etiam omnium Ordinum Angelicorum, quantâcunque ſint poteſtate præditi.

11. In quo & circumciſi eſtis circumciſione non manu factâ, in exſpoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti:

11. Per illum etiam circumciſi eſtis non carnali illâ, & externâ Judæorum circumciſione, quâ vilis tantùm particula ac pellicula carnis reſecatur, quæ ſignum eſt peccati, cum quo naſcimur, & inſtrumentum operum carnalium quæ ex eo ſequantur, ſed internâ ac ſpirituali, quæ fit absque manuum operâ vel molitione, quâque ipſa peccata ab animâ reſcinduntur, imò totum corpus quodammodo peccatorum, id eſt, totus vetus homo deponitur atque exüitur,

12. Conſepulti ei in baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitavit illum à mortuis.

12. quando Chriſto fuiſtis commortui, & conſepulti in baptiſmo, quatenus immerſio, quæ in eo fit, ita Chriſti ſepulturam repræſentat, ut ſimul efficiat in nobis id, quod ſepultura Chriſti ſignificabat, nimirum veteris hominis noſtri mortem ac ſepulturam, per quem etiam reſurrexiſtis in novam vitam, novos mores, novum ſpiritum mediante atque id efficiente fide, ut ſicut ille reſurrexit à mortuis ad novam vitam corporis, ita & vos reſuſcitati à morte peccati, & novi homines

mines facti deinceps in novitate vitæ ambuletis. Non possum non semel iterúmque dicta repetere, ut ea firmiùs animis vestris assiduâ consideratione imprimatis. 13. Flagitiorum omnium à communi omnibus carnis concupiscentiâ provenientium tabe jacebatis extincti, sed benignissimus Deus unà vos cum Christo redivivos ad Superos revocavit, vestráque vobis scelera liberaliter condonavit, & 14. postquam funestum chirographum, & obligationem ad mortem & pœnam æternam juxta decretum Dei & sententiam damnationis in peccatores latam, cui omnes subscripsimus primùm manu Adami nomine omnium delinquentis, deinde manu etiam propriâ, cùm actualiter Deum offendimus, postquam, illud, inquam, chirographum dæmoni ereptum, suóque sanguine deletis characteribûs abolitum, subin penitus discerptum de medio sustulit, crucíque velut unco in signum relatæ victoriæ affixit, 15. dæmones postmodum quantumcunque potentissimos exarmavit, & spoliavit suâ potestate ac dominio in homines sibi hoc pecca-

13. *Et vos cùm mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta.*

14. *Delens quod adversùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci :*

15. *Et exspolians principatus ac potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semet ipso.*

peccati chirographo obnoxios, deinde etiam prædâ tot millionum animarum, quas in limbo tanquam carcere conclusas tenebant, eósque elato crucis trophæô triumphantis in morem tanquam captivos ignominiæ causâ circumvehens palàm Deo & Angelis ostentavit, omnibúsque spectandos exhibuit gloriosissimus sanè ex tantâ victoriâ suis viribus ac sanguine partâ.

16. Nemo ergò vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut Sabbatorum:

16. Quæ cùm ita sint, videtis, quis quantúsque sit potentiâ ac Majestate Dominus, qui vos in suum servitium adlegit, quanto vos amore complexus sit, quid vestrâ causâ egerit. Nemo ergò vos audeat ùt reos damnare, quòd ei simplici sinceráque mente deserviatis absque superstitioso examine aut discrimine cibi, vel potûs, festorum sabbathorum, noviluniorum, quasi quidquam horum per se impurum sit, aut suapte naturâ conscientiam inquinet,

17. Quæ sunt umbra futurorum: corpus autem Christi.

17. quæ, si verum dicendum sit, umbram duntaxat continent rerum futurarum, cùm solidum corpus, quod umbræ illi respondet, ad unum Christum pertineat, cesset autem umbra præsente jam veritate.

18. Nemo vos seducat, volens in humilitate,

18. Attendi-

tendite etiam atque etiam, ne novatores isti, qui proposito vobis & per affectatam animi modestiam ultrò in se suscepto Angelorum supra meritum cultu sese temerè ingerunt in ea, quæ neque videre unquam, vel aliâ ratione perceperunt, dum de cœlestibus incolis & Angelorum œconomiâ tam audacter pronuntiant, ac si cœlos omnes pedibûs perambulassent, inanì fastu turgidi ex scientiâ suâ non è cœlo haustâ, sed ex proprio cerebro confictâ, ne hi, inquam, palmam ac coronam vobis in conspectu Dei rectè hactenus ambulantibus fallaci suâ philosophiâ intervertant. 19. Non possunt illi sincerâ solidâque virtute esse præditi, cùm uniti non sint legitimo Capiti, quod est Christus, qui admirandâ conjunctione cum corpore suo mystico in omnia ejus membra spiritum gratiæ per juncturas mutuæ unionis ac charitatis virésque necessarias diffundit, ut quilibet ad perfectionem pertingat statui suo congruam, quemadmodum in corpore humano usuvenit, in quo spiritus vitalis, qui ad vitam, sensum, & motum pernecessarius est,

& religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ,

19. *Et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones subministratum, & constructum crescit in augmentum Dei.*

est, à capite in membra per nervos, venas, arterias, & articulos dividitur, itáque singulis facultatem sentiendi & movendi impertit.

20. *Si ergò mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi: quid adhuc tanquam viventes in mundo decernitis?*

21. *Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis:*

22. *Quæ sunt omnia in interitum ipso usu, secundùm præcepta & doctrinas hominum:*

23. *Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.*

20. Quocirca si unà cum Christo, nempe ejus exemplum secuti mundo nuntium remisistis, ab eóque penitus recessistis, ut perinde ac vitâ functi nullum ejus gustum sensúmque retineatis, quid rursus eadem elementa, hoc est, Judæorum superstitiones ac delirantium philosophorum somnia sectamini? 21. Scilicet audiendi sunt illi, qui nescio quâ vanâ superstitione delusi tertio quoque verbô inculcant: cave, ne attingas, vide ne gustes, apage ne leviter attrectes. 22. Quæ sanè omnia pura sunt inventa hominum, dogmata heteroclita, cautelæ superstitiosæ, quæ ipso usu pereunt, & sempiternum illis exitium accersunt, qui ea recipiunt ac custodiunt tanquam adhuc necessària ad salutem. 23. Nam si justa lance pendantur novitia hæc ùtùt magnifica Judaizantium aut Simonianorum dogmata & instituta, speciem quamdam nonnullam habent sapientiæ, rem ipsam ac medullam minimè. Affectata tan-

tantùm & simulata quædam sese prodit animi submissio, & probitas quædam ad externam speciem composita atque cum singulari vitæ austeritate conjuncta, quâ corpori minimè parcunt, sed illud immoderatè ac superstitiosè divexant, cùm illi tamen ùt laborum & ærumnarum socio secundùm discretionis exigentiam lenimen potiùs exhibere conveniret ea suppeditando, quæ ad justam ejus refectionem, viriúmque conservationem faciunt, ut juncta operâ spiritum adjuvet in functionibus suis absque impedimento ritè peragendis.

PARAPHRASIS

CAP. III.

1. Discreta hæc sollicitudo reprehendi jure merito nequit, quemadmodum vicissim, si nimia sit, probari non potest, si eò videlicet dementiæ pertingat, ut etiam ad superflua vitæ commoda

1. *Igitur, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est in dexterâ Dei sedens:*

moda vel inconcessas delicias sese extendat. Quandoquidem enim veluti membra cum Capite vestro modò consurrexistis in alteram vitam translati, oportet sanè, ut superna spectetis, & contemptis terræ quisquiliis ad cœlestem patriam studia, cogitationes, ac vota vestra erigatis, ubi Christus Dominus ad æterni Patris dexteram sedem suam collocavit. 2. Superna, inquam, curare vos atque appetere æquum est, ea verò insuper habere, quæ infra cœlum posita humi repunt. 3. Equidem præcepta hæc naturæ vitæque liberiori arrident minimè, meminisse tamen convenit, vos non tantùm mortuos esse cum Christo, sed & cum illo vivere, vitâ aliâ & meliori, spirituali scilicet & cœlesti, ad quam à morte resurrexistis, licèt hæc vita vestra abscondita sit ab oculis & sensu hujus mundi cum Christo in sinu Dei. Quando tot laboribus pressi, tot calumniis lacessiti, instar hominum facinorosissimorum habiti, doloribus & opprobriis supra modum onerati estis, aridis exteriùs arboribus hyberno tempore æquiparari potestis,

2. *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

3. *Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.*

4. *Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloriâ.*

ſtis, quæ in radice ſuâ vivunt, tametſi ſi ramos, ſi truncum, ſi folia ſpectes, omnia videantur ſucco vitâque privata, quemadmodum autem ſub veris principium revireſcunt, & vigorem atque decorem amiſſum recuperant, ita cùm Chriſtus, quem noſtram quâdam ratione vitam appellare poſſumus, in quo vivitis, & qui in vobis vivit, ad judicium ſupremum venerit, tunc verò etiam vos immortalitatis gloriâ ac ſplendore circumfuſi cunctis mortalibus vos ſpectandos præbebitis. Tunc gratiarum ac meritorum veſtrorum theſauri hactenus abſconditi patebunt omnibus, vóſque florebitis in omnem æternitatem. Promiſſa hæc ſunt quidem illuſtria, ſi tamen eorum fructum percipere cupitis. 5. Quandoquidem pericula quotidie imminent, ne vetus ac terrenus homo reviviſcat, ejus membra, inſurgentes videlicet & repullulantes concupiſcentiæ motus ac deſideria ſtatim comprimite, & velut parvulos Babylonis ipſo in limine elidite ac necate: fornicationem intelligo, impudicitiam, mollitiem, pravam cupiditatem, inexplebilem exſaturan-

5. Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus.

randæ libidinis appetitum, aut augendæ rei familiaris ſtudium, quod reverà nihil eſt aliud, quàm nefarium & probroſum quoddam idolatriæ genus.

6. *Propter quæ venit ira Dei ſuper filios incredulitatis :*

6. Quæ ſanè omnia iræ divinæ fulmen in impios ac nefarios homines tanquam perfidos & contumaces jure optimo provocant, vóſque peracerbo animi dolore afficere debent, ſi quando memineritis, vos iiſdem fuiſſe inquinatos.

7. *In quibus & vos ambulaſtis aliquando, cùm viveretis in illis.*

7. Satis autem non eſt, ut ab his abſtineatis impoſterum longiſſimè.

8. *Nunc autem deponite & vos omnia; iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro.*

8. Sanctitas ſtatûs veſtri Chriſtiani longè majorem puritatem, & integritatem expoſcit, ut nimirum etiam alia in ſpeciem leviora caveatis, quæ licèt tantâ fœditate non ſint prædita, longè tamen abſunt à Chriſtianâ vivendi ratione, iram videlicet, excandeſcentiam, nequitiam, maledicentiam, verborum obſcœnitatem.

9. *Nolite mentiri invicem, exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis,*

9. Nemo veſtrûm alteri mentiatur & imponat, ſed reipsâ unusquisque veſtrûm oſtendat, veterem ſe hominem illum cum ſuis omnibus actionibus depravatis ex animo depoſuiſſe,

10. *Et induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem, ſecundùm*

10. & contrà induiſſe novum, qui quotidie inſtauratur, majoréſque progreſſus facit in earum rerum

rerum ſcientiâ ac cognitione, quibûs accedente vitæ integritate & morum ſanctitate ad conditoris ſui imaginem mirificè conformatur. 11. Neque verò exiſtimare quisquam debet, ullam eſſe in his rebus generis aut ſanguinis habendam rationem, ſiquidem ſive Græcus quis ſit, ſive Judæus, ſive circumciſus, ſive præputiô adhuc præditus, ſive Barbarus, ſive qui hunc truculentiâ ac immanitate ſuperat Scytha, ſive ſervus denique ſive liber facilem poteſt ad Chriſtum habere acceſſum, qui æquè omnibus ex veræ fidei ac virtutis præſcripto viventibus absque ullo diſcrimine ſalutem & vitam pollicetur ac tribuit ſempiternam. 12. Conſideratâ itaque dignitate novi ſtatûs, ad quem elevati eſtis, date operam tanquam electi à Deo, ſancti, divináque benevolentiâ & charitate inſigniti, ut ſacro veluti indumentô ornemini omni virtutum genere, miſerationum viſceribus, benignitate, animi demiſſione, manſuetudine, lenitate, denique longanimitate. 13. Tolerantes alii alios, vobísque mutuas injurias, & reciprocas querimonias condonantes, ut vos

imaginem ejus, qui creavit illum.

11. *Ubi non eſt Gentilis & Judæus, circumciſio, & præputium, Barbarus & Scytha, ſervus & liber, ſed omnia, & in omnibus Chriſtus.*

12. *Induite vos ergò ſicut electi Dei, ſancti & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam.*

13. *Supportantes invicem, & donantes vobismetipſis, ſi quis ad-*

versùs aliquem habet querelam: ficut & Dominus donavit vobis, ita & vos.

14. *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.*

15. *Et pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in quâ & vocati eſtis in uno corpore: & grati eſtote.*

vos hac ratione veros Chriſti imitatores exhibeatis, qui ſuas vobis injurias tantâ facilitate remiſit. 14. Præcipuè verò id agite, ut virtute charitatis præcellatis, eſt enim illa & virtutum omnium, & animorum inter ſe, atque cum Deo vinculum perfectiſſimum. 15. Quòd ſi aliquid incidat, quod charitati aliquâ ratione repugnet, nolite committere, ut impotenti aliquo animi impetu chriſtiana pax, quæ Deo inprimis chara eſt, ullâ ex parte violetur, ſed illa potiùs ſemper vincat, & primas ferat, ejúſque retinendæ & conſervandæ ſtudiô cæteris omnibus humanis cupiditatibus dominetur. Ea eſt enim vocationis veſtræ ratio, ut mutuo charitatis vinculô quaſi unius atque ejuſdem corporis membra conjunctos & colligatos eſſe oporteat, mirâ comitate & morum facilitate in quotidianâ veſtrâ conſuetudine præditos. Talem ergò ſe quivis erga proximos exhibeat, qualem in ſe Deum expertus ſit, quin etiam, ſi contumeliis afficiatur, pro magno beneficio Deo gratias agat, ſéque omnibus amabilem & obſequioſum exhi-

exhibeat. 16. Sana porrò atque Evangelica doctrina non à Simone, aut Judæorum Magistris excogitata, sed à Christo Domino divinitùs tradita in mentibus vestris ita penitus infixa hæreat, ut inde avelli aut oblitterari diuturnitate temporis aut obivione deleri non queat, sed omni vos sapientiâ & multiplici rerum omnium cognitione expleat, ut alii alios partim docendo, partim commonefaciendo in fide ac religione confirmetis, & psalmodiâ, hymnis, & canticis spiritualibus corda vestra exhilarentur, & ad gratias Deo bonorum omnium auctori ritè peragendas excitentur. Ad illum tanquam scopum ac metam omnium vestrarum actionum respicere identidem & contendere vos oportet per ejus filium viam unicam atque certissimam, qua ad illum pervenitur. 17. Quare omnia vestra consilia, verba, actiones ad unius Dei gloriam & honorem & referantur ipsa, & perpetuam quandam gratiarum actionem contineant, quâ divina in nos beneficia per Christum Dominum collata ejusdem Christi gratâ commemora

16. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientiâ, docentes, & commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratiâ cantantes in cordibus vestris Deo.*

17. *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini JEsu Christi, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum.*

18. *Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino.*

moratione celebremus. 18. Hactenus, quæ Deum concernunt, in genere perstrinxi, nunc singillatim, quæ ad mutua obsequia in quovis hominum statu ac conditione pertinent, breviter commemorabo. Hoc primum matribus-familias præcipio, ut suis quæque viris dicto audientes sint, eámque observantiam ac venerationem exhibeant, quæ decet Christianas mulieres, quámque divina lex requirit.

19. *Viri diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas.*

19. Contrà viris divinâ auctoritate pro muneris mei ratione impero, ut uxores Christianâ benevolentiâ prosequantur, non imperiosè illis præsint, sed cum dulcedine charitatis, quâ temperetur ac levius illis reddatur onus potestatis virilis, non amarulentos, morosos, difficiles adversùs eas, sed commodos ac faciles se eis præbeant.

20. *Filii obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino.*

20. Filiis illud inprimis cordi esse debet, ut legitimis parentum præceptis, quæ videlicet ad disciplinam morum, curámque domesticam spectant, omni quâ possunt diligentiâ obtemperent, sibíque persuadeant hoc quidem obsequiô nihil se posse Deo rerum omnium parenti gratiùs præstare.

21. *Patres, nolite ad indignationem provoca-*

21. Vos verò

verò patresfamilias etiam atque etiam cavete, ne dum erga liberos vos aſperos, difficiles, & implacabiles exhibetis, illi deſpondeant animos, & paulatim ab officio vel etiam fide Chriſti ſuſceptâ reſiliant omni jugô tam Dei, quàm hominum præ deſperatione excuſſo. 22. Jam verò ſervi dominis, qui vobis humano jure atque auctoritate imperant, omnibus in rebus auſcultate, cavete verò, ne veſtra obſequia hominibus duntaxat probare ſtudeatis, eorúmque præſentiæ ſolùm atque oculis ſerviatis, ſed animi potiùs ſingulari candore cum divino timore conjuncto omnes veſtri muneris partes expleatis. 23. Quocirca quidquid feceritis, verè atque ex animo agite, certóque vobis perſuadete, non vos hominibus ſæpe ingratis aut incuriis, ſed Deo potiùs bonorum omnium auctori ac remuneratori ita volenti ac diſponenti ſervitutem ſervire. 24. Et quoniam vobis certum atque exploratum eſſe debet, ſempiternam illam Beatorum ſedem veſtris laboribus atque conatibus utcunque modicis

re filios veſtros, ut non puſillo animô fiant.

22. *Servi obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis timentes Deum.*

23. *Quodcunque facitis, ex animo operamini ſicut Domino, & non hominibus:*

24. *Scientes, quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Chriſto ſervite.*

dicis tanquam palmam ac præmium esse propositum, æquum profectò est, ut unum Christum Dominum in personâ eorum, cui famulamini, agnoscatis, eíque vos vestráque omnia promptô & alacri animo subjiciatis. 25. Quemadmodum autem fidelis est & liberalis remunerator tum patientiæ, tum obedientiæ heris vestris præstitæ, ita etiam severus erit vindex injuriarum, si quæ vobis illatæ fuerint; ea enim est divinæ justitiæ conditio, ut absque ullo personarum respectu æquâ lance cunctas mortalium actiones expendat, atque pro ratione & qualitate meriti vel demeriti compenset.

25. *Qui enim injuriam facit, recipiet id, quod iniquè gessit: & non est personarum acceptio apud Deum.*

PARA-

PARAPHRASIS

CAP. IV.

1. Quod reliquum est, vos domini, diligenter curate, ut servis vestris non modò de victu, vestitu, aliísque necessariis jure debitis ritè prospectum sit, verùm etiam ut æquos vos ac humanos eis exhibeatis servatâ etiam æquabilitate, ne quod servitutem reddit pene intolerabilem, alium in deliciis habeatis, alium iniquis conditionibûs prematis, sed pares pari affectu ac benevolentiâ prosequamini. Si fortè vobis videmini longè elevati supra abjectam servorum conditionem, si dominationis prærogativa vobis superbiæ spiritum atque fastum afflat, scitote, in supremo illo cœlitum regno dominari alium, qui & potestate vos longè supereminеat, viribúsque certò prævaleat ad frangendam vel plectendam pro meritis vestram ferociam atque arrogantiam. 2. Atque ut hæc sit postrema Epistolæ

1. *Domini, quod justum est & æquum, servis præstate: scientes, quòd & vos Dominum habetis in cælo.*

2. *Orationi instate, vigilantes in eâ in gratiarum actione.*

3. Orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vinctus sum)

4. Ut manifestem illud, ita, ut oportet me loqui.

5. In sapientiâ ambulate ad eos, qui foris sunt, tempus redimentes.

læ meæ clausula, vos omnes etiam atque etiam obtestor, ut precandi studium atque assiduitatem toties vobis commendatam neutiquam intermittatis, quin potiùs ei quàm maximè invigiletis, adhibitâ etiam, quæ mirificè Deo placet, gratiarum actione. 3. Memores etiam nostri labores nostros & conatus Deo diligenter commendate, ut ostium nobis patefaciat, non illud ergastuli mei, quo egrediar, sed Evangelii longè latéque propagandi, & annuntiandi mysteria fidei Christianæ 4. debitâ cum libertate, fiduciâ & efficaciâ ad persuadendum etiam in ipso carcere, quo Domini mei causâ detineor, vel certè extra illum per alios in omnem terrarum partem emissos. 5. Prudenter autem & circumspectè vos gerite erga extraneos, nempe gentiles, ne aut ex eorum moribus vitium contrahatis, aut eos facto aliquo scandalizetis, atque ab Evangelio avertatis, quin vitæ vestræ integritas exemplô sit illis, & prædicationis locô. Nolite ullam temporis, quo nihil in rebus humanis pretiosius est, jactu-

ĉturam pati multum cum illis perperàm disceptando, vel otiosè confabulando, sed minimas illius particulas saluti vestræ studiosè impendite. 6. Habeant verò sermones vestri semper aliquid utilitatis & commodi, nec non comitatem ac modestiam cum prudentiâ ac discretione conjunctam, ut rebus acpersonis accommodata sit responsio danda. 7. Rerum porrò mearum statum ac conditionem omnem copiosè cognoscetis ex Tychico charissimo fratre nostro, fidelique Ministro, qui unà mecum Domino nostro, servit. 8. Quem hac de causâ ad vos misi, tum ut istius Ecclesiæ statum mihi renuntiaret, tum ut vobis nonnihil solatii & jucunditatis afferret. 9. Eique comitem addidi Onesimum istinc oriundum charissimum & fidelem fratrem, qui vos de omnibus, quæ apud nos aguntur, reddet certiores. 10. Aristarchus, qui unà mecum detinetur in vinculis, & Marcus Barnabæ consobrinus plurimam vobis salutem dicunt: de hoc verò posteriore accepistis, opinor, litteras meas commendatitias, quare si eum contingat ad vos venire, eum quæ-

6. Sermo vester semper in gratiâ sale sit conditus, ut sciatis, quomodo oporteat vos unicuique respondere.

7. Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, & fidelis minister, & conservus in Domino.

8. Quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscat, quæ circa vos sunt, & consoletur corda vestra,

9. Cum Onesimo charissimo & fideli fratre, qui ex vobis est. Omnia quæ hic aguntur, nota facient vobis.

10. Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata: si ve-

nerit ad vos, excipite illum:

11. *Et Jesus, qui dicitur justus: qui sunt ex circumcisione: hi soli sunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio.*

12. *Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est servus Christi JEsu, semper sollicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei.*

13. *Testimonium enim illi perhibeo, quòd habet multum laborem pro vobis, & pro iis, qui sunt Laodiciæ, & qui Hierapoli.*

14. *Salutat vos Lucas medicus charissimus, & Demas.*

15. *Salutate fratres, qui sunt Laodiciæ, & Nympham, & quæ in domo ejus est Ecclesiam.*

16. *Et cùm lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite, ut & in*

quæso, quâ decet, humanitate ac benevolentia excipite. 11. Salutat item vos Jesus, qui dicitur Justus, qui quidem tres soli ex Judæis in hoc prædicandi munere mihi adjutores fuerunt, & præsentiâ suâ ac nomine vestro non mediocre auxilium atque subsidium mihi in his meis vinculis attulère. 12. Salutem item vobis adscribit Epaphras, qui isthinc ortum ducit, egregius sanè Christi JEsu servus, sollicitúsque pro vobis apud Deum deprecator, ut perfectè, omníque ex parte divinæ vos voluntati subjiciatis, atque in eâ subjectione plenissimâ perseveretis. 13. Possum verò hoc vobis affirmare, strenuè pro vobis illum, próque iis, qui Laodiciæ, quíque Hierapoli degunt, semper laborâsse. 14. Salutat vos Lucas medicus mihi charissimus, & Demas. 15. Rogo autem vos, ut meo nomine salvere jubeatis fratres, qui sunt Laodiciæ, & Nympham, ejúsque totam familiarem Ecclesiam. 16. Porrò cùm apud vos hæc epistola perlecta fuerit, per mihi gratum facietis, si eam ad Laodicenses legendam transmiseritis, & eam, quæ est Laodicensium ad me,

me, vos quoque publicè recitari cureris, ut divino amore ac virtutum ſtudio magìs magiſque indies accendamini. 17. Archippum verò monitum volo, ut diligenter attendat, quale ſibi miniſterium à Domino traditum ſit, detque operam ſedulò, ut ei pro dignitate reſpondeat. 18. Ego denique Paulus adhibito meo chirographô ſalutationem hic adſcribo ad calcem epiſtolæ per amanuenſem me dictante conſcriptæ. Obteſtor vos, ut vinculorum meorum memoriam ex animis veſtris excidere ne patiamini, & conſtanter perſevereris in profeſſione fidei, cujus causâ hæc vincula ſuſtineo. Gratia Domini noſtri vos tueatur ac ſervet incolumes.


A M E N.

Laodicenſium Eccleſiâ legatur, & eam, qua Laodicenſium eſt, vos legatis.

17. *Et dicite Archippo: vide miniſterium, quod accepiſti in Domino, ut illud impleas.*

18. *Salutatio, meâ manu Pauli. Memores eſtote vinculorum meorum. Gratia vobiſcum. Amen.*





ARGUMENTUM
EPISTOLÆ PRIMÆ
AD
THESSALONICENSES
D. PAULI APOSTOLI.

PAulus Apostolus unà cum Silâ comite suo Philippis egressus, Amphipoli, & Apolliniâ trajectâ Thessalonicam appulerat Macedoniæ metropolim. Ubi comperit Synagogam inibi esse Judæorum, tribus continuis Sabbathis in eam se contulit, & sacras Scripturas, quæ de Christo JEsu mentionem frequentiorem faciebant, illis explicuit. Nonnulli ex Judæis, longè plures autem ex Gentilibus doctrinæ Evangelicæ, Christóque dedère manus, reliqui verò Judæi tantis támque inopinatis progressibûs mirum quantùm exacerbati seditiosam plebem in eum concitârunt, unde urbe excedere compulsus, &

Athenas

Athenas d g essus inde Timotheum Thessalonicam misit, ut opus à se cœptum perficeret, fideliúmque animos erigeret, ac in fide semel susceptâ stabiliret. Exploratæ hic fidei discipulus eum postmodum Corinthi convenerat, ubi illum longiori tempore commorari sciebat, eíque à se gesta, & statum Ecclesiæ illius diligenter exposuerat, id quod Apostolum mirè pro eâ sollicitum impulit ad exarandam hanc epistolam, quæ ordine scriptionis inter omnes prima habetur, eóque universim dirigitur, ut illos confirmet in professione & constantiâ veræ fidei, & circa mysterium resurrectionis copiosiùs instruat, quò tum præsentes, tum imminentes à Judæis & Gentilibus insectationes Christianâ fortitudine, invictóque animô faciliùs perferant.

Cap. 1. eos mirificè commendat, quòd tantos in verâ sanctáque religione progressus fecerint, famam inde longè, latéque propagatam, eósque aliis Ecclesiis in exemplum esse constantiæ propositos.

Cap. 2. In memoriam eis revocat & ostendit sinceritatem, sanctitatem, & zelum prædicationis suæ 8. argumentis. 1. Ex illius fructu. 2. Ex persecutionum tolerantiâ. 3. Ex doctrinâ sanâ & purâ, quam docuit. 4. Ex sanctâ intentione ab omni emolumento proprio alienâ, quâ non quærens favores & opes, nec gloriam hominum, sed unius Dei prædicarit. 5. Ex eo, quòd eos tam tenerè educârit in fide, quàm tenerè mater amat & educat filios suos, quódque pro eis vitam suam tradere voluerit. 6. Quòd ne illis oneri esset, sibi victum parârit, nocte & die laborando, quamvis ùt Apostolus JEsu Christi necessariam vitæ sustentationem jure exigere potuisset. 7. Quòd sanctè & absque offensione inter eos vixerit. 8. Ex testimonio ipsorum Thessalonicensium, qui Evangelium Pauli acceperant

ceperant ut verbum non hominum, sed Dei, ideóque dira ab impiis & invidis Judæis passi fuerant. Denique ut eos ad se, & fidem Christi magis alliciat, declarat subinde maternæ in eos pietatis viscera, ideóque illos vocat suam spem, gaudium, coronam, & gloriam. Itaque Apostolus hoc capite in seipso veram prædicatoris & pastoris Ecclesiæ ideam exhibet, quam sibi assiduè alii quoque pastores ob oculos ponant per omnia imitandam.

Cap. 3. Ingens desiderium eos revisendi explicat, quantóque ex reditu Timothei perchari sui discipuli gaudio fuerit exhilaratus cognitâ eorum constantiâ in fide.

Cap. 4. Pudicitiam & continentiam mirum in modum extollit, hortatur verò Thessalonicenses ad beneficentiam, liberalitatem, & manuum opificium, tum verò addit, non esse amicorum, aut propinquorum obitum immoderatè lugendum, quasi qui omnino periissent, cùm dormire potiùs videantur, & brevì suscitandi sint, atque hinc acceptâ occasione de morte ac resurrectione luculenter disserit.

Cap. 5. Inane quorundam studium reprehendit, qui de tempore futuri judicii, quod in unius Dei scientiâ certò comprehenditur, multa temerè ac falsò comminiscebantur, revocátque Thessalonicensibus in mentem, quânam ratione ab inscitiæ tenebris ad lucem veritatis traducti sint, & vitam morésque huic vocationi congruentes exigit, vigilandum idcirco admonens, sanctísque operibus, mutuæ inprimis charitati assiduè incumbendum, ne judicii dies incognitus imparatos opprimat. Demum omnimodam sanctitatem eis apprecatus, atque epistolam salutatione concludit.

PA-



PARAPHRASIS IN EPISTOLAM I. D. PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES

CAPUT I.

1. PAulus & Silvanus (Hebræis Silas) & Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium, quæ ex ineffabili Dei Patris, & Domini nostri JESU Christi miseratione collecta est, copiosam gratiarum abundantiam, pacémque animi inde consequentem precantur. 2. & 3. Adversa plurima, quæ tam fortiter pertulistis, ex-

1. Paulus, & Silvanus, & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre & Domino nostro JEsu Christo.
2. Gratia vobis & pax. Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus

nostris sine intermissione,

3. *Memores operis fidei vestræ & laboris, & charitatis, & sustinentiæ spei Domini nostri JEsu Christi, ante Deum & Patrem nostrum.*

4. *Scientes, fratres dilecti à Deo, electionem vestram:*

5. *Quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantùm, sed & in virtute, & in Spiritu sancto, & in plenitudine multâ, sicut scitis, quales fuerimus in vobis propter vos.*

6. *Et vos imitatores nostri facti estis, & Do-*

experimenta sinceræ fervidæque charitatis palàm data, omnibúsque perspecta, constantia infractæ vestræ fiduciæ in Christo Domino nostro probè locatæ, eximia virtutum opera fidei vestræ associata mente nostrâ nunquam excidunt. Satis nobis non est ad ea quandoque reflectere pro nostro solatio. Nunquam præsentem nobis Deum immortalem, ac parentem nostrum optimum cogitatione repræsentamus, quin ei demississimas grates agamus pro iis, quæ in vos divinitùs collata sunt, precibúsque instemus assiduis, ut suos in vos favores continuare ac multiplicare dignetur, 4. quippe qui probè sciamus, fratres dilecti, vos esse à Deo eximio planè ac singulari beneficiô electos. 5. Quoniam Evangelium nostrum constitit apud vos non inani duntaxat verborum sonitu, sed etiam vi atque mirificâ agendi facultate idque accedente divinitùs Spiritûs sancti energiâ atque efficacitate cum plenâ certáque persuasione veritatis, quæ vestris animis penitus inhæret, cùm probè noveritis ipsi, quales nos exhibuerimus vestrâ causâ, cùm apud vos ageremus, 6. adeò ut exemplô nostro

nostro permoti imitatores nostri vel potius Domini JESU Christi facti sitis quippe Evangelicam doctrinam non tantùm avidis excepistis auribûs, sed quod caput est, multa, quæ ejus causâ tolerare necesse fuit, ingenti cum gaudio, quod à Spiritu Sancto promanat, fortiter subiistis, 7. adeo, ut eodem prope tempore & discipuli fueritis & Magistri, & in Achaiâ ac Macedoniâ veluti exemplaria patientiæ ac virtutis omnibus credentibus ad imitandum proposita. 8. A vobis enim non modò Evangelicæ doctrinæ fama in memoratas provincias penetravit, verùm etiam vestra ad Deum fides, constantia ac zelus ad omnes quamvis remotas gentes ac nationes permeavit, ut nobis necesse non sit de vobis verba facere 9. siquidem ipsi potiùs, qui de virtutibus vestris notitiam unde unde accepêre, nostros apud vos labores prædicant, palámque arguunt, qualis apud vos nostra consuetudo, & agendi ratio fuerit, quàm fructuosam, quàm utilem operam posuerimus, quâ denique ratione abjectâ nefariâ idolorum servitute Deo nomina dederitis, ut ei tanquam vivo veró-

mini, excipientes verbum in tribulatione multâ, cum gaudio Spiritûs Sancti:

7. *Ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedoniâ, & in Achaiâ.*

8. *A vobis enim diffamatus est sermo Domini, non solùm in Macedoniâ & in Achaiâ, sed & in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profecta est, ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui.*

9. *Ipsi enim de nobis annuntiant, qualem introitum habuerimus ad vos: & quomodo conversi estis ad Deum à simulachris, servire Deo vivo & vero.*

veróque Deo religiosum cultum, ac venerationem exhiberetis. 10. Et ut filium ejus JEsum, quem à morte suscitavit, spe certâ interim exspectaretis de cœlo venturum denuo, scilicet fidei vestræ remuneratorem, qui nos à morte promeritâ aliisque pœnis cervici nostræ imminentibus clementiâ suâ infinitâ eripuit, & in supremo judicio ab omni miseriâ, persecutione, afflictione plenè liberatos coronâ æternæ gloriæ donabit in cœlis.

10. *Et exspectare filium ejus de cœlis (quem suscitavit ex mortuis) JEsum, qui eripuit nos ab irâ venturâ.*

PARAPHRASIS

CAP. II.

1. *Nam ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit.*

2. *Sed antè passi, & contumeliis affecti (sicut scitis) in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Evan-*

1. SEd quid opus est fusiùs perscribere, quod alii de vestrâ obedientiâ nostráque vobiscum conversatione commemorant? reflectite vos ipsos, non enim alios testes desidero. Non ignoratis, fratres mihi charissimi, post superatas Philippis ingentes rerum difficultates, & contumelias sexcentas devoratas eandem vobis doctrinam à nobis magnâ

magnâ animi libertate, fiduciâ, ac contentione annuntiatam conatu sanè non inani, fructúque non exiguo, eam enim tam promptè benevolèque complexi estis, ut gauderemus ex animo, nos tam ingens operæ laborísque impensi tulisse fructum. 3. Neque abs re tantâ cum confidentiâ ac contentione prædicavimus. Quid enim metuendum nobis erat, cùm adhortatio nostra nullâ prorsus imposturâ admixta fuerit, neque ex impurâ vel sordidâ animi affectione profecta, neque cum dolo & fallendi calliditate conjuncta. 4. Sed ut elegit nos Deus, dignósque fecit, quibus Evangelicæ prædicationis munus crederetur, ita congruenter huic electioni, nempe cum omni fide, sinceritate atque integritate prædicavimus, ut qui non hominibus placere studeamus, sed Deo immortali, cujus ministri sumus, quem fallere non possumus, quippe cui nostra, omniúmque mortalium corda, & penitus abditi animi nostri recessus ab omni æternitate patent, qui cuncta etiam justâ lance perpendens æquissimo jure aut probat, aut improbat. 5. Neque

gelium Dei in multâ sollicitudine.

3. *Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditiâ, neque in dolo.*

4. *Sed sicut probati sumus à Deo, ut crederetur nobis Evangelium: ita loquimur non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra.*

5. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neque in occasione avaritiæ: Deus testis est:

6. Neque quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis.

7. Cùm possemus vobis oneri esse ùt Christi Apostoli: sed facti sumus parvuli in medio vestrûm, tanquam si nutrix foveat filios suos.

8. Ita desiderantes vos cupidè volebamus tradere vobis non solùm Evangelium Dei, sed etiam animas nostras: quoniam charissimi nobis facti estis.

5. Neque enim unquam sermone assentatorio usi sumus, ut vos arbitror non latere, neque cupiditatis aut lucri causâ quidquam prætexuimus. Ita me Deus amet mentium omnium inspector. 6. Neque verò popularem auram aut inanem gloriam sectantes ad aures vulgi vestrâ aut aliorum causâ mentem aut linguam ullo unquam tempore accommodavimus, sed unam Dei Maximi gloriam spectavimus, eóque tanquam ad metam propositam consilia omnia ac studia nostra retulimus. 7. Cùm possemus jure nostro vi muneris apostolici necessaria quædam pro sustentatione nostrâ petere, noluimus tamen vobis oneri esse, aut imperiosè cum supercilio fastúque vobiscum agere, sed potiùs placidè, suaviter, ac submissè inter vos vitam degere, vósque more nutricis tanquam teneros fœtus sinu complexúque nostro blandè fovere. 8. Ita incredibili pene salutis vestræ studiò inflammati in votis habebamus non modò Evangelii lucem vobis impertiri, sed etiam si opus esset, aut fieri posset, ipsum pro vobis sanguinem vitámque profundere, quod suprà,

quàm

quàm credi poſſet, meus in vos amor atque benevolentia exarſiſſet. 9. Meminiſtis enim, opinor, fratres laboris noſtri, & defatigationis, dum noctes atque dies noſtris ipſi manibus ſemper operis aliquid facientes id unum curavimus, ne quem veſtrûm gravaremus, atque ita noſtro ſumptu prædicavimus apud vos Evangelium Dei. 10. Vos ipſos, Deúmque inprimis rerum omnium conſcium teſtem appello innocentiæ meæ, quam modeſtè, juſtè & inculpatè vixerim inter vos, qui Chriſti fidem complexi eſtis. 11. Nec enim ignorare poteſtis, me quaſi parentem chariſſimos liberos unumquemque veſtrûm 12. hortari, conſolari, atque obteſtari conſueviſſe, ut tales vos exhiberetis, quales decet eſſe ſervos & cultores ſupremi Numinis, & ſanctitate vitæ reſponderetis inæſtimabili, quâ vocati eſtis operâ noſtrâ ad ejus regnum & gloriam. Neque id ſucceſſu caruit. 13. Cœleſtis ſiquidem doctrinæ præcepta, quæ vobis tradidimus, excepiſtis non ùt hominum decreta, ſed ſicut verè eſt, tanquam ab ipſo ore Dei miſſam orationem, qui etiamnum vires ſuas exerit, & oſtentat in vobis,

9. Memores enim eſtis, fratres, laboris noſtri, & fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem veſtrûm gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei.

10. Vos teſtes eſtis, & Deus, quàm ſanctè & juſtè, & ſine querelâ vobis, qui credidiſtis, fuimus:

11. Sicut ſcitis, qualiter unumquemque veſtrûm (ſicut pater filios ſuos)

12. Deprecantes vos, & conſolantes teſtificati ſumus, ut ambularetis dignè Deô, qui vocavit vos in ſuum regnum & gloriam.

13. Ideo & nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione: quoniam cùm accepiſsetis à nobis verbum auditûs Dei, accepiſtis illud non ùt ver-

bum hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis:

vobis, qui fidei præceptis aures, & assensum præbuistis. Actus, quos hodiedum ex virtutis præscripto exercetis, fructus sunt illius sementis, pro quâ gratias semper impensissimas divinæ bonitati agimus, quæ plantat, rigat, & incrementum dat.

14. *Vos enim imitatores facti estis fratres Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæâ in Christo JEsu: quia eadem passi estis & vos à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Judæis:*

15. *Qui & Dominum occiderunt, JEsum, & Prophetas, & nos persecuti sunt; & Deo non placent, & omnibus hominibus adversantur;*

16. *Prohibentes nos Gentibus loqui, ut salvæ fiant, ut impleant peccata sua semper: pervenit enim ira Dei super illos usque in finem.*

14. Quanta porrò fuerit illius in vobis operantis virtus, & efficacia, haud difficile erit ex eo colligere, quòd vos fratres similes reddiderit fidelibus Ecclesiarum in Judæa, qui Christo JEsu jam pridem nomina dederunt, quippe vos eadem à vestris contribulibus passi estis, quæ ipsi pertulerunt à Judæis. 15. Qui quidem & Dominum JEsum, & veteres olim Prophetas è medio sustulerunt, nósque finibus suis ejectos exilio damnarunt, existimantes, se hac suâ ferociâ ingens præstare Deo obsequium, cui tamen exosi sunt, cùm ejus Evangelio atque Ministris sese obstinatissimè opponant, & gentiles despectui habeant quasi à Deo penitus reprobatos, 16. atque idcirco nos prohibeant eis Evangelii lucem inferre, eámque doctrinam tradere, quâ salutem consequantur sempiternam. Hac verò cæcâ agendi ratione scelera cumulant novis scele-

ſceleribûs quaſi hæreditariâ impietate, donec tandem eorum menſuram impleant, irámque Dei in ſe provocent, cujus effectus jam in hac vitâ perſentiſcunt ſempiternis poſtmodum in alterâ cruciatibûs torquendi. Exemplum fratrum veſtrorum, quos ita divexant, & affligunt, ſit vobis pro ſolatio & patientiæ ſtimulo. 17. Nos verò, fratres, qui à vobis ad temporis momentum avulſi & tanquam chariſſimis pignoribûs orbati corporis tantùm conſpectu, non animô tantisper abſumus, eò vehementiùs majoríque deſideriô veſtrum conſpectum expetebamus, & coràm vobiſcum miſcere ſermonem, quò magìs de veſtro periculo metuendum videbatur: 18. Ideóque voluimus venire ad vos, ídque ego Paulus ſemel iterúmque tentavi, ſed irrito conatu, quòd ſuis mihi ſemper inſidiis obſtiterit ſatanas per ſuos emiſſarios, qui vel turbas adversùs me paſſim in civitatibus concitârunt, vel alia quæcunque obſtacula ſtudiosè ac malitiosè objecerunt, ut adeo conſolationem illam vos reviſendi obtinere non potuerim, quæ ſanè mihi fuiſſet optatiſſima, quippe

17. *Nos autem, fratres, deſolati à vobis ad tempus horæ, aſpectu, non corde, abundantiùs feſtinavimus faciem veſtram videre cum multo deſiderio:*

18. *Quoniam voluimus venire ad vos: ego quidem Paulus, & ſemel & iterum, ſed impedivit nos ſatanas.*

19. *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum JEsum Christum estis in adventu ejus?*

20. *Vos enim estis gloria nostra & gaudium.*

pe vos affectu prosequor nullis verbis explicabili. 19. 20. Nam quæ mihi, obsecro, vestro ipsorum judiciô reliqua est spes? quale gaudium? qualis corona gloriæ meæ, quâ regum propemodum in morem gloriemur? Ita vivam. Profectò vos ipsi, fratres mei, horum omnium instar estis. Interea spe plenus vivo, fore, ut Dominus noster JEsus Christus remuneraturus sit labores à me susceptos pro vestrâ institutione, quódque eo præsente cum Angelis suis in supremo judicio, cùm advenerit redditurus unicuique secundùm opera sua, lætitiâ complendus sim maximâ ob vestram salutem, & felicitatis vestræ reddendus particeps, quòd denique corona vestra immortalis meritura & paritura sit mihi aliam peculiarem ab æquissimo illo judice, cujus adventum & præstolamur, & vehementer expetimus.

PARA-

PARAPHRASIS

CAP. III.

1. INterea cùm præsentiâ vestrâ frui non liceret, desideriòque ad vos redeundi satisfacere, solus remanere constitui Athenis, & per alium mihi conjunctissimum, ac velut alterum me supplere, quod Evangelii ac generis humani hostis hactenus præpedierat. 2. Misimus itaque Timotheum fratrem nostrum egregium Ministrum, adjutorémque nostrum in Evangelii Christi promulgatione. Fateor hanc separationem mihi perquàm acerbam ac difficilem accidisse, vestræ tamen salutis cura prævaluit arctissimis ùtùt amicitiæ vinculis, maluíque hoc solatio carere, ut vos meo nomine stabiliret contra versutas dæmonis insidias, sedulóque hortaretur ad constantem in susceptâ fide ad extremum usque spiritum perseverantiam. 3. Ut ne quis vestrûm turbis istis apud vos nuper excitatis, quæque nos ubique fermè comitantur, ultra modum turbetur, terreatur, commovea-

1. Propter quod non sustinentes ampliùs placuit nobis remanere Athenis solis:

2. Et misimus Timotheum fratrem nostrum, & Ministrum Dei in Evangelio Christi ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide vestrâ:

3. Ut nemo moveatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis, quòd in hoc positi sumus.

veatur, nostis enim ipsi, hanc esse Christianæ professionis rationem divinitùs constitutam.

4. *Nam & cùm apud vos essemus, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes, sicut & factum est, & scitis.*

4. Etenim cùm essemus apud vos, id præcipuè vobis prædicebamus, fore ut pluribus rebûs adversis vexaremur, & maximis premeremur angustiis, quod reipsâ evenisse certò vos & proprio documentô didicistis.

5. *Propterea & ego ampliùs non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram: ne fortè tentaverit vos is, qui tentat, & inanis fiat labor noster.*

5. Quamobrem ob id ipsum, quod non amplius ferrem, ut antè dixi, vestri desiderium, continuò misi eum tum ob eam causam, quam suprà indicavi, tum ut cognoscerem fidem vestram, quam firmam ac stabilem esse cupiebam, nonnihil interea metuens, ne quâ ratione impius ille adversarius, qui assiduè intentus est in exitium animarum, illisque laqueos ex omni parte struit, & mille technas adornat ad eas supplantandas, vestram fortè fidem labefactâsset, atque ita omnis labor ac industria nostra in nihilum recidisset.

6. *Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis, & annuntiante nobis fidem & charitatem vestram, & quia memoriam nostri habetis bonam semper, desiderantes nos videre, sicut & nos quoque vos:*

6. Nuper autem cùm Timotheus à vobis ad nos rediisset, vestræque pietatis ac religionis constantiam atque charitatem narrâsset, atque addidisset, vos benevolam nostri memoriam retinere, cupidósque esse nos videndi, non aliter ac nos vestro quoque

con-

conſpectu frui peroptamus, 7. maximam profectò ex eâ re conſolationem accepimus, fratres, mirificéque in ſummâ rerum perturbatione & moleſtiarum noſtrarum cumulo recreati ſumus propter ea, quæ de vobis fideíque veſtræ firmitate atque conſtantiâ prolixè nobis Timotheus jucundéque narrabat. Habeo quidem oculis aſſiduè meis obverſantem mortis imaginem, cui quolibet momento ſum proximus & accinctus, vitáque, quam duco, mors potiùs appellanda eſt. 8. Nihilominus reviviſcere nos, atque ſpiritum reſumere exiſtimamus, ſi vos, qui mihi vitâ ipsâ chariores eſtis, in vero Dei cultu ac Chriſtianâ religione perſtatis. 9. Quam enim parem gratiam veſtrâ causâ Deo referre poſſùmus pro eo præſertim, quo perfuſi ſumus in Domino, dum ea de vobis perciperemus auribûs, quæ mente animóque concepta aſſiduè vobis à Deo precabamur, 10. id etiam enixè poſtulantes, ut veſtro conſpectu frui, vósque coràm alloqui liceat, & quæ deſunt fidei veſtræ pleniùs ac diligentiùs explicandæ numeris omnibus abſolvere atque perficere. 11. Ego quidem paratiſſimus ſum

7. Ideo conſolati ſumus fratres in vobis in omni neceſſitate & tribulatione noſtrâ per fidem veſtram,

8. Quoniam nunc vivimus, ſi vos ſtatis in Domino.

9. Quam enim gratiarum actionem poſſumus Deo retribuere pro vobis in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum noſtrum,

10. Nocte ac die abundantiùs orantes, ut videamus faciem veſtram, & compleamus ea, quæ deſunt fidei veſtræ?

11. Ipſe autem Deus, & Pater noſter, & Do-

minus noster JEsus Christus dirigat viam nostram ad vos.

ſum ad hoc iter ſuſcipiendum, ſupplico autem Deo Patri & Domino JEſu Chriſto, noſtrum ad vos adventum fortunet, ea removendo, quæ me in varias partes veluti diſtractum à veſtro congreſſu aſpectúque divellunt, ſitque ipſe nobis viæ auctor, & director.

12. *Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem veſtram in invicem & in omnes, quemadmodum & nos in vobis:*

12. Idémque faxit, ut vos interea numero creſcatis, & mutua inter vos charitas ac benevolentia majora indies capiat incrementa, adeóque latè pateat ac diffundatur, ut omnes omnino mortales complectatur eo modo, quo noſter in vos amor ſingularis extenditur, flagrátque continuò,

13. *Ad confirmanda corda veſtra ſine querelâ, in ſanctitate ante Deum & Patrem noſtrum in adventu Domini noſtri JEſu Chriſti cum omnibus ſanctis ejus. Amen.*

13. ut hac ratione omni prorſus labe puri atque innoxii altiores veluti radices agatis in omni virtute ac ſanctitate, ut nemo habeat, quod de vobis conqueri poſſit non ſolùm coram hominibus, ſed etiam in conſpectu Dei, quem nihil poteſt latere, ſanctitate, inquam, non brevi, non momentaneâ, non caducâ, ſed ſolidâ, ſtabili, firma, quæque duret inconcuſſà ad extremum usque ſpiritum, ſeu usque ad Chriſti adventum, quando cum electis ſuis cœlô deſcenderit ad ultimam decretoriam ſententiam ſempiternæ vel remunera-

neirationis, vel damnationis in mortales pronuntiandam. Amen.

PARAPHRASIS

CAP. IV.

1. QUod superest igitur, fratres, rogamus vos atque obtestamur per Dominum JEsum, ut semper memores tremendi illius judicii præscriptam à nobis tum credendi, tum rectè vivendi formam atque legem retineatis, atque ita coram Deo ubique præsente ambuletis, quemadmodum à nobis edocti estis, adhibitâ videlicet omni diligentiâ, ut ei semper placere, magisque indies proficere atque excellere possitis in virtute & sanctitate. 2. Nostis enim, quænam præcepta non nostrâ, sed Domini nostri JEsu Christi auctoritate dederimus vobis. Quando ejus Evangelium complexi estis, in statum penitus alium transiistis, amori proprio renuntiastis, vósque Dei servitio cultuíque ex integro consecrâstis; libertas vestra peccato hactenus

1. De cætero ergò fratres, rogamus vos, & obsecramus in Domino JEsu, ut quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, sic & ambuletis, ut abundetis magis.

2. Scitis enim, quæ præcepta dederim vobis per Dominum JEsum.

nus subjecta nunc gratiæ divinæ famulatur, mundus despoticum exercet imperium, & in clientes suos illiberalis est & immemor ùt plurimùm præstiti sibi obsequii, Deus verò benignus, aditu facilis, atque mirum in modum munificus aliud à vobis non postulat, nisi quod vestrâ ipsorum plurimùm interest, & sana ratio à vobis exigit.

3. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: ut abstineatis vos à fornicatione,

3. Nempe ut sanctitati comparandæ sedulam ac diligentem operam detis, vósque ab omni impurâ libidine, quâ nimium quantum naturæ quodam impetu, vel cœco potiùs cupiditatis furore humana imbecillitas rapitur, quoad ejus fieri possit, cohibeatis,

4. Ut sciat unusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione, & honore:

4. ut unusquisque vestrûm suis membris intra honestatis & castimoniæ fines præesse noverit, sanctè, honorificè & decenter pro necessitate iis utendo.

5. Non in passione desiderii, sicut & Gentes, quæ ignorant Deum:

5. Nullo autem modo patiatur se effrœnatis concupiscentiæ motibûs in eas libidinum sordes pertrahi, à quibus natura ipsa non penitus corrupta abhorret, ùtùt gentes in eas cæco impetu ruant, quippe quæ Deum pudicitiæ amatorem non noverunt, adeóque nec flagitiorum illi repugnantium vindicem metuunt, sed omnia

omnia ad corporis voluptatem referunt. 6. Illud verò inprimis sedulò cavendum vobis est, ne quis impotenti, atque inexplebili cupiditate victus alterius thorum sibi violandum, aut alienam & peregrinam voluptatem sectandam existimet: est enim Deus horum omnium flagitiorum vindex acerrimus atque ultor, quemadmodum pridem annuntiavimus vobis, & multis, si meministis, testati sumus. 7. Non enim hac lege nos in filios suos adoptavit, & vocavit, ut impuræ libidini habenas laxaremus, corpúsque nostrum, quod in templum suum elegit, omni genere sordium inquinaremus, sed potiùs ad continentiam & puritatem animi corporísque assequendam, castéque ac religiosè colendam. 8. Itaque qui hæc monita rejicit, atque contemnit, non se putet hominem aut hominum consilia, sed Deum ipsum divináque ejus imperia repudiare, cujus divino spiritui in baptismate accepto gravissimam injuriam atque ignominiam irrogat eum per hujusmodi flagitia expellendo. 9. Crediderim neminem vestrûm tanti sceleris reum esse, de fraternâ autem

6. Et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis & testificati sumus.

7. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.

8. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum: qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis.

9. De charitate autem fraternitatis non

necesse habemus scribere vobis: ipsi enim vos à Deo didicistis, ut diligatis invicem.

10. *Etenim illud facitis in omnes fratres in universâ Macedoniâ. Rogamus autem vos fratres, ut abundetis magìs,*

11. *Et operam detis, ut quieti sitis, & ut vestrum negotium agatis, & operemini manibûs vestris, sicut præcipimus vobis: & ut honestè ambuletis ad eos, qui foris sunt: & nullius aliquid desideretis.*

autem charitate atque in alios beneficentiâ nihil vobis scribere necesse est, ipsi námque divinitùs edocti mutuâ vos charitate complectimini, réque ipsâ ostenditis, vos ejus esse discipulos, qui reciprocæ charitatis velut tesserâ suos voluit auditores ab aliis internosci. 10. Nam vos quidem liberalitatem ac munificentiam in fratres omnes exercetis, qui in totâ istâ Macedoniæ pvovinciâ vitam degunt, obsecramus autem, ut istra vestra beneficentia augescat indies magìs & excellat, 11. unáque detis operam, ut placidè & sine tumultu agatis, aliorum quietem non turbetis; vestris rebus intenti aliorum officiis & negotiis per atmiam curiositatem vos non ingeratis, neque nostri præcepti unquam obliviscamini, quo vobis coràm imperavimus, opificia manuum non negligere. Ita enim fore dicebamus, ut omnes vitæ vestræ actiones etiam exteris probarentur, vósque ideo nullâ rerum necessariarum indigentiâ laboraretis, ne per otium, & segnitiem inopes facti cogamini res alienas expetere vel mendicare, & tum fratribus oneri sitis, tum gentilibus ob inertiam & impor

importunitatem ſtipem corrogandi faſtidio & offenſionis. 12. Illud etiam vos minitos volo, frater, ne tanto afficiamin idolore propter eos, qui diem clauſerunt extremum, quemadmodum faciunt, qui immortalitatis ſpe atque exſpectatione deſtituti animam unà cum corpore impiè putant interire. Mors illorum, qui in fide & charitate JEſu ſupremum emittunt ſpiritum meritò haberi poteſt pro ſomno placido, unde aliquando evigilabunt vitâ fruituri deinceps cum ipſo immortali. 13. Nam ſi certâ fide credimus, Chriſtum Dominum diem ſuum obiiſſe, & redivivum ad ſuperos remeâſſe, nefas planè eſt dubitare, fore, ut Deus eos, qui in Chriſto mortalitatem exuerunt, rurſus unà cum illo tanquam membra cum Capite immortalitatis luce perfundat. 14. Enimverò hoc vobis non ex propriâ imaginatione vel opinione, ſed ipſius Domini verbis atque auctoritate denuntio, quotquot circa diem judicii ſuperſtites & vivi erimus, non ſolùm non glorificandos, nec regnaturos cum Chriſto ſine illis, qui jam pridem mortui computruerunt, ſed nec eos ad Chriſti

12. *Nolumus autem vos ignorare fratres, de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent.*

13. *Si enim credimus, quòd JEſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per JEſum, adducet cum eo.*

14. *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui reſidui ſumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt.*

15. *Quoniam ipſe Dominus in juſſu & in voce Archangeli, & in tubâ Dei deſcendet de cælo: & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi.*

16. *Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus.*

Chriſti occurſum præveniemus. 15.
Ipſe enim Dominus de cœlo veniet comitatu omnium Angelorum ſtipatus, qui ejus imperia executioni danda præſtolabuntur, & inſonante ac per mundum univerſum clangente tubâ terribili & maximè ſonorâ ſepulchra mortuorum ſtatim patebunt, ut corpora apud ſe depoſita reddant.
16. Tum illi, qui ad eum usque diem vitam extraxerint, commune naturæ & peccati originalis debitum perſolvent diſſolutâ ad breviſſimum tempus conjunctione corporis cum animâ ſive per ignem univerſalem conflagrationis, ſive ſubtracto concurſu Dei, & reſurgent unà cum prioribus, ac mirâ quadam celeritate rapientur obviàm ſeu in occurſum Chriſto in æthera tum Angelorum ſuorum cuſtodum miniſteriô, tum propriâ agilitatis virtute, tum magneticâ quaſi vi Capitis noſtri, ut ibi in præparatis cuique thronis ſuo ſinguli ordine, gradu, & loco conſideant à dextris judicis, reprobîs humi ad ſiniſtram relictis, & poſtmodum nubium mirè reſplendentium quaſi vehiculô ſubvecti Chriſtum triumphantem comitentûr in cœlum, ubi ſempi-

ſempiternâ, & omnem captum excedente felicitate ac gloriâ perfruentur. 17. Itaque conſolamini vos invicem rerum iſtarum, quas modò explicavi, recordatione atque commemoratione, mutuámque fidem ac ſpem excitando lenite eorum dolorem, qui ſanguine vel amicitiâ junctos morte ſublatos acerbiùs lugent.

17. *Itaque conſolamini invicem in verbis iſtis.*

PARAPHRASIS

CAP. V.

1. OPortet vos quidem nunquam absque metu vivere diei hujus ſupremæ, quando autem futura ſit, nolo, ut ſuperfluâ curioſitate inveſtigetis, cùm Dominus id latere voluerit, adeò ut dicat illum ac horam ne Angelis quidem cognitam eſſe. 2. Satis eſt, de quo vos ſæpius monui, illud animô recolere, diem illum Domini quaſi nocturnum furem ſubitò ac minimè ante præviſum eſſe aliquando venturum, cùm homines alto ſomnô ſepulti illum neutiquam præſtolabuntur.

3. Cùm

1. *De temporibus autem & momentis, fratres, non indigetis, ut ſcribamus vobis.*

2. *Ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet.*

3. *Cùm enim dixerint pax, & securitas; tunc repèntinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, & non effugient.*

4. *Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat:*

5. *Omnes enim vos filii lucis estis & filii diei: non sumus noctis, neque tenebrarum.*

6. *Igitur non dormiamus, sicut & cæteri, sed vigilemus, & sobrii simus.*

3. Cùm enim sibi videbuntur tranquilla pace frui, tutáque omnia sperabunt, tum verò repentinum eis imminebit exitium, non aliter ac dolores partûs mulierem uterum ferentem, dum aliud agit, ex improviso occupare solent. Ita undique obsessi nequaquam effugient, nec vi, nec astu subducere se poterunt tremendo huic judicio, de quo tam parùm solliciti erant. 4. At vos, fratres, quibus jam pridem fidei lux atque Evangelii splendor affulsit, nullis opinor tenebris ignorantiæ aut flagitiorum implicamini, ut dies ille subitò atque occultè tanquam nocturnus fur vos somnò vinóque sepultos deprehendat. 5. Siquidem jam pridem vos claram solis & Evangelii lucem aspexistis, & pulsis cœcæ superstitionis tenebris unà omnes meridiana luce perfruimini sanctiore vitâ piisque operibûs tempestivè comparati ad fatalem illum diem quandocunque venturum. 6. Igitur haud dormire nos decet, vel reliquorum more veterno languescere, sed vigiles potiùs & sobrios esse oportet tanquam filios lucis in exspectatione venturi Judicis, & omni curâ intentos in procuratione nostræ

noſtræ ſalutis. 7. Nam quamdiu nocturnæ tenebræ mundum occupant, ejus clientes tempus illud eligunt tanquam ſibi commodum, ut ſtertant, & vel ebrietatem interdiu conceptam edormiant, vel nefandis luxuriæ ſordibus ſeſe contaminent. 8. At nos, qui in clarâ luce, meráque meridie vivimus, non tantùm ſobrietatem colere & vigilare neceſſe eſt, ſed etiam ad pugnam ſpiritûs contra inviſibiles hoſtes ſtrenuè accingi, ſcutô ſcilicet fidei & charitatis thorace, & pro galeâ ſalutis ſpe atque exſpectatione cœleſtium bonorum conceptâ. 9. Etenim non ut impios hoſtes ſuos, ita etiam nos filios ſuos nos vocavit aut conſtituit Deus ad iram juſtúmve ſupplicium promerendum deſtinando nos æternis pœnis ac damnationi, ſed ad ſempiternam potiùs ſalutem ac gloriam JEſu Chriſti Domini noſtri divino planè beneficiô ac meritis conſequendam. 10. Qui vitam pro nobis forti conſtantíque animo poſuit, ut & qui aurâ ſpirabili etiamnum fruuntur, & qui jam in Domino obdormierunt, in eo, cum eo, & propter eum perpetuò vivamus ſpiritu, hic per gratiam, in

futu-

7. *Qui enim dormiunt, noćte dormiunt: & qui ebrii ſunt, noćte ebrii ſunt.*

8. *Nos autem, qui diei ſumus, ſobrii ſimus, induti loricam fidei & charitatis, & galeam ſpem ſalutis:*

9. *Quoniam non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum,*

10. *Qui mortuus eſt pro nobis: ut ſive vigilemus ſive dormiamus, ſimul cum illo vivamus.*

futuro etiam per gloriam. Nec tamen solis vobis vivere ac vigilare debetis.

11. *Propter quod consolamini invicem, & ædificate alterutrum, sicut & facitis.*

11. Mutuis vos quoque adhortationibûs atque consiliis alii alios erigite & confirmate, quin etiam, quod vos reipsâ perficere magnopere gaudeo, singuli singulos excitate, & ad optima quæque sanctioris vitæ exemplo, & exspectatione prædictæ gloriosæ immutationis promovete.

12. *Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos.*

12. Rogamus autem vos fratres, & quantâ quantâ possumus contentione obsecramus, ut præpositos vestros diligenter observetis ac revereamini, qui strenuam vobis operam navant docendo, Christi Sacramenta administrando, & cætera, quæ salutis vestræ sunt, procurando, vósque monitis & consiliis ad omne virtutis studium informant, quin eo nomine propensiùs vobis honorandi sunt, quòd ita sincerè secundùm rationem sui officii vobiscum agant, ut nec gratiâ cujusquam, nec offensione moveantur, quò minus ea, quæ salutaria cuique sunt, impendant.

13. *Ut habeatis illos abundantiùs in charitate propter opus illorum: pacem habete cum eis.*

13. Item rogamus vos, ut eos summopere æstimetis, & magno habeatis in pretio, eorúmque diligentiæ ac labori parem gratiam referatis, ídque non metu

metu aut ſimulatione, ſed ex amore, quo poteſtis, maximo, mutuámque cum illis & inter vos pacem perpetuò colatis. 14. Vos verò, qui Evangelico miniſteriô fungimini, in Domino obteſtor, ut turbulentos diſciplinæ violatores compeſcatis, & ſi fieri poſſit, ſuavi correptione in ordinem redigatis, & conſolatione erigatis illos, qui in ſuis ærumnis dejectô ſunt animô, ne graviori tentatione pulſati victoriam deſperent, infirmos in fide ſublevetis ac foveatis, cum omnibus denique patientiam & longanimitatem retineatis. 15. Illud autem inprimis cavendum vobis cenſeo, ne quis malefacta malefactis compenſet, ſed cuncti potiùs beneficentiam tum inter vos mutuò, tum verò etiam, ſi opus ſit, in infideles perinde ac fideles omni genere officii colatis. 16. Suadeo verò ut animi lætitiam hilaritatémque in rebus adverſis atque anguſtis quoad ejus fieri poteſt, ſervetis, quam ut præter alia vobis neceſſaria præſidia obtineatis, precandi ſtudium, ne quæſo, intermittite. Effundite corda veſtra in ejus conſpectu, atque præſentiâ laudando illum, benedicendo, neceſſitates veſtras cum omni fiduciâ atque animi demiſſione

14. *Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes.*

15. *Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat: ſed ſemper quod bonum eſt, ſectamini in invicem, & in omnes.*

16. *Semper gaudete.*

17. *Sine intermiſſione orate.*

18. *In omnibus gratias agite: hæc est enim voluntas Dei in Christo JEsu, in omnibus vobis.*

19. *Spiritum nolite extinguere.*

20. *Prophetias nolite spernere.*

21. *Omnia autem probate: quod bonum est, tenete.*

supplicitér exponendo. 18. Quæcunque vobis accidunt sive prospera sive adversa, Deo bonorum omnium auctori immortales gratias agite, id enim est divinæ voluntati, Christique in vos omnes liberalitati ac munificentiæ quàm maximè consentaneum. 19. Cavete porrò, ne divini Numinis afflatus, illustrationes, & impulsus, quibûs quasi lampadibûs illuminamini in caliginosâ nocte hujus sæculi, vestra aliquando socordia, tarditas, aut nimia rerum temporalium cura quasi injectâ aquâ extinguat. 20. Vos verò, qui aliorum directioni præestis, eos, qui gratias gratìs datas, veluti donum linguarum, prophetiæ, aut intelligentiæ sacrarum litterarum acceperunt, nolite in universum contemnere, & impedire, ne charismata ista in aliorum bonum proferant, ex eo fortè capitè, quòd impostores aliqui & pseudoprophetæ se illis immisceant à dæmone inducti ad vos supplantandos, sed 21. potiùs omnia, quæ dicuntur à fratribus tanquam prophetantibus, diligenter expendite, discutite, dijudicate, qualia sint, scilicet per eos, qui etiam donô prophetiæ, vel similibûs præcellunt, veritatem à fuco discernite, & quod ex omnibus optimum

mum, sanæque doctrinæ consentaneum visum fuerit, constantissimè retinete. 22. Satis autem non est evitasse malum, nisi etiam omnis mali species, atque ansa cujuspiam scandali ab integritate vitæ vestræ quàm longissimè absit, ne fortè Christiana Religio apud Gentes malè audiat, & contemptui habeatur. 23. Fateor præcepta hæc suâ difficultate non carere, meminisse autem oportet, omnia per Dei gratiam reddi facilia, levia, suavia. Deus omnia, quæ præcipit, in nobis ipse operatur, eadémque manu, quâ metam ostendit cursu à nobis assequendam, vires suppeditat, ut ad eam tandem perveniamus. Illum itaque tanquam veræ pacis auctorem etiam atque etiam obtestor, ut vos omni ex parte ger manâ ac solida sanctitate compleat, ut mens animúsque vester unà cum corpore innocentiam in baptismate acceptam, morúmque integritatem ab omni prorsus labe puram, & non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus irreprehensam usque ad Christi Domini nostri adventum feliciter conservet. 24. Spero me vobis damnandum, cùm sciam illum esse longè benignissimum atque fidelem

22. Ab omni specie malâ abstinete vos.

23. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia: ut integer spiritus vester & anima & corpus sine querelâ in adventu Domini nostri JEsu Christi servetur.

24. Fidelis est, qui vocavit vos: qui etiam faciet.

lem in adimplendis suis pollicitationibus, quare cùm vos ad cœlestem hæreditatem vocaverit, certò vobis ejus opem implorantibus aderit, & quidquid facto opus erit, perseverantiam tribuendo reipsâ efficiet. 25. A vobis porrò fratres aliud non peto, neque desidero, nisi ut vestris apud Deum precibûs pios conatus nostros sedulò promoveatis, 26. nostro item nomine fratribus omnibus adhibito sancto osculô salutem dicere ne gravemini. 27. Obtestor autem vos per Dominum JEsum, ut quàm diligentissimè curetis hanc nostram epistolam omnibus fidelibus Ecclesiæ vestræ prælegi. 28. Gratia Domini nostri JEsu Christi vos perpetuò comitetur ac servet.


25. Fratres, orate pro nobis.

26. Salutate fratres omnes in osculo sancto.

27. Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.

28. Gratia Domini nostri JEsu Christi vobiscum, Amen.

A M E N.



AR-

ARGUMENTUM EPISTOLÆ SECUNDÆ AD THESSALONICENSES D. PAULI APOSTOLI.

Cùm Apoſtolus priore epiſtolâ Theſſalonicenſibus pollicitus fuiſſet, ſe paulò poſt ad eos inviſendos venturum, variiſque negotiis, ac fortè etiam periculis impeditus ac prohibitus fuiſſet, ne id faceret, alterâ nunc vice ad eos reſcribit, ut illos confirmet ac ſtabiliat in profeſſione doctrinæ Evangelicæ, in adverſis tum præſentibus, tum imminentibus corroboret, & demum inanem metum eximat, quem conceperant ex inſtante adventu Filii Dei propter verba quædam Apoſtoli minùs rectè intellecta, & rumores quoſpiam eadem de re temerè ſparſos à malevolis quibuſdam Novatoribus.

Cap. 1. à Thessalonicensium laudibus orditur, & eorum sibi benevolentiam ac studium conciliat, ut ea, quæ deinceps dicturus est, faciliùs in eorum animos insinuet ac penitus persuadeat. Proponit eis tam horrendas persecutorum pœnas, quàm condigna patientiæ præmia ipsis, & Sanctis omnibus obventura in adventu Domini, cujus circumstantias postmodum describit, 1. quòd de cœlo descensurus sit. 2. Formâ aspectabili. 3. Comitantibus Angelis omnibus. 4. Qui ejus imperia exequentur. 5. Præcedente conflagratione universali totius mundi terraquei. 6. Quòd sola Majestas ex aspectu Judicis promicans reprobos ob confusionem publicam supremi supplicii locô futura sit. 7. Quòd in electis suis gloriosus, & prorsus admirandus appariturus sit.

Cap. 2. Quoniam superiùs nonnulla de judicio futuro dixerat, inanem & fabulosam eorum sententiam refellit, qui diem mundi supremum jam imminere dictitabant, atque in eam fictas nescio quas revelationes, & commentitiam Pauli Apostoli epistolam in confirmationem adducebant, quos nil ipse in tanto periculo cunctandum ratus proin monet, ut in perceptâ Evangelii doctrinâ perseverent, adversa forti & constanti animô perferant, certi, non ante venturum supremum mundi diem, quàm Antichristus regnare incipiat, cujus vitam ac mores & præcurrentia futuri judicii indicia paucis graphicè describit. Subin congratulatur Thessalonicensibus, quòd sint primitiæ fidelium, & salvandorum: confirmat eos in fide, hortatur ut persistant in traditionibus acceptis, ac tandem Dei gratiam eis apprecatur.

Cap.

Cap. 3. rogat, ut pro ſe orent, veteratores ac fraudulentos Divini verbi Miniſtros, inquietos, otioſos, turbulentos, contumaces cavendos admonet, vel coërcendos ſuóque exemplô propoſito eos tacitè perſtringit, omnia denique Theſſalonicenſibus fauſta & felicia optans epiſtolæ finem imponit.



PA-



PARAPHRASIS IN EPISTOLAM II. D. PAULI APOSTOLI

AD

THESSALONICENSES

CAPUT I.

1. *Paulus & Silvanus, & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre nostro & Domino JEsu Christo.*

2. *Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino JEsu Christo.*

1. PAulus & Silvanus ac Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium, quæ est in Deo Patre nostro, & Domino JEsu Christo collecta, salutem dicunt, 2. & gratiam ac pacem à Deo Patre nostro, & Domino JEsu Christo vobis omnibus, qui Thessalonicæ estis, ex animo precantur, cujus vi ac præsidiô confirmati omnia possiti

ſtris pericula incolumes evadere. Quid enim illis grave aut moleſtum poſſit videri, qui Dei gratiam ſint aſſecuti? 3. Tam multa de vobis, fratres, támque læta quotidie ad nos perferuntur, ut Deo bonorum omnium auctori aſſiduas, ut par eſt, gratias agere cogamur ob eam potiſſimùm cauſam, quòd fides veſtra magna accipiat incrementa, magíſque in dies exuberet ac floreat mutua uniuscujusque veſtrûm inter vos charitas, 4. adeò, ut nos ipſi cognitis iis, quæ apud vos aguntur, quæque omnium ſermone celebrantur, magnam inde nobis gratulandi & gloriandi occaſionem nacti apud omnes Eccleſias Dei veſtram eximiam tolerantiam fideíque conſtantiam in omnibus perſecutionibus atque oppreſſionibus, quas fortiter perfertis, non absque inſigni ſolatio gaudióque prædicemus. 5. Quæ res magno argumentô eſt æquiſſimi ſimul ac rigidiſſimi judicii Dei, quod aliquando exercebit in impios, nam qui bonis non parcit in hoc ſæculo, cogitandum relinquit, quâ ſeveritate malos plectet in futuro judicio. Prudenter itaque dura quæque, & acerba ſuſtinetis fortiter, ut hac ratione

3. *Gratias agere debemus ſemper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum eſt, quoniam ſupercreſcit fides veſtra, & abundat charitas unius cujusque veſtrûm in invicem:*

4. *Ita ut & nos ipſi in vobis gloriemur in Eccleſiis Dei, pro patientiâ veſtrâ, & fide, & in omnibus perſecutionibus veſtris, & tribulationibus, quas ſuſtinetis.*

5. *In exemplum juſti judicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini.*

tione à levioribus noxis purgati & mundati tanquam aurum in camino purgationis efficiamini digni regnô Dei, in quod nihil intrat, quod non omni ex parte mundum sit atque purum.

6. Si tamen justum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant:

6. Rigor ille, quo vobiscum cultoribus suis atque electis nunc agit Deus aliàs benignissimus, indicio est & documento non obscuro, quanto olim rigore ulturus sit hostium suorum impietatem, rationi enim & æquitati maximè convenit, ut qui vos nil tale promeritos indignis modis premunt atque divexant, premantur ipsi ac sentiant suo tempore post impletam flagitiorum mensuram vindicem manum æquissimi Judicis, qui uti nullam noxam impunitam relinquit, ita neque virtutem suâ remuneratione destituit.

7. Et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini JEsu de cœlo cum Angelis virtutis ejus,

7. Rationi, inquam, & æquitati convenit, ut post labores exantlatos optatam capiatis quietem, & post superata tot pugnæ non incruentæ discrimina victoriæ nobiscum percipiatis fructum amplissimum, id quod demum eveniet, quando Dominus noster JEsus, qui nunc ab hominum aspectu remotus est, palàm omnibúsque conspicuus apparebit de cœlo veniens cum Angelis

gelis potentiæ ac justitiæ suæ administris, per eos videlicet separaturus malos à bonis, & suam adversùs reprobos executurus sententiam 8. flammeo incendiô præeunte & in eos desæviente, qui superbiâ elati Deum noluerunt agnoscere ac revereri, vel pervicaciâ prævalente credere Evangelio Domini nostri JEsu Christi sibi prædicato, aut vitam suam illi conformare. 9. Sed quid opus igne illo ad eos torquendos? Fulgura ex oculis exasperati Judicis in reprobos emissâ, gravissima indignatio, quæ in ejus vultu divinâ Majestate pleno promicabit, pompa magnificentissima totius cœlestis curiæ, quæ supremum vivorum atque mortuorum judicem circumdabit, inimicos ejus tanto terrore percutiet, ut optaturi ac rogaturi sint montes ac colles, ingentis beneficii locô dignentur suâ ruinâ eos opprimere, atque abscondere à tremendo conspectu Numinis irati. Si enim dæmones præsentiam Christi versantis in terris non sustinebant, quantò minùs præsentiam ejus cum tantâ Majestate, gloriâ, & ostensione fortitudinis ac potentiæ venientis ad judicium.

8. *In flammâ ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri JEsu Christi:*

9. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloriâ virtutis ejus:*

10. *Cùm venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt: quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo,*

dicium sustinere poterunt impii? 10. Tum verò Dei judicia, quæ nunc occulta sunt, nostrámque imbecillitatem latent, palàm fient, cunctíque mortales agnoscent admirabilem quidem divinæ providentiæ rationem, longè tamen abesse ab acceptione personarum, perspicuéque reprobi intelligent, se suâ culpâ damnari: tum etiam gloriosus, & verè admirandus apparebit Christus Dominus non tantùm in se ipso, sed & in omnibus membris suis mysticis, nempe Sanctis suis, & illis quibuscunque, qui Christianam religionem complexi sunt, evehens & collocans illos ad dexteram suam, propriâque manu cœlestis gloriæ coronam eis imponens, qui priùs in mundo, doloribûs, contumeliis, & rerum inopiâ pressi abjecti erant & miseri, adeò ut justi ipsi tum suam, tum aliorum omnium gloriam ac felicitatem sint admiraturi, quippe quæ omnium hominum & Angelorum opinionem, ingenium & captum longè superabit, ex quo numero eritis & vos, fratres mei dilectissimi, qui Evangelii lucem tantâ animi promptitudine recepistis, tantáque integritate etiamnum servatis,

11. *In quo etiam oramus semper pro vobis:*

11. cujus etiam rei

gratiâ

gratiâ veſtrâ causâ aſſiduas preces fundimus, ut vos omnes clementiſſimus Deus excellenti illâ beatitudine, ad quam vos vocavit, dignos efficiat, omniáque ſua bona de vobis conſilia pro ſuâ in vos gratuitâ benevolentiâ ad exitum perducat, opúsque fidei veſtræ divinâ ſuâ vi ac poteſtate per donum perſeverantiæ vobis collaborantibûs perficiat, atque abſolvat, 12. ut illuſtretur & glorificetur nomen Domini noſtri JEſu Chriſti in vobis, & vos viciſſim in illo, ídque ſingulari beneficiô ac munere cœleſtis gratiæ Dei noſtri ac Domini JEſu Chriſti, cui omnia debemus, quippe qui præpotenti ſuâ virtute ex arundinibus quovis ventô mobilibus, quales naturâ ſumus, in firmas & ſolidas columnas nos transmutat, & in corde humano meritîs JEſu Chriſti Domini noſtri mira & prorſus divina operatur,

ut dignetur vos vocatione ſuâ Deus noſter, & impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute.

12. *Ut clarificetur nomen Domini noſtri JEſu Chriſti in vobis, & vos in illo ſecundùm gratiam Dei noſtri, & Domini JEſu Chriſti.*

PARA-

PARAPHRASIS

CAP. II.

1. *Rogamus autem, vos fratres, per adventum Domini nostri JEsu Christi, & nostræ congregationis in ipsum,*

2. *Ut non citò moveamini à vestro sensu, neque terreamini neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini.*

3. *Ne quis vos seducat ullo modo: quoniam nisi venerit discessio primùm, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis,*

1. ROgamus autem vos, fratres, per Christum Dominum venturum ad judicium, & per vestram met salutem, quando tunc congregabimur invicem, ipsíque occurremus gloriosi, utì vobis omnibus exoptatis, 2. ut ne tam facilè patiamini ab eâ, quam mente concepistis nobis auctoribùs fidei sententiâ dimoveri, neque ullam omnino admittatis animi perturbationem, quasi supremus mundi dies instet proximè, utì vobis persuadere conantur pseudodoctores sive per confictam revelationem Spiritûs Sancti, sive per vivæ vocis oraculum quasi ex ore nostro haustum, sive per suppositìtiam epistolam tanquam per nos missam, 3. neque ullâ ratione, non enim, mihi credite, dies Domini aderit, quin priùs magna quædam & prope universalis defectio & secessio fiat plurimarum nationum tum à Christo, ejúsque Ecclesiâ, tum à Romano imperio,

perio, & ſceleratiſſimus ille omniúmque mortalium perditiſſimus & æternæ perditioni deſtinatus ob plurimorum ſuis præſtigiis perverſionem in lucem prodeat, & tanquam univerſalis Monarcha toto orbe imperium obtineat. 4. Ille, inquam, adverſarius, qui Chriſtiani nominis omnísque religionis ac pietatis infenſiſſimus hoſtis, quidquid ſacroſanctum uſpiam, pedibûs conculcabit, ſeſéque efferet atque extollet adverſùs ipſam Dei Majeſtatem, omnémque religioſum cultum ſive verum ſive falſum eliminabit, ut ipſe ſolus in Eccleſia tanquam templo Dei adoretur & colatur pro Numine à cunctis nationibus vi ſubjugatis, accedente ſignorum & prodigiorum exhibitione, per quæ Deum ſeſe imperitis probabit & oſtentabit. 5. An non meminiſtis, cùm adhuc eſſem apud vos, me hæc vobis coràm non ſemel denuntiâſſe. 6. Nunc verò quid obſtet aut remoretur adventum Antichriſti, & conſequenter extremum judicium probè noſtis, nempe quia nondum facta eſt prædicta regnorum atque populorum diſceſſio. 7. Quamvis autem hic impiorum omnium anteſignanus non-

4. Qui adverſatur & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe, tamquàm ſit Deus.

5. Non retinetis, quòd, cùm adhuc eſſem apud vos, hæc dicebam vobis?

6. Et nunc, quid detineat, ſcitis, ut reveletur in ſuo tempore.

7. Nam myſterium jam operatur iniquitatis;

tantùm ut, qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.

nondum in personâ venerit, jam tamen adest in emissariis ac prænuntiis suis, hæreticis videlicet, velut in mysterio iniquitatis occultè, qui eodem spiritu aguntur & feruntur, quo olim feretur & agetur verus Antichristus, cujus illi symbola sunt & præcursores, dum prætenso Christi nomine ejus veram Ecclesiam totis viribûs oppugnando ac persequendo Antichristo ad manifestam impietatem viam sternunt. Nolite interea curiosiùs inquirere, quæ Deus latere voluit, & pluribûs hac de re incassum contendere, sed fidem potiùs, quam accepistis illibatam servate absque ulteriori indagine, ecquando futura sit universalis hæc defectio.

8. *Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus JEsus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventûs sui eum,*

8. Hac porro suo tempore subortâ veniet sceleratus ille atque sacrilegus legum omnium eversor, atque rebellium primipilus, veniet, inquam, & in apertum se magnâ cum ostentatione proferet, quem Christus Dominus solo jussu ac imperiô suo quasi afflatu mortifero sideratum interimet ac disperdet præcipitando illum è sublimi aëre deorsum, unde terrâ dehiscente à dæmonum satellitio in Tartara abripietur, atque ita pestiferum

ferum hoc ſuperbiæ, atque impietatis monſtrum ſplendore adventûs ſui quaſi fulmine tactum perimet atque deſtruet Chriſtus Dominus, quemadmodum oriente ſole fugantur tenebræ, noctuæ atque veſpertiliones diſſipantur. 9. Priusquàm autem iſta eveniant, ſerviet ille Principi tenebrarum pro miniſtro & inſtrumento idoneo perficiendi execranda ejus conſilia ac molimina, in quem finem plura ſigna & adeò ſpecioſa & miranda prodigia edet, 10. ut illi in fraudem & errorem facilè ſint inducendi, & miſerè perituri, qui doctrinam Chriſti ſalutis noſtræ amantiſſimi ac ſtudioſiſſimi ipſis annunciatam recipere noluerunt, quâ tamen ſalutem conſequi poterant ſempiternam. Propterea enim Deus ita exigente juſtitiâ laxando habenas ſatanæ & Anti-Chriſto, permittet incredulos illos, rebelles, atque obſtinatos fallacibus ſignis ac præſtigiis reipsâ decipi & mendacio præbere aſſenſum, 11. ut in divino tribunali perduellionis ac læſæ Majeſtatis rei pro meritis judicentur, damnentur, in infernum præcipitentur, qui neglectâ veritate, quam complecti par erat, iniquitatem

9. *Cujus eſt adventus ſecundùm operationem ſatanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus.*

10. *Et in omni ſeductione iniquitatis iis, qui pereunt: eo quòd charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio,*

11. *Ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.*

12. *Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti à Deo, quòd elegerit vos Deus primitias in salutem, in sanctificatione spiritûs, & in fide veritatis:*

13. *In quâ & vocavit vos per Evangelium nostrum in acquisitionem gloriæ Domini nostri JEsu Christi.*

14. *Itaque fratres state: & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.*

15. *Ipse autem Dominus noster JEsus Christus, & Deus & Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratiâ,*

tem ac impietatem sectati sunt. 12. Nos verò, fratres Deo dilecti, cogimur vestrâ causâ bonorum omnium largitori Deo perennes gratias agere, quòd vos ex corruptâ totius gentilitatis massâ ab initio tanquam selectas primitias destinaverit ad salutem per sanctificationem spiritûs, veræque fidei professionem, 13. atque ad illam ministeriô nostræ prædicationis perquàm efficaciter vocaverit, ut aliquando tandem JEsu Christi Capitis ac Principis vestri immortalem gloriam assequamini. 14. Quæ cùm ita sint, persistite fratres firmi & constantes in fide & vocatione, quâ vos per gratiam suam dignatus est, & per quam viam ingressi estis, in eâdem ad finem usque incedite, & quidquid æmuli obganniant, sanctè retinete doctrinam & instituta religionis Christianæ, quæ pridem à me cæterísque Apostolis accepistis, sive voce tantùm vobis tradita sint, sive etiam scriptis epistolis imperata. 15. Ipse verò Dominus noster JEsus Christus Deúsque ac Pater noster, qui dilexit nos ùt filios, quos constituit per adoptionem in suos hæredes ac filii sui naturales cohæredes, spémque certam

tam

tam ac consolatione plenam æternæ felicitatis per gratiam sanctificantem tanquam semen illius nobis indulsit, 16. excitet & augeat prædictam consolationem in cordibus vestris abstersâ omni tristitiæ ac pusillanimitatis fuligine, vósque in perceptâ veræ fidei doctrinâ, bonarúmque actionum studio in dies magis confirmet, atque stabiliat.

16. Exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono.

PARAPHRASIS

CAP. III.

1. QUod superest, vestrarum vicissim precum suffragium nobis inprimis optandum est, fratres, ut divini verbi promulgatio absque impedimento, & remorâ felicem cursum teneat, & apud omnes gentes ac nationes non aliter ac apud vos maximo auditorum profectu illustris & gloriosa evadat. 2. Utque ab improbis, protervis, & molestis hominibus liberemur, qui nos, quocunque pergimus, insequuntur, quò variis technis & difficultati-

1. De cætero fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos:

2. Et ut liberemur ab importunis, & malis hominibus: non enim omnium est fides.

tatibûs objectis fructum Evangelii præpediant, non enim omnes Deo vocanti ad fidem pari studiô & contentione pro virili respondent, aut si eam receperint, secundùm ejus principia pacificè vivunt, ut adeò inimici domestici turbas tricásque ciendo non minùs nobis negotii facessant, quàm extranei: nolite tamen propterea angi.

3. *Fidelis autem Deus est, qui confirmabit vos, & custodiet à malo.*

3. Deus enim, qui verax & constans est in suis promissis, noverit vos stabilire & confirmare in fide, ne ab eâ excidatis, & protegere contra omnes insultus satanæ, cui equidem minimè desunt executores ac Ministri impietatis.

4. *Confidimus autem de vobis in Domino, quoniam, quæ præcipimus, & facitis, & facietis.*

4. Id tamen per gratiam Domini nostri JEsu Christi mihi pene de vobis polliceri audeo, ut ei non desitis, præstituros vos omnia, imò jam nunc perficere, quæ olim præcepimus, aut nunc facienda præscribimus.

5. *Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientiâ Christi.*

5. Porrò Dominus corda vestra eô impellat ac dirigat, ut Dei charitatem, quâ mundum sic dilexit, ut pro ejus salute filium suum unigenitum in terras nobis submitteret carne nostrâ induendum probè animô concipiatis, & Christi Domini patientiam, qui semetipsum pro nobis in mortem dedit,

quoad

quoad ejus fieri poteſt, imitemini adverſa quæque invicto animô perferendo, neque exſpectatione ejus adventûs multùm turbemini, ſed ad illum quovis tempore optimè præparati ſitis. 6. Denuntiamus autem vobis, fratres nomine & auctoritate Chriſti Domini, cujus vicarii ſumus, & poteſtate ab eo accepta, ne converſemini cum hujusmodi fratre ſeu Chriſtiano, ſed ab ejus conſortio vos ſubtrahatis, qui receptum in Eccleſiâ ordinem turbat, nec eam vitæ rationem ſequitur, quam non voce tantùm, ſed ipſo etiam exemplo accepit à nobis. 7. Quod adhuc recentiſſimum eſt, vobíſque non ignotum, quomodo omnem dederimus operam, ut nulli moleſti, non inquieti, non otioſi, non alienis laboribus & menſis inhiantes, ſed potiùs vitæ noſtræ actionibûs ad omnem pietatem vos informaremus, ut nihil prorſus à nobis ageretur, quod non ritè ac rectè factum videri poſſet. 8. Neque gratìs ullius impendiô vel onere vitam toleravimus, ſed victum noſtro nobis labore ſudoréque comparavimus, noctu, diúque opificiô manuum noſtris neceſſitatibus conſulen-

6. Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundùm traditionem, quam acceperunt à nobis.

7. Ipſi enim ſcitis, quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos:

8. Neque gratìs panem manducavimus ab aliquo; ſed in labore & in fatigatione nocte & die operantes, ne quem veſtrûm gravaremus.

ſulentes, ne cui veſtrûm graves, aut moleſti eſſemus.

9. *Non quaſi non habuerimus poteſtatem, ſed ut nosmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos.*

9. Non quòd Evangelii præconibus non liceat fidelium ſumptu vitam tolerare, ſed ut veſtræ imbecillitati conſuleremus, & noſmetipſos tanquam probitatis, & ſedulitatis exemplar vobis ad imitandum proponeremus.

10. *Nam & cùm eſſemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet.*

10. Etenim cùm eſſemus apud vos, hoc erat noſtrum peculiare præceptum & dogma, ut ſi quis otiari vellet, nihilque prorſus agere, huc illuc circumcurſitans ac ſpectatorem ſe faciens cenſorémque alienorum operum, is ne cibum quidem ſumat, alimentîs quippe dignus non eſt, qui in otio vitam tranſigit.

11. *Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquietè; nihil operantes, ſed curiosè agentes.*

11. Quod quidem nonnulli inter vos, utì fama refert, inſuper habent, otio deſidiæque dediti, & aliorum rebus curioſè exquirendis magìs intenti, quàm propriis negotiis ritè, & diligenter expediendis.

12. *Iis autem, qui ejusmodi ſunt, denuntiamus, & obſecramus in Domino JEſu Chriſto, ut cum ſilentio operantes, ſuum panem manducent.*

12. Iis, qui ſunt hujuſmodi, non tantùm præcipimus, ſed etiam in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti illos obſecramus, ut mutatâ vivendi ratione quietè, modeſtè, absque ſtrepitu, & rerum ad ſe minimè pertinentium disquiſitione inutili & obtrectatione cenſoriâ operantes ſuo ſibi

ſibi labore atque induſtriâ victum comparent. 13. Vos porrò fratres nolite quæſo ſegneſcere, nec verè indigentibus benefaciendo defatigari. 14. Quòd ſi quis huic meæ epiſtolæ, monitíſque non auſcultat, hunc notate, mihíque denuntiate, ejúsque interea convictum ac conſuetudinem fugite, ut hac maximè ratione pudore ſuffundatur, & pœnitentiâ ductus reſipiſcat. 15. Eum tamen non idcirco quaſi inimicum duriùs aſperiúsque habete, ſed ùt fratrem potiùs amicè & benignè corripite & caſtigate, id unum ſpectantes, ut ad ſanam mentem reducatur. 16. Ipſe autem Dominus pacis auctor vobis cum omnibus pacem largiatur omni locô, omni tempore, vobíſque aſſiſtat in omni negotio. 17. Ego verò Paulus meo chirographô ſalutem adſcribo, quod eſt omnium mearum epiſtolarum familiare indicium in hanc formam: 18. Gratia Domini noſtri JEſu Chriſti cum omnibus vobis, atque ex hoc ſigno poteritis meas diſcernere ab aliis adulterinis ac ſuppoſititiis, quibus earum ſcriptores alia vobis principia ac dictamina noſtris contraria inſtillare pro more ſuo ſatagunt.

ARGU-

13. *Vos autem fratres nolite deficere benefacientes.*


14. *Quòd ſi quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur:*

15. *Et nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ùt fratrem.*

16. *Ipſe autem Dominus pacis det vobis pacem ſempiternam in omni loco: Dominus ſit cum omnibus vobis.*

17. *Salutatio meâ manu Pauli: quod eſt ſignum in omni epiſtolâ: ita ſcribo.*

18. *Gratia Domini noſtri JEſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.*



ARGUMENTUM EPISTOLÆ PRIMÆ D. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM.

Cùm D. Paulus Ephesô discedere constituisset, primum urbi illi celeberrimæ Episcopum dedit ac post se reliquit Timotheum demandatâ ei curâ, ut adversùs Judaizantes, aliósque Evangelicæ doctrinæ corruptores, qui partim exorti jam erant, partim exorituri ab ipso prævidebantur, sedulò vigilaret, & semina prædicationis à se jacta foveret & excoleret. Ex actis Apostolorum habemus discipulum hunc ùtùt juvenem, ob egregias tamen animi dotes longè Apostolo charissimum atque conjunctissimum fuisse quidem ex patre græco & gentili, matre tamen Judæâ & Christianâ susceptum, piéque educatum,

tum, incolis & accolis illius civitatis ob insignem morum probitatem æstimatissimum, quem idcirco Apostolus in laborum socium adlegit. In epist. ad Philipp. asserit, neminem sibi illo chariorem esse, & alibi sæpe in ejus laudes luculenter excurrit: præcipuè verò in hac ipsâ, ubi illum tanquam Christianæ plebis Antistitem atque doctorem, & in eo omnes Ecclesiarum præsules circa officii sui rectè administrandi partes diligenter instituit, qualem se scilicet gerere debeat erga Deum, erga seipsum, erga diaconos, viduas, & reliquam plebem, nec non erga disseminatores errorum.

Cap. 1. admonet muneris sui Episcopalis, ut sollicitè semper invigilet gregi suo, eúmque defendat à Novatoribus quibusdam, qui dogmata Evangelica miscebant novellis doctrinis, fabulosis inventis, & genealogiis in infinitum prope excurrentibus ad primos quasi mortales, ut originem suam longissimâ serie inde deductam tantò illustriorem redderent, quod neque ad publicam ædificationem quidquam conferebat, sed ansam potiùs & materiam continuam præbebat inutilibus disceptationibus. Ne tamen haberetur pro contemptore legis, bonam esse asseverat, & utilem his, qui ritè eâ uti noverint, nempe qui agnitâ suâ imbecillitate observandi accuratè tot ejus præcepta recurrunt ad gratiam Domini nostri JEsu Christi, cujus demum præsidiô eam adimplere valeant, atque ita per legem tanquam pædagogum sensim in notitiam veniunt Christi Domini, qui scopus est omnium figurarum & auctor veræ justitiæ ac sanctitatis. Addit eam pro justis non esse conditam, sed pro injustis, pro peccatoribus non eo sensu, quòd justi nullâ lege indigeant ad dirigendas suas actiones, cùm Propheta regius ps. 118. eam à Domino postulet dicendo : *Legem*

pone mihi Domine. & S. Augustini testimonio lib. 3. cont. 2. epist. Pelag. c. 40. lex decalogi sit justis necessaria. Ad explicandum igitur hunc textum oportet advertere, legem posse accipi vel secundùm omnia officia, vel secundùm ea tantùm, quæ illi conveniunt, ùt à fide & gratiâ Mediatoris distinctæ & abstractæ, nempe prout minas intentat, plectit, & reos facit violatores suorum mandatorum. In posteriori hoc sensu lex non est posita justo, quandoquidem comminatio & punitio eos solummodò concernit, qui eam promeriti sunt perperàm agendo: atque in hoc sensu intelligendus est Apostolus, cùm ad Romanos cap. 6. dicit: *Non estis sub lege, sed sub gratiâ.* cap. 7. *mortificati estis legi per corpus Christi.* ad Gal. 3. *Christus nos redemit de maledicto legis.* Postmodum fatetur, se fuisse persecutorem, infidelem, blasphemum, divinæque benignitati singulares grates agit, quòd nihilominus illum per Christum in Apostolum adsciverit, qui peccatorum tamen primus erat adeóque maximus. Hic rursus, ne in alium scopulum sinistrâ interpretatione impingamus, dum ait, se misericordiam Dei consecutum (*quia ignorans feci in incredulitate*) non in eam partem accipiendus est, quasi innueret suam ignorantiam & zelum præposterum dignum reddidisse miseratione optimi Dei, eámque per modum alicujus meriti excitâsse in suum favorem, sed præcisè, quòd in hoc misero statu materiam & ansàm præbuerit convenientem manifestiùs ostendendæ, & uberiùs exercendæ divinæ clementiæ, ita ut quemadmodum infirmus, qui morbi qualitatem & periculum non animadvertit, sibique videtur bene habere, vel ideò commiseratione magìs dignus est, magísque indiget medicamentorum applicatione, sic

etiam

etiam ipſe in ſuâ cœcâ ignorantiâ & obſtinatâ incredulitate majori ſalutis diſcrimini expoſitus fuerit, ideóque divinæ illuſtrationi ac miſerationi longè magìs obſtrictum ſe profiteatur. Voluit nimirum Deus ter Optimus Maximus illuſtri hoc exemplo omnibus in eum credituris palàm facere, ſpem veniæ nunquam deponendam, ſed maximos quosque peccatores non tantùm, ſi ſeriò reſipiſcant, gratiam ab eo conſecuturos, ſed etiam aſſumendos quandoque ad præcelſam dignitatem Miniſterii Evangelii, multorúmque ſalutem. Poſtremò Timotheo commendat fidem, & conſcientiam bonam, malam enim aſſerit cauſam eſſe naufragii in fide, & hæreſeos.

Cap. 2. precandi ſtudium commendat Timotheo pro omnibus, præcipuè Regibus aliiſque in eminenti dignitate conſtitutis 1. ut Eccleſia ſub eorum regimine pace fruatur. 2. Quia id acceptum eſt Domino. 3. Quia Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & venire ad agnitionem veritatis. 4. Quia omnium unus tantùm eſt mediator. 5. Quia dedit ſanguinem ſuum in redemptionem omnium hominum, tanti autem pretii applicatio, & mediatio, & ipſa ſalus æterna ab orationis ſtudio vel maximè dependet. Poſtmodum præſcribit viris modum orandi, ut nempe id fiat non tantùm in ſynagogis aliisve locis ſingulariter ad publicas preces deputatis, ſed ſi fortè gentiles negotium faceſſerent, ubivis, modò id ſecundò fiat puris, nullóque ſcelere contaminatis manibûs, ac proin & mentibus in Deum elevatis, & ultimò ſine irâ atque vindictæ cupiditate. Jubet pariter orare mulieres, ſed in habitu & ornatu modeſto, docere illis in Eccleſiâ neutiquam permittit, ſed diſcere in ſilentio 1. quia fœmina

nascitur, ut sit, & maneat viro subdita, qualis autem subjectio, si docere, si instruere ausit? 2. Docere actio est primatum quendam significans, in ordine autem primæ creationis præcessit vir fœminam. 3. Quæ intellectum habent infirmiorem ac proin errori magìs obnoxium, eas non convenit sibi arrogare docendi provinciam, tales sunt fœminæ, id quod probat exemplô primæ parentis Evæ, quæ per callidum serpentem utpote Adamo mentis sagacitate minimè par facilè decepta fuit, & in errorem ac peccatum inducta.

Cap. 3. de Episcopis, Diaconis, aliísque Ministris Ecclesiæ initiandis atque instituendis agit, & qualis quisque eligendus sit, graphicè describit, nullâ factâ mentione presbyterorum, quippe quos in personâ episcoporum satis instruit. Timotheum denique admonet, ut secundùm hæc præcepta in Ecclesiâ Dei converfetur.


Cap. 4. Futura schismata & hæreses tanquam divino afflatus spiritu prædicit: rejectis curiosis & inutilibus disquisitionibûs pietatem ante omnia sectandam Timotheo præcipit, & exempla optima præbenda fidelibus, ne quis eum fortè despiciat ob ætatem teneriorem, demum hortatur, ut sibi ac studio sacrarum litterarum sedulò intendat, & gratiam non negligat, quam in suâ ordinatione per impositionem manuum accepit.

Cap. 5. docet Episcopum, quâ ratione omnibus Ecclesiæ statibus providere debeat: tum monet, ne nimis facilem se præbeat ordinandis ac promovendis Ecclesiæ Ministris, quod consilium imò præceptum novissimis hisce temporibus perquàm necessarium est, à cujus observatione

vatione reformatio Ecclesiasticæ disciplinæ magnâ ex parte pendet.

Cap. 6. servos instruit, quid dominis debeant, avaritiam insectatur tanquam malorum omnium radicem, nec non hæresum novitatem, fidem denique quasi depositum servari jubet.





PARAPHRASIS IN EPISTOLÆ I. D. PAULI APOSTOLI

AD

TIMOTHEUM

CAPUT I.

1. *Paulus, Apostolus JEsu Christi secundùm imperium Dei Salvatoris nostri & Christi JEsu spei nostræ:*

2. *Timotheo dilecto filio in fide. Gratia, misericordia, & pax à Deo Patre, & Christo JEsu Domino nostro.*

1. PAulus divinâ delegatione atque imperio Apostolus Salvatoris nostri ac Domini JEsu Christi, qui est unica spes nostra, 2. Timotheo germano & ingenuo in fide filio gratiam, misericordiam & pacem optat à Deo Patre, Christóque JEsu Domino nostro. 3. Cùm in Macedoniam proficiscerer, rogavi te, ut

ut remaneres Ephesi, simúlque quibusdam, qui isthìc sunt, apertè denunciares ne diversam ab eâ, quam nos ubique tradere consuevimus, doctrinam doceant, id quod iterum iterúmque repeto, 4. uti etiam ne animum adjiciant ad fabulosa commenta, & disquisitiones genealogicas, quibûs origines suas altissimè repetunt, & referunt ad ipsos Reges, Prophetas, Patriarchas, ut generis sui ac familiæ antiquissimam nobilitatem palàm ostentent, atque ita inutiles quæstiones in infinitum multiplicant, ac contentionum materiam suggerunt, quàm divinam fidem ac pietatem ullo modo promoveant, atque idcirco, qui hæc curiosè sectantur, non Evangelio modò, sed etiam Legi, quam tamen magnopere prædicant, multis modîs repugnant. 5. Finis enim, quo unicè lex atque præceptorum multitudo tanquam ad ultimam suam perfectionem refertur, atque collimat, est charitas, quæ ex puro corde omni scilicet pravâ cupiditate vacuo, conscientiâ rectâ ideóque fiduciæ plenâ, & fide minimè simulatâ, sed verâ, sincerâ, solidâ ortum ha-

3. Sicut rogavi te, ut remaneres Ephesi, cùm irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam, ne aliter docerent.

4. Neque intenderent fabulis & genealogiis interminatis: quæ quæstiones præstant magis quàm ædificationem Dei, quæ est in fide.

5. Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ.

6. *A quibus quidam aberrantes conversi sunt in vaniloquium.*

7. *Volentes esse legis Doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.*

8. *Scimus autem, quia bona est lex, si quis eâ legitimè utatur:*

habet. 6. A quibus cùm veluti à scopo quidam aberrarint, ad inanem quandam & ampullatam loquacitatem, ad vanam eruditionis ostentationem, ad opiniones heteroclitas, ad futiles & frivolas disputationes deflexerunt, 7. cùm interim legis periti atque magistri haberi velint, nec tamen intelligant, quæ temerè effutiunt, ac ne illa quidem, de quibus tam affirmatè, & prolixè garriunt. Neque verò idcirco eorum studium reprehendo, quòd in lege pervestigandâ versentur. 8. Scimus enim nobísque persuasum habemus bonam esse legem, siquis eâ legitimè utatur, cùm habeat auctorem Deum, & optima præcepta præscribat ad vitam sanctè instituendam. Sed, inquies, quomodo ergò eâ ritè & cum fructu utendum. R. in eâ minimè sistendum, neque reponendam fiduciam, neque eam sat virium præbere ad observantiam integram præceptorum, sed eâ quasi manuducente ad Christum Dominum tendendum esse, in ejus gratiâ spem omnem collocandam, opem ipsius præpotentem contra quoscunque hostiles assultus implorandam,

dam, 9. qui enim ejus ſanguine ac meritis conſecuti ſunt juſtitiam, ejus diſpoſitione non ampliùs arctantur, ſed eam longè tranſcendunt longè præſtantiores actus exercendo ex motivis atque principiis altioribus. Tales non timore ſupplicii abſterrentur à flagitiis, non ſpe temporalis mercedis excitantur ad virtutis ſtudium, ſed amore ac timore Dei, qui & hanc diligit, & quidquid ei repugnat, execratur ac perſequitur, neque etiam comminatione moventur, quæ perinde ac pœna transgreſſores tantùm reſpicit, qui nolunt ullâ ratione ſubeſſe, cultúmque ac obſervantiam, quam Deo debent, perinde reſpuunt, ac obedientiam, quàm hominibus ſibi præpoſitis præſtare tenentur, quales ſunt impii, flagitioſi, nefarii, qui manus ſuas contaminare non verentur parentum & aliorum ſibi propinquitate ſanguinis vel amicitiâ junctorum ſanguine, 10. ſcortatores, mollitiei ac pollutioni dediti, plagiarii, mendaces, perjuri, & quicunque quacunque aliâ ratione leges violant doctrinæ Evangelicæ, 11. cujus ad maximam Dei immortalis gloriam cedentis prædicatio mihi divinitùs commiſſa

9. Sciens hoc, quia lex juſto non eſt poſita, ſed injuſtis, & non ſubditis, impiis, & peccatoribus, ſceleratis, & contaminatis, parricidis, & matricidis, & homicidis,

10. Fornicariis, maſculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, & perjuris, & ſi quid aliud ſanæ doctrinæ adverſatur,

11. Quæ eſt ſecun-

dùm Evangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi.

12. *Gratias ago ei, qui me confortavit, Christo JEsu Domino nostro, quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio:*

13. *Qui priùs blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum: quia ignorans feci in incredulitate,*

missa est. 12. Cui quidem impensissimas gratias ago, quòd me ad tam difficilem provinciam assumpserit, ac præsidiis necessariis abundè instruxerit, ad eam fideliter fortitérque administrandam, 13. qui priùs tot in eum, ejúsque cultores probra & convitia evomueram, tantóque furore eos insectatus fueram. Profectò si Deus, prout, proh dolor, promeritus eram, in me animadvertere voluisset, perieram, & dignus eram, ut ab eo gravissimè offenso desererer penitus, ultimóque supplicio destinarer, veniam tamen & misericordiam ob id maximè consecutus sum, quòd per inscitiam & mentis obstinatæ præcipitantiam tam imprudenter egerim, nesciens me verum Messiam persequi. Misertus est mei Deus optimus tanquam hominis phrenetici gressum suum accelerantis ad se præcipitandum. Quò major ergò fuit mea cœcitas ac miseria, tantò benigniorem se ostendit divina clementia, mihíque mirificâ præpotentis gratiæ suæ præventione salutem attulit, cùm eâ me indigere minimè intelligerem, crederémque eum potiùs impostorem esse pessimum,

mum, quàm Medicum adeò, propitium ac necessarium. 14. Postquam ex profundissimâ caligine, & peccati abysso emersi, torrente insuper gratiarum & cœlestium charismatum me obruit tantâ copiâ & exuberantiâ, quam satis mirari ipse & deprædicare non possum. Incredulitati successit fides, furori, quo Ecclesiam Christi insectatus sum, ardentissima dilectio Dei & proximi, nota videlicet & propria Christianorum tessera. Exemplum hoc, quòd ex lupo me fecerit oviculam, ex persecutore propugnatorem Evangelii & Apostolum, meritò excitare potest aliorum fiduciam, cùm hæc ipsa gratia etiam aliis omnibus pateat. 15. Certa siquidem atque explorata veritas est, modísque omnibus digna, quam ùt solatiô plenissimam avidissimè amplectamur, unicum Christi votum ac studium esse, peccatores, propter quos in mundum venit, si consentire & obsequi voluerint, salvos facere, quorum me facilè principem agnosco, ac libens fateor, cùm antesignanus fuerim persecutorum Christi, auctor & incentor tot malorum, tantâ perversitate & in malum

14. *Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide, & dilectione, quæ est in Christo JEsu.*

15. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quòd Christus JEsus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.*

lum proclivitate, ut si cœlesti gratiâ destituerer, longè sceleratior essem aliis etiam maximis peccatoribus tantâ gratiâ non præventis.

16. *Sed ideo misericordiam consecutus sum: ut in me primo ostenderet Christus JEsus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi, in vitam æternam.*

16. Idcirco tam benignè mei misertus est, ut in me tanquam præcipuo & indignissimo peccatore omnem suam clementiam ostenderet ac longanimitatem, méque in exemplum ac speculum iis proponeret, qui sempiternæ beatæque vitæ cupiditate inflammati ipsi fidem adjungerent, & quodam velut paradigmate significaret, qualem se Deus erga peccatores exhibeat, ut nemo quantumvis gravissimis sceleribûs obstrictus de salute suâ desperet.

17. *Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

17. Quid jam referre vicissim poterimus in memorem pro tanto favore grati animi contestationem? Quid retribuemus bonorum omnium auctori ac largitori Deo, qui nec muneribûs nostris redditur opulentior, neque per suam liberalitatem indigentior? Laudibûs illum pro viribus prosequamur amplissimis, gratulemur ei de tantâ, quam possidet felicitate & gloriâ, cúmque aliâ ratione pro tantis beneficiis ex æquo respondere non valeamus, dicamus omnes non solùm orete-

oretenus, ſed & animitus: Regi ſæculorum æterno, immortali, & inviſibili, qui ſolus eſt verus Deus, honor ſit & gloria in omnem æternitatem. Amen. 18. Ex noſtrâ verò parte demus operam, ut vota iſta exequamur, quantâ poſſumus diligentiâ invigilando animabus fidei curæque noſtræ commiſſis, ut per noſtram inſtitutionem ac directionem hoſtiæ laudis fiant in conſpectu Domini Dei noſtri. Hoc præceptum & hanc, quam paulò ante explicui doctrinam ſive de legis naturâ ac fine, ſive de Chriſti beneficio in peccatores etiam atque etiam tibi commendo fili mi Timothee, ut antegreſſis de te revelationibus, quibûs mihi divinitus ſignificatum eſt, te utilem atque idoneum fore Eccleſiæ Dei Miniſtrum pro virili parte reſpondeas, præbeáſque te tanto munere dignum, & in inchoatâ Chriſti militiâ ſtrenuum ac fortem exhibeas. Dimicandum tibi eſſe noveris aſſiduè cum hoſtibus tam robore, quàm calliditate præditis, vigilandum diu noctúque, ne illis ex improviſo irruentibus ſuccumbas, oſtende ſis ergò veram fuiſſe præ-

18. *Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, ſecundùm præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam.*

19. *Habens fidem, & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt:*

prædictionem, oſtendes autem, 19. ſi indueris armaturam conſtantis & intrepidæ fidei, perfectæque veritatum divinarum notitiæ, ut eas & docere, & contra quoſcunque propugnare, item conſcientiæ nullius ſibi ſceleris conſciæ, quâ ſive rejectâ ſive contemptâ non pauci facto veluti fidei naufragio perierunt,

20. *Ex quibus eſt Hymenæus, & Alexander: quos tradidi ſatanæ, ut diſcant non blaſphemare.*

20. inter quos ſunt Hymenæus & Alexander, quos anathemate percuſſos & Eccleſiæ communione privatos tradidi Satanæ, ut diſcant non ampliùs de rebus divinis impiè loqui, & ſalubri pudore metúque compulſi ad mentem redeant, revocéntque errores paſſim à ſe diſſeminatos.

PARAPHRASIS

CAP. II.

1. *Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus:*

1. PAri ſollicitudine declinandum eſt iſtorum conſortium, utpote periculi plenum, quàm faciendæ ab omnibus deprecationes, obſecrationes, interpellationes, gratia-

gratiarum actiones pro cunctis mortalibus. 2. Et primùm quidem pro regibus cæterísque omnibus supremum dignitatis fastigium tenentibus, tametsi aliam à nobis profiterentur religionem, ut sub eorum pacifico, prudente, justóque regimine tranquillam & quietam vitam agamus non deliciis otióve deditam, sed cum omni pietatis genere, & morum honestate conjunctam. 3. Hoc enim cùm per se bonum atque laudabile est, tum verò Christo Domino liberatori ac Deo nostro gratum inprimis & acceptum. 4. Qui quidem suâpte naturâ pro suâ in omne genus hominum propensâ ac benevolâ voluntate cunctos mortales vult seriò & efficaciter ex parte suâ, non tamen absolutè, sed ex hypothesi, si & ipsi velint & præstanda præstent, salvos fieri, & ad notitiam veri Numinis, veræque religionis pervenire, & hoc ipsum desiderium ac studium omnium salutem pro viribus procurandi in nobis excitat & urget. 5. Quemadmodum enim unus est Deus omnium tam infidelium quàm fidelium creator ac dominus, qui summè bonus omnes homines

2. Pro regibus & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate.

3. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo,

4. Qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

5. Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus JEsus:

homines quasi filios suos tenerrimè amat, ac salvos esse cupit, ita unum quoque nobis mediatorem primarium ac principalem dedit Christum JEsum filium suum, qui inter ipsum & homines, inter creditorem & debitores, offensum & offendentes cum auctoritate sese medium interposuit, 6. & semetipsum nimirum vitam sanguinémque suum pro redimendo universo humano genere in pretium ac lytrum Deo Patri obtulit ac persolvit eo fine, ut scilicet hæc ipsa mors & redemptio futuris temporibûs testimonium esset tum divini amoris erga omnes homines in hac vitâ, pro quorum salute sanguinem suum pretiosissimum dedit, cum justitiæ divinæ in futuro judicio, tunc enim Christi passio & redemptio testabitur ex parte Dei nihil defuisse, quò minùs omnes quantumvis impii salvarentur, sed ex parte eorum obstitisse, eò quòd noluerunt Christo obsequi, sanguinémque pro se effusum liberè cooperando & applicando amplecti, & in propriam salutem convertere.

6. Qui dedit redempti nem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis:

7. Ad quod testimonium sive beneficium redemptionis tote orbe promul.

7. In quo positus sum egop rædicator & Aposto-

mulgandum veluti præco atque apostolus deputatus sum, verè enim & absque ullo fuco affirmare possum, doctorem me fuisse non Judæorum modò, sed & Gentium constitutum, & fidei ac veritatis magistrum. 8. Sed ut redeam, unde digressus sum, preces à viris peragi velim in quovis loco opportuno, decenti ac tuto, purásque ab omni flagitio manus in cœlum attolli absque injuriarum memoriâ, mentis exulceratione, & vindictæ cupiditate. 9. Si mulieres ad Ecclesias orationis causâ venire contingat, idipsum religiosè observent, ac præterea amictu non sordido, aut lascivo, sed gravi, honesto ac moderato compareant, qui matronam Christianam deceat, non cincinnis & calamistrato capillo, non auro, non margaritis vestéque nimis pretiosâ splendidæ, sed singulari modestiâ ac verecundiâ præditæ, 10. prout illis convenit, quæ pietatem colunt, eámque non linguâ tantùm & ad speciem, sed moribûs ipsis ad omnem honestatem compositis, operibúsque Deo gratis, proximo utilibus profitentur. 11. Porrò me quidem auctore atque magistro necesse est mulierem cum silentio, quæ

lus, (veritatem dico, non mentior) doctor Gentium in fide & veritate.

8. *Volo ergò viros orare in omni loco, levantes puras manus sine irâ & disceptatione.*

9. *Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundiâ, & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosâ:*

10. *Sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona,*

11. *Mulier in silentio discat cum omni subjectione.*

ſunt ad rectè & chriſtianè vivendum neceſſaria, perdiſcere, & viro omni ex parte ſubeſſe.

12. *Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum: ſed eſſe in ſilentio.*

12. Neque enim fas eſſe duco, aut ullâ ratione patior, fœminam docendi munere publicè perfungi, aut auctoritatem deſpoticam in virum exercere, tametſi is privatâ admonitione me non invito leniter inſtrui vel corrigi poſſet, cùm eam ſilere potiùs oporteat, ſéque viro obſequentem ac ſubjectam præbere. Hæc non in eum finem dicta velim, ut ſupra meritum ac modum absque ratione dignitatem ſexûs virilis extollam. Scriptura ſacra quæ ab omni erroris periculo & acceptione perſonarum aliena eſt, mihi ſuffragatur perſpicuè.

13. *Adam enim primus formatus eſt, deinde Eva:*

13. Nam ſi ad prima naturæ primordia animum referas, hunc viri in fœminam principatum non obſcurè percipies, etenim prior Adamus efformatus eſt tanquam princeps humani generis, tum ex illo jam condito Eva tanquam ex trunco ſurculus prodiit, neque vir propter mulierem, ſed mulier propter virum creata eſt, meritò ergò vir dignitate, auctoritate ac poteſtate præferendus mulieri in ordine creationis poſteriori.

14. *Et Adam non eſt*

14. Præterea Adamus nequaquam ſe-

ſeductus dicitur à ſerpente, quippe qui eum alloqui & ſollicitare ad transgreſſionem præcepti non eſt auſus, cùm probè ſciret eum majori ſagacitate præditum, ac proin deceptioni minùs obnoxium eſſe, quàm mulierem, ideóque callidè partem tentavit judiciô infirmiorem, eámque, uti ipſamet ſe excuſavit, reipsâ decepit, exiſtimabat enim, re non ſatis excuſsâ, ſerpentem vera dicere, neque fuiſſe propriè ac tanto rigore vetitum fructum ipſum, utpote in ſpeciem bonum, aſpectu pulchrum, & perutilem ad majorem ſapientiam ſibi comparandam, ſed credebat myſterium aliquod latere in hoc præcepto, neque fortè ſe aut virum ſuum ſatis aſſecutos mentem verborum Dei, atque ita ſeducta comedit, & virum, ut & ipſe comederet, blandiendo induxit, non ſeduxit fallendo, qui tandem inordinato conjugis amore, ne delicias ſcilicet ſuas recuſando contriſtaret, moré geſſit roganti & blandienti, ex quo manifeſtè conſequitur, mulierem eſſe inferiorem prudentiâ, ut quæ ſe paſſa ſit ſeduci, neque hoc contenta etiam virum & omnes poſteros in ruinam pertraxerit; cùm itaque ſemel

ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit.

mel docuerit sed tam malè, ut prima fuerit origo & occasio tam fatalis trangressionis, ergò imposterum non doceat, sed sileat, & à viro benè & loqui & agere discat ejus imperio ac gubernationi subjecta. 15. Verumtamen tametsi mulier non permittatur docere publicè, non deerit tamen occasio impendendi dotes, quas habet, in procurandâ promovendáque salute tum suâ, tum alienâ, partim per privatas instructiones, partim per liberorum genitorum rectam in pietate ac probis moribus institutionem, si non permiserit se exemplô primæ Evæ per satanam decipi,& à recto virtutis tramite deduci, si fidem, si charitatem, si sanctitatem si modestiam studiosè constantérque coluerit, curaverítque quantùm in se est, debitâ cum discretione ac moderatione suo sexui congruâ, ut & liberi in susceptâ fide Christi, in dilectione Dei & proximi, in pietatis studio & pravarum cupiditatum refrœnatione persèverent, sic enim mercedem consequetur amplissimam vitam scilicet immortalem omnibus illis promissam, qui secundùm statum ac conditionem suam vita-

15. *Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide & dilectione & sanctificatione cum obsrietate.*

vitam duxerint Christianæ fidei ac disciplinæ consentaneam.

PARAPHRASIS

CAP. III.

1. Cuilibet incumbit, ut probè noverit, quæ sibi in suo statu, in quo à divinâ providentiâ collocatus est, præscripta & observanda sint; quandoquidem autem præsulum status sanctitate ac dignitate alios omnes longè præcellit, accuratiùs de illo mihi agendum video, ac proin majorem à vobis attentionem postulo, cùm doctrina, quam hac de re modò proponere constitui, longè certissima sit maximíque momenti.

1. Fidelis sermo: si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.

Quicunque zelô potiùs divinæ gloriæ, & salutis animarum accensus, quàm studiô aliis imperandi, & venerationem sibi ab iis procurandi Episcopi munus appetit, siquidem id faciat prædictâ intentione, quæ sola desiderium illud utcunque licitum reddere valet, opus præclarum planè

neque eximium optat, sed ponderis simul onerisque gravissimi, quódque tot tamque eximias dotes requirit, ut non nisi rárissimè omnes in unam personam conveniant. 2. Inprimis enim tanta in eo morum integritas requiritur, ut ne quidem ullius criminis umbra, vel prudens suspicio in eum cadere debeat: ut adeò instar angeli nulli perturbationi vitióve sit obnoxius, quin tantâ virtutis gloriâ excellat, ut solis instar cæteros tanquam stellas fulgore suo obscuret. Si dum eligitur, jam matrimonii vinculo illigatus sit, vel uxorem jam amiserit, unicam tantùm habuisse oportet, non viduam, aut successivè duas, quacum etiam post susceptos sacros ordines tanquam cum uxore sibi cohabitandum & ab omni conjugii usu deinceps abstinendum noverit, Christum enim Dominum repræsentare debet, tanquam pastorem, cujus vices agit, & sponsum unius tantùm sponsæ, nempe Ecclesiæ suæ. Uxorum pluralitas sive successiva sive simultanea manifestum indicium est incontinentiæ, quæ perfectæ puritati è diametro opponitur, cùm tamen ista vel maximé refulgere debeat in eo, qui ali-

2. *Oportet ergò Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem doctorem.*

os

os ad eam excitare debet tam exemplô, quàm verbô. Ad istam verò plurimùm conducit sobrietas, ne cibi potúsque intemperantia mentem ejus hebetet, atque prægravet, illúmque minùs idoneum reddat ad invigilandum pro ratione muneris oviculis suis. Hæc porrò sobrietas ac moderatio non tantùm in victu servanda est, sed etiam in vestitu, in famulitio, in supellectile, & quacunque aliâ re ad œconomiam & decorum extrinsecum pertinente. Prudentiæ ac modestiæ virtus ita omnes rationi obluctantes cupiditates coërceat, ut nulla in verbis, in gestibus, in vultu levitas appareat, sed gravitas potiùs & decentissima quædam morum compositio ubique eluceat, quæ decorum servet in incessu, convenienti habitu, sermone, & omni motu. His accedat verecundiæ ac pudicitiæ gratia sanctitatem quandam præferens. Hospitalitatem præterea amet, atque exhibeat peregrinis & advenis, majori eos charitate quàm superfluo luxu excipiens, & salutaribus potiùs monitis, quàm exquisito ciborum delectu pascens. Doctrinâ Christianâ probè instructus sit, ut eam aliis luculen-

ter

ter communicare possit, quorum utilitatem ac fructum potiùs pro fine sibi propositum habeat, quàm vanam gloriam, vel emolumentum aliquod exinde à se percipiendum.

3. *Non vinolentum, non percussorem, sed modestum; non litigiosum, non cupidum, sed*

3. Largiori vini potui nequaquam deditus sit, neque ad contumelias, convitia, aut etiam ad verbera infligenda pronus, propter affinitatem & connexionem violentiæ cum vinolentiâ, manus enim Ecclesiastici præsulis non facilè moveri debet nisi ad benedictionem aliis impertiendam, vel beneficentiam exhibendam. Sed modestus sit, comis, & mansuetus, qui non rigidè jus suum exigat, sed quantum res patitur, aliorum se moribus & affectibus accommodare noverit. A jurgiis & contentionibus alienus sit, uti & ab avaritiæ sordibus, liberalis potiùs & munificus in pauperes.

4. *Suæ domui benè præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate.*

4. Domui suæ benè & cum laude prudentiæ ac moderationis præsit, liberósque in officio contineat, ut eorum oratio, vita, morésque modestiam, gravitatem, temperantiam, omnémque virtutem redoleant, atque ita à domesticâ Episcopi disciplinâ recta ad informandam Ecclesiam petantur exempla.

5. *Si quis autem do-*

5. Nam siquis familiæ suæ præ-

præesse nescit, nec inter privatos parietes disciplinam retinet, quâ quæso ratione Ecclesiasticæ gubernationi, quæ multò est tum difficilior, tum laboriosior, par esse poterit? 6. Neque etiam neophytum Ecclesiæ præficiendum censuerim, neque enim is satis Christianæ religionis præceptis atque institutis imbutus erit, neque sufficientia constantiæ suæ specimina dederit, neque condignâ auctoritate in populum prævalebit, ut taceam, quòd ea res invidiæ & obtrectationi sit obnoxia, si prætermissis veteranis assumatur novitius, maximúmque sit periculum, ne talis ex oviculâ subitò pastor, ex discipulo magister persuasus Ecclesiam suâ operâ indigere, atque inde sibi complacens, nimióque fastu turgidus in eandem damnationis sententiam cum Lucifero incidat, pereátque. 7. Satis etiam non est, si ejus vivendi ratio utcunque probetur Christianis, exterorum quoque seu Gentilium honorifico testimoniô suffragio commendabilis esse debet, ut nemo anteactæ vitæ sordes ipsi exprobrare valeat, eúmque idcirco contemptui habere, unde omni auctoritate excideret

mui sua praesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?

6. *Non neophytum: ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.*

7. *Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat & in laqueum diaboli.*

ret, & facilè in infamiam, aliorum odium, vel ipſam deſperationem incideret, cujusmodi laqueîs jam plures cepit, ac in exitium præcipitavit humani generis hoſtis. Hactenus de dotibus neceſſariis Epiſcopi egimus, tranſeamus nunc ad ejus miniſtros diaconos.

8. Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes:

8. Iſtos pariter oportet eſſe honeſtis moribûs præditos, graves, compoſitos, non in ſermone duplices, ac inconſtantes, ſed ſinceros, candidos, nec vino ſupra modum deditos, neque præter ſtatûs ſui decentiam turpiter ac ſordidè lucro inhiantes.

9. Habentes myſterium fidei in conſcientiâ pura.

9. Sed contrà potiùs ejusmodi, qui exactam myſteriorum fidei notitiam cum vitæ probitate conjunctam habeant.

10. Et hi autem probentur primùm: & ſic miniſtrent nullum crimen habentes.

10. Experimento non uno diligenter explorati, & non niſi multorum teſtimoniô probati, ut planè innoxii, nullíque culpæ affines deprehendantur.

11. Mulieres ſimiliter pudicas, non detrahentes, ſobrias, fideles in omnibus.

11. Eadem ratione diaconiſſas ſeu uxores diaconorum templi miniſteriis addictas honeſtate ac gravitate morum conſpicuas eſſe convenit, non garrulas, & calumniis deditas, non vinoſas, non furaces ſed fideles in diſpenſatione rei domeſticæ & omni negotio ſibi commiſſo.

12. Diaconi ſint

12. Jam verò diaconi unius tantùm

con-

conjugii conscii sint, qui liberis rectè præsint, & familiam suam ad omnem pietatem instituant. 13. Nam qui ritè suo munere functus fuerit, ad altiorem magísque honorificum gradum non tantùm promovebitur, sed etiam magnâ cum confidentiâ ac libertate ea docebit & exequetur, quæ fides Christi exigit; ejusmodi fiduciam gignit vita inculpata, ménsque sibi conscia recti. 14. Hæc ad te paucis scribenda duxi, quia propediem me isthuc ad te venturum confido. 15. Quòd si tardiùs venero, hæc breviter indicare volui, ne ignorares, quam vivendi rationem in domo Dei gubernandâ, & idoneis ministrîs instruendâ tenere debeas, domum autem cùm dico, Ecclesiam Dei vivi intelligo, columnam & fulcimentum veritatis, sicut enim columna supposita sustentat, firmat, & fulcit ædificium, ne corruat, ita Ecclesia veritatem, hoc est, doctrinam fidei Christianæ sibi concreditam sustentat & conservat, ne corrumpatur, aut pereat. 16. Illa docet, explicat, nobísque communicat magnum illud divinæ erga homines benevolentiæ mysterium atque argumentum, quod nos cunctis Gentibus

unius uxoris viri: qui filiis suis benè præsint, & suis domibus.

13. *Qui enim benè ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo JEsu.*

14. *Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire citò.*

15. *Si autem tardavero, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.*

16. *Et manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, ap-*

paruit angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloriâ.

tibus proponimus, Deum ſcilicet immortalem corporeæ molis aſſumptione & objectu cunctis mortalibus conſpicuum factum, diviníſque teſtimoniîs confirmatum ac declaratum, ut agnum ſine maculâ ad tollenda mundi peccata oblatum, ùt verum quoque Meſſiam ac fontem omnis gratiæ ac ſanctitatis, in nativitate, in baptiſmo ſuſcepto, per tot ſtupenda ſigna ac prodigia in hunc finem paſſim edita ad declarandam ejus divinitatem, ipſis Angelis admiratione defixis ad omnium gentium etiam barbarorum perveniſſe notitiam, quas idolorum cultus profundiſſimâ caligine involverat, & ubique pronas aliquorum mentes, auréſque inveniſſe, qui eum à morte ignominioſiſſimâ redivivum & ſedentem modò ad dexteram Dei Patris omnipotentis, ingentíque gloriâ circumfuſum religioſiſſimè depoſitâ omni ſuperſtitione adorarent, ejúſque Eccleſiæ ſeſe obedientiſſimè ſubjicerent, ſpe pleni, in partem quoque ac conſortium ſempiternæ felicitatis ſe aliquando venturos, quo enim præceſſit gloria Capitis, eò ſpes vocatur & corporis.

PA-

PARAPHRASIS

CAP. IV.

1. TAlis, inquam, eſt ſublimis illa, præcellens atque veneratione digniſſima veritas, quam Eccleſia per modum pretioſi depoſiti diligenter cuſtodit, in quâ ſolidiſſimè fundatam habet totam propemodum religionis ſubſtantiam, & promiſſionum ſpem collocatam. Quidquid in eam machinetur & attentet antiquus ille humani generis hoſtis, quamcunque tempeſtatem excitet, ſubruere illam neutiquam valet. Interea tamen excubandum ſtrenuè in omnem partem, curáque omnis ac induſtria Miniſtris Evangelii eò dirigenda, ut ſemper parati & inſtructi ſint ad errores, qui graſſari paulatim incipiunt, clarè, ſolidéque refellendos, ne ſimpliciores inducantur in fraudem, & fatale toxicum imprudenter hauriant, dum exiſtimant ſibi propinari ſalubria pharmaca. Spiritus ſanè divinus fallere ne-

1. Spiritus autem manifeſtè dicit, quia innoviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum,

nescius, & futura, antequam sint, certâ notione præcipiens apertè nobis denuntiat, fore, ut sequentibus ac pene postremis mundi temporibûs non pauci à fide desciscant, & nefariis impostorum doctrinis dæmonum operâ ac suggestione disseminatis aures nimis credulas præbe-

2. *In hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam,*

ant, 2. qui licèt, ut meliùs fallant, sanctitatem mentiantur ac præseferant, conscientiam tamen gerunt impurissimæ vitæ maculis indelebiliter notatam, & veluti candenti ferrô inustam.

3. *Prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis, qui cognoverunt veritatem.*

3. Quorum impudentia eò provehitur, ut matrimonia damnent, eorúmque ciborum usum reprehendant, quos tamen Deus idcirco creavit, ut utilitati eorum serviant, qui divinam veritatem sibi annuntiatam acceptarunt, Deóque bonorum omnium auctori quantas maximas possunt gratias agunt.

4. *Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur:*

4. Quidquid enim à Deo conditum est, id profectò omnino bonum & magnopere probandum videtur, nec prorsus quidquam rejiciendum, si cum gratiarum actione percipiatur.

5. *Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.*

5. Esto etiam non quidem creatione, sed aliquo eventu quidpiam sit inquinatum, quale putatur esse, quod fuerit idolis immolatum, id profe-

ctò

ctò sacrâ ante mensam adhibitâ precatione ac benedictione sanctum redditur. 6. Porrò si hæc fratribus proposueris, fidelem te utique ac strenuum JEsu Christi servum exhibebis, pascens eos solidâ veræ fidei doctrinâ, eámque diu noctúque assiduâ meditatione recolens, ut eam postmodum probè digestam aliis tuæ curæ commissis dispertiaris. 7. Cæterùm profanas, frivolas & aniles fabulas rejice, quin potiùs te in omni pietatis genere quàm diligentissimè, quámque accuratissimè exerce. 8. Nam corporis quidem exercitatio per luctam, cursum &c. aliquid quidem utilitatis habet ad sanitatem corporis conservandam, ad aliquod bravium seu præmium temporale obtinendum, pietas autem ad omnia perutilis est, neque hujus vitæ finibus inclusa futurorum bonorum amplissimam certissimámque pollicitationem complectitur. 9. Indubitata est hæc veritas, dignáque omnino, quam magnâ cum approbatione lætitiáque complectamur. 10. Quis enim nos in laboribus, ærumnis, & miseræ vitæ angustiis consolatur? quis facit, ut ludibria insuper habeamus, ut hilari animô opprobria & calumnias perferamus, ut adversa quæ

6. Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi JEsu, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam assecutus es.

7. Ineptas autem, & aniles fabulas devita, exerce autem te ipsum ad pietatem.

8. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.

9. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus.

10. In hoc enim laboramus, & maledicimur, quia speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium.

quæque ac dura in silentio & absque ullâ querimoniâ tolleremus? nisi quòd omnes spes nostras in Deo vivo sitas, & collocatas habemus, qui est conservator omnium hominum generali providentiâ, speciali verò & præcipuè fidelium, eos, dum premuntur, corroborans, faciénsque, ut res prosperæ ac sinistræ, confusio, & gloria, indigentia & opulentia, cuncta denique ad eorum salutem plurimùm conferant, gradúsque sint ad thronum in regno cœlorum eis præparatum. 11. Atque hæc omnia pro ratione muneris tui eis palam denuntia ac præcipe. 12. Ne quis verò juventutem tuam despiciat, da operam, ut in sermone, convictu, charitate, in spiritu, in fide, & puritate cæteris omnibus exemplô præluceas. 13. Interim verò, dum meus ad te adventus differtur, sacræ lectioni diligenter incumbe non curiositatis, aut propriæ delectationis gratiâ, sed ut oviculas tibi commissas pabulô cælestis doctrinæ pascere, & ad omnem pietatem excitare valeas. 14. ingratus esses, quàm qui maximè, si gratiam, quam pridem assecutus es revelante & jubente Deo per manuum sacerdotalium impositionem

11. *Præcipe hæc, & doce.*

12. *Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, & castitate.*

13. *Dum venio, attende lectioni, exhortationi & doctrinæ.*

14. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.*

positionem ad tuam aliorúmque sanctificationem, negligeres. 15. Hæc assiduâ tibi meditatione versanda sunt, in his omnis tua debet desudare industria, ut quantùm quotidie profeceris, facilè ab omnibus cognoscatur. 16. Tui sanè primùm, deinde etiam doctrinæ aliis tradendæ & benè imprimendæ curam habeto, in his sedulò persiste, hac enim ratione & tuæ ipsius, & eorum, qui te audierint, saluti optimè consulueris.

15. *Hæc meditare, in his esto: ut profectus tuus manifestus sit omnibus.*

16. *Attende tibi & doctrinæ: insta in illis, hoc enim faciens & teipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt.*

PARAPHRASIS

CAP. V.

1. Vitiis invalescentibus haud dubiè parcendum minimè, sed ubicunque locorum sese produnt, persequenda sunt fortiter, prudentiâ tamen hîc opus & discreta moderatione. Seniorem, si quid reprehensione dignum commiserit, citra necessitatem noli acerbiùs & duriùs objurgare, sed modestè suavitérque hortare, ùt patrem, juniores

1. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra, ùt patrem: juvenes ùt fratres:*

res verò quasi fratres commonefacito.

2. *Anus, ùt matres: juvenculas ùt sorores in omni castitate:*

2. Mulieres autem natu grandiores observa ùt matres, adolescentiores quasi sorores per omnia castè, quia earum allocutio illecebrosa est, & facilè sinistram parit suspicionem. Quare si res postulat, ut cum eis loquendum sit, id brevissimè fiat, & cum eâ animi, & oculorum custodiâ, vultûs, & sermonis gravitate, loci & temporis cautelâ, ut non solùm intùs servetur corporis munditia, sed etiam exteriùs ab omni specie mali caveatur.

3. *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt.*

3. Viduas, quæ verè omni humano subsidiô ac solatio etiam filiorum, aut nepotum destituuntur, unique Deo intentæ ac dicatæ sunt, quo decet, honore & auxilio prosequere, & si tuâ ope indigent, ex communi Ecclesiæ proventu adjuva, ùt potes.

4. *Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet, discat primùm domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo.*

4. Quòd si vidua filios aut nepotes habeat, à quibus ali possit, discat primùm te magistro ita cum illis agere, ut grata charáque sit omnibus, eósque vicissim pietate sic imbuat, ut mereatur ab eis accipere omnia necessària, discat & progenitoribus suis, si superstites sint, parem gratiam reddere eis inserviendo, opitulando, alendo,

alendo, quemadmodum in tenellâ ætate ab illis alita atque adjuta fuit: sin parentes sint mortui, reddat illis vicem in filiis & nepotibus, ut & isti ejus exemplô discant, quibus officiis familia ritè administretur, parentique suæ aut aviæ parem benevolentiam præstent, id enim non humana tantùm ratio postulat, tanquam honestum aut laudabile, sed est Deo vel maximè gratum. 5. Porrò quæ verè vidua est, & humanis destituta præsidiis, spes suas omnes in uno Deo fixas ac locatas habeat, atque adeò dies noctésque precibûs & supplicationibus illum sibi quàm diligentissimè conciliare studeat. 6. Contra verò quæ deliciis ac voluptatibus indulget, quæque nimio luxu diffluens vitæ suavitate perfruitur, ea sanè quamvis spiret, atque hanc auram vitalem ducat, re tamen verâ nihil præter monstrum & spirans cadaver censeri debet vivens corpore, mortua spiritu utpote gratiâ Dei privata. 7. Inter cætera igitur præcepta non postremum locum hoc habeat, quo illis denunties, ut eam vivendi rationem ineant, quæ nulli probro, aut justæ reprehensioni pateat. 8. Quòd

5. Quæ autem verè vidua est, & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus, & orationibus nocte ac die.

6. Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est.

7. Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint.

8. Si quis autem suorum, & maximè dome-

sticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.

Quòd si qua sit, quæ suis ac præcipuè domesticis ac familiaribus non eâ, quâ decet sollicitudine ac providentiâ prospiciat, ea profectò fidem non quidem verbô, sed opere abnegâsse videtur eíque derogâsse, dum factô suo inhumano Gentes à fide suscipiendâ avertit, imò quovis infideli deterior atque detestabilior est ex hac parte, cùm Gentes naturali instinctu ac pietate curam suorum gerant.

9. *Vidua eligatur non minùs sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor,*

9. Vidua sanè non minor annis sexaginta in sacrum viduarum collegium vel ad præfecturam adlegatur, illúdque caveatur inprimis, ne primo conjugiô soluta secundis fuerit nuptiis illigata.

10. *In operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitiô recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.*

10. Utque in studiosis honestísque actionibus cum laude atque idoneâ approbatione versata sit, quippe quæ liberos honestè educârit, peregrinos atque advenas hospitiô exceperit, sanctorum pedes abluerit, afflictos erexerit, omnia denique pietatis officia studiosè complexa & assiduè sectata sit.

11. *Adolescentiores autem viduas devita. Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt.*

11. Juniores porrò viduas ne in viduarum collegium admittito, sic enim ferè usuvenire solet, ut postquam tanquam vitulæ bene saginatæ ex Ecclesiæ proventibus recalcitrare & lascivire cœperint,

perint, Christi jugum & professionem continentiæ excutiant, ruptísque votis, quibus quasi vinculis coërcebantur, in maximam Christi injuriam rursus nubere velint. 12. Ex eo potissimùm non accusandæ modò, sed justè prorsus damnandæ, quòd primam fidem, quâ se Deo obstrinxerant, impiè, nefariéque violarint. 13. Quòd si eò malitiæ nondum devenerint, saltem otiô desidiáque languentes alienas solent domos obire non absque scandalo & periculo impudicitiæ, curiosiùs hinc inde vagari, & explorare, quæ ad ipsas non pertinent, garrire perpetuò, & effutire, quæ minimè oportet, sive, quia secreta, quæ audierint, produnt, sive quia detrahunt famæ aliorum, sive verba non nunquam proferunt parùm honesta & pudica. 14. Si me igitur audies, volo juniores illas, quibus periculum est luxuriæ ac damnationis, connubio jungi, liberos procreare, domum administrare, ita denique se gerere, ut nullam adversariis malè loquendi materiam vel occasionem præbeant de religione & instituto Christianorum. 15. Jam enim, quod magnopere

12. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*

13. *Simul autem & otiosæ discunt circuire domos: non solùm otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes, quæ non oportet.*

14. *Volo ergò juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratiâ.*

15. *Jam enim quædam conversæ sunt retrò satanam.*

nopere dolendum eſt, nonnullæ à recto tramite deflexerunt, atque improbis ſatanæ conſiliis obſecutæ ſunt prolapſæ in ſordes luxuriæ, atque vel ideo indignæ publicis eleemoſynis.

16. *Si quis fidelis habet viduas, ſubminiſtret illis: & non gravetur Eccleſia: ut iis, quæ verè viduæ ſunt, ſufficiat.*

16. Ne igitur Eccleſia nimis oneretur ſuſtentatione quarumcunque viduarum, ſi quis fidelis aut ſiqua fidelis mulier aliquas habet viris orbatas ſibi ſanguinis propinquitate conjunctas, eis quæſo neceſſaria ad victum ſuppeditet, nec patiatur Eccleſiam ſupra vires gravari, ut iis, quæ verè viduæ, omníque ope deſtitutæ ſunt, opitulari queat.

17. *Qui benè præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè, qui laborant in verbo & doctrinâ.*

17. Jam verò ſi fœminarum, quæ modicum Eccleſiæ obſequium præſtant, tanta habetur cura, qui benè præſunt presbyteri, quíque aliorum inſtitutioni ac piæ educationi ſuam operam ſtrenuè gnavitérque impendunt, non ſimplici modò honore atque obſervantiâ digni erunt, ſed etiam liberalitate atque beneficentiâ ſingulari.

18. *Dicit enim Scriptura: non alligabis os bovi trituranti. Et dignus eſt operarius mercede ſuâ.*

18. Siquidem in ſacris litteris ſcriptum eſt: non alligabis os bovi trituranti, cujus nempe typum gerunt prædicatores verbi Dei: & rurſus alibi: dignus eſt operarius mercede ſuâ.

19. *Adverſùs presbyterum accuſationem no-*

19. Præterea adverſùs presbyterum accuſationem ne

ne facilè admiseris, nisi crimen duobus vel tribus testibûs probetur, cujus privilegii ratio reddi potest tam ex parte presbyterorum, quàm subditorum, nam illorum magna dignitas est, ac totius Cleri interest, ne facilè eorum existimatio lædatur, isti verò plerúmque erga pastores suos iniquiores, & lapsus eorum justò graviùs solent exaggerare, præsertim si eorum severitate, aut correptionibûs exasperati sint. 20. Reliquos, qui publicè deliquerint, palàm coram omnibus argue, ut & cæteri inde timorem concipiant, & à flagitiis cohibeantur. 21. Te verò in conspectu Dei ac Domini nostri JEsu Christi, supremi Judicis, & electorum Angelorum, qui actionum nostrarum assidui spectatores sunt & ad judicium cum eo venturi, etiam atque etiam obtestor, ut hæc omnia serves, caveásque inprimis, ne præoccupatâ sententiâ temerè quidquam definias; neque propensione animi aut personarum respectu in alteram partem declines. 22. Nemini verò citò manum imposueris sacros Ordines conferendo, ne exinde alienorum delictorum ex inconsultâ & teme-

li recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.

20. *Peccantes coram omnibus argue: ut & cæteri timorem habeant.*

21. *Testor coram Deo, & Christo JEsu, & electis angelis, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.*

22. *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Teipsum castum custodi.*

temerariâ ordinatione pullulantium ullo modô particeps fias. Teipsum integrum semper atque purum servato.

23. *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vinô utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.*

23. Quia verò me non latet vinô liberaliùs hausto suscitari luxuriam, illo permodicè utere, ut imbecillitati stomachi consulas, cui frigidæ puræ potus non parum nocet.

24. *Quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium: quosdam autem & subsequuntur.*

24. Non possum non sæpius tibi inculcare, quanti referat idoneas ad ministerium Evangelii selegisse, & ordinâsse personas. Sic ergò habeto, quorundam hominum flagitia omnibúsque perspecta esse, ut non indigeant multâ indagine & examine, aliorum autem, qui callidè fortè occultant vitia sua, vivendi rationem non statim damnandam, nisi factâ diligenti inquisitione, ne ipsis injuria fiat.

25. *Similiter & facta bona manifesta sunt: & quæ aliter se habent, abscondi non possunt.*

25. Simili ratione laudabiles quorundam actiones sese ultrò ita produnt, ut judicium examinis præveniant, de quibus proinde assumendis consultatione non sit opus, quæ verò secus habent, latere diu non possunt, si ritè discutiantur, quocirca in his sive ad Ordines admittendis, sive rejiciendis etiam atque etiam vide, ne quid per imprudentiam aut negligentiam pecces, atque ita alienæ fias particeps

malitiæ, si quos vel noveris improbos, vel meritò suspectos habeas, sacris initiare non verearis.

PARAPHRASIS

CAP. VI.

1. HActenus quæ dominos ac præpositos concernunt, nunc à capite quodammodo ad pedes descendo, & subditorum officia explicare aggredior. Quicunque servitutis jugô premuntur, sic in animo suo statuant, dominos suos ùtùt superstitionis tenebris etiamnum involutos vel moribûs improbos, omni tamen honore colendos, modò eorum imperia exequenda legi divinæ non repugnent, ne aliàs Dei nomen Christianæque religionis malè audiat, & odio habeatur, quasi quæ dissolvat ordinem politiæ justitiæque humanæ, indulgendo servis, ut dominos suos debito honore obsequióque fraudent.

2. Quòd si qui Christiani servi in ejusdem professionis dominos inciderint,

1. Quicunqe sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur.

2. Qui autem fideles habent dominos, non con-

temnant, quia fratres ſunt: ſed magis ſerviant, quia fideles ſunt & dilecti, qui beneficii participes ſunt. Hæc doce, & exhortare.

3. *Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri JEſu Chriſti, & ei, quæ ſecundùm pietatem eſt, doctrinæ:*

4. *Superbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones & pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ,*

5. *Conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate pri-*

derint, perperàm ſanè agunt, ſéque indignos felici hac ſorte & ſuaviori jugô oſtendunt, ſi illos minùs revereantur, ac prope deſpiciant, quòd Chriſtianæ fidei beneficiô pro fratribus agnoſcantur, & mitiùs habeantur, ſed potiùs hoc ipſo tanquam fidelibus Deóque dilectis omnia obſequia quàm diligentiſſimè præſtent, memores, ejuſdem illos beneficii ac gratiæ participes eſſe, quam ipſi divinitùs conſecuti ſunt. Hæc quæſo ſtudioſè tuis exhortationibûs cunctis obſervanda propone. 3. Quòd ſi quis diverſam tradit vel ſectatur doctrinam, neque obtemperat JEſu Chriſti Domini noſtri præceptis, eíque doctrinæ, quæ pietati eſt inprimis conſentanea, 4. is profectò nimio animi tumore inflatus, veræque ſcientiæ planè expers planè delirat atque inſanit, dum futiles quæſtiones, ac frivolas altercationes, pugnáſque verborum movet, ex quibus ortum habent peſſimorum vitiorum genimina, acerbæ invidiæ vanæ contentiones, imprudentes calumniæ, & temerariæ ſuſpiciones. 5. Supervacaneæ item diſputationes hominum mentis emotæ, quibus lux veritatis aut non affulſit, aut ſubducta

ducta est, qui vanam religionis ac pietatis speciem pravis suis cupiditatibus studiísque obtendunt, & negotiatorum more ad sordidum quæstum ac lucrum omnia referunt. 6. Est sanè quæstus omnino magnus pietas, sed aliâ ratione, præsertim si conjuncta sit cum animo suâ sorte & conditione contento, qui nimirum aliena & superflua non requirat. 7. Et cur obsecro Christianus veræ fidei luce collustratus ea requirat, cùm non ignoret, neminem nostrûm ortu suo quidquam in mundum intulisse, nihilque adeo digressu efferre posse. 8. Itaque rationi inprimis consentaneum est, ut præter victum moderatúmque corporis cultum nihil ultra quæramus. 9. Ita enim usu compertum est, eos, qui ditescere amant, eos miserè tentationibus, & laqueis implicari, plurimísque væsanis ac noxiis cupiditatibus constringi, quæ nisi cohibeantur, miseros mortales exitiô obruunt atque interitu sempiterno. 10. Siquidem malorum omnium radix & veluti fons est & origo improba auri argentíque corradendi cupiditas, quia vitiis omnibus alimentum ac materiam præstat, dum pecuniæ causâ

vati sunt, existimantium quæstum esse pietatem.

6. *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientiâ.*

7. *Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium, quòd nec auferre quid possumus.*

8. *Habentes autem alimenta, & quibûs tegamur, hîs contenti sumus.*

9. *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.*

10. *Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fi-*

de, & inseruerunt se doloribus multis.

causâ nihil non audent homines committere, quâ infrunitâ cupiditate dum nonnulli abripi se passi sunt, tum à fide aberrarunt, tum multis magnísque flagitiis atque inde consequentibus angustiis, curis, periculis ac peracutis conscientiæ remorsibus sese implicuerunt.

11. *Tu autem ô homo Dei, hæc fuge: sectare verò justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem.*

11. Tu verò vir Deo inprimis chare, si sapis, ista quàm diligentissimè fuge, sectare verò & quanto potes studiô complectere justitiam alienam ab omni cupiditate rei alienæ, fidem, spémque cœlestis hæreditatis probè fundatam, charitatem in omnes benefaciendi occasiones intentam, invictam in rebus adversis non tantùm patientiam, sed etiam mansuetudinem erga eos, qui bona nostra nobis eripiunt.

12. *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in quâ vocatus es, & confessus bonam confessionem coram multis testibus.*

12. Cœptum in stadio ministerii Evangelici cursum generosè prosequere, & ita certa, ut palmam ac coronam vitæ sempiternæ victoribus propositam assequaris, cujus causâ ad fidem Christianam primùm vocatus es per baptismum, & mox insignem illam coram multis testibus professus es vitæ rationem atque institutum, cùm sacris initiatus hoc veluti authoramento huic te militiæ sacramentô ob-

obstrinxisti. 13. Neque simplici commonitione contentus insuper tibi præcipio coram Deo immortali vitæque auctore, itémque JEsu Christo Domino nostro, qui coram Pontio Pilato testatam fecit non tantùm verbô, sed effuso etiam postmodum omni sanguine mirificam illam professionem interrogatus & respondens quis esset, præcipio, inquam, ut hæc cæteráque omnia divinæ legis præcepta & complectaris animô, & reipsâ perficias omnis prorsus maculæ ac labis expers. 14. Quemadmodum enim testis est verborum quæ scripsi, ita judex erit, & vindex severissimus, nisi promissis steteris, quando illustris ille & extremus ejus adventus illucescet nobis quidem incognitus, non autem Deo, 15. qui se solo beatus est, & infinitâ potestate præditus rex regum & dominus dominantium, 16. quíque ab omni æternitate circumfusam undique lucem nullis creatis obtutibus perviam quasi proprium domicilium incolit, quem & nemo unquam mortalium vidit, ac ne propriis viribûs cernere quidem potest, cui honor ab omnibus impendatur, & imperium sit per omnium confessio-

13. *Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, & Christo JEsu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem:*

14. *Ut serves mandatum sine maculâ, irreprehensibile usque in adventum Domini nostri JEsu Christi:*

15. *Quem suis temporibus ostendet beatus & solus potens Rex regum, & Dominus dominantium.*

16. *Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest: cui honor & imperium sempiternum. Amen.*

17. *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublimè sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum)*

18. *Benè agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare,*

19. *Thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.*

20. *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ,*

fessionem sempiternum. 17. Porrò his, qui in vitâ hac mortali divitiis affluunt, præcipe, ne in superbiam propterea & arrogantiam efferantur, aliósque indigentiores despiciant, nec spes suas in caducis, fluxis terrenísque bonis, quæ invitis etiam possessoribus facilè subduci possunt, sed in uno eorum auctore Deo sitas & locatas habeant, eúmque impensissimè ament, qui pro suâ bonitate tam copiosè nobis hæc omnia támque liberaliter ad usus vitæ suppeditat, longéque majora promittit in cœlis, 18. si & aliis prompto ac hilari animô de facultatibus nostris subveniamus, & opibûs non contenti bonorum quoque operum ac meritorum cumulum nobis quàm studiosissimè comparemus tanquam fundamentum futuri ædificii quod nobis præparatur in cœlis, 19. & certum pignus sempiternæ felicitatis. 20. Thesaurum hunc ô Timothee sanæ & sacræ doctrinæ, intelligentiæ Scripturarum & mysteriorum fidei, quam tu tuopte ingeniô non invenisti, nec propriâ industriâ tibi comparâsti, sed Deus & ego tibi quasi depositum integrè servandum & tutandum tradidimus, fideli-


fideliter custodi: prophanos de rebus inanibus clamores, & novatorum deliramenta devita, neque frivolis eorum argumentis ac sophismatis, 21. quibus vanam fallacis scientiæ existimationem gloriosuli non absque veræ fidei dispendio aucupantur, refellendis longiùs immorare. Felicem tibi interea in fide & gratiâ Christi perseverantiam ex animo precor.

AMEN.

21. Quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. Gratia tecum. Amen.



ARGU-



ARGUMENTUM
EPISTOLÆ SECUNDÆ D.PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM.

IDem ferme eſt, quod prioris: Timotheum enim diſcipulum ſuum paternis conſiliis, eccleſiaſticiſque præceptis informat, eúmque ad ſe primo quoque tempore venire jubet, rogátque ut ad ſe quædam perferat, quæ ſibi partim neceſſaria, partim utilia futura eſſent. Hæreticos interim, & quoſdam inprimis, quos nominatim deſignat, cavendos monet, quoſdam item, quos adverſarios expertus erat, non leviter perſtringit, quoſdam poſtremis ſæculis exorituros prædicit, quorum errores ac mores ad vivum depingit. Hortatur denique, ut Evangelio promulgando ſtrenuum ſe atque impigrum oſtendat, nulli labori parcat,

parcat, nullum periculum reformidet, & magnitudine atque nobilitate præmii propositâ ad explendas omnes muneris sui partes vehementiùs inflammat.


Cap. 1. præmissâ consueta salutatione pacísque apprecatione suam in Timotheum benevolentiam & amorem declarat, quòd fidem & pietatem à matre & aviâ cum lacte suxerit: tum commendatâ ejus constantiâ hortatur illum, ut vigore resumpto intrepidè prædicet sanam Christi doctrinam, ejúsque depositum arctè custodiat non obstante quorundam, qui à se defecerant, aversione & insectatione. Demum Onesiphori erga se vinctum fidem ac charitatem miris laudibûs effert, eíque benè precatur.

Cap. 2. veram apostolicæ doctrinæ formam præscribit monendo inprimis Timotheum, ut relictis negotiis sæcularibus prædicationi Evangelii totus incumbat, quasi strenuus miles, pugil, & agricola Christi. Tum spe resurrectionis & gloriæ cœlestis eundem animat, ut pro fide quævis adversa, ipsamque mortem subeat, hortatur subin, ut rectè, & ad singulorum captum atque utilitatem exponat verbum veritatis, profanas verò novitates, & hæreticos resurrectionem inficiantes, ut tuo exemplô & alii devitent, ac respuant, cura, & quandoquidem correctionem non admittunt, eorúmque malesana principia gangrænæ instar paulatim serpunt, & saniora quoque membra inficiunt ac perimunt. Quòd si aliqui à fide excidant, non ideo turbari nos oportere, cùm reliqui in fide fundati persistant, qui nimirum signati sunt ex parte Dei per ejus præscientiam, ex parte nostrâ per odium fugámque peccati, esse enim in Ecclesiâ Dei quemadmodum in palatio magni Principis diversa vasa, pretiosa quædam, alia vilia. Denique juveniles impetus cohibendos docet, contentiones in-


utiles fugiendas, leniterque errantes corrigendos ac instruendos.

Cap. 3. extrema mundi tempora, quæ Christi adventum consecuta sunt, describit, hominúmque ejus sæculi mores, & perditam vivendi rationem, doctrinámque corruptissimam ob oculos ponit, suo verò exemplô proposito Timotheum ad constantiam, animíque firmitatem excitat, monétque, ut sacrarum litterarum studio se totum quantum impendat ob uberrimos fructus exinde tum in se tum in alios redundaturos.

Cap. 4. obtestatur Timotheum, ut quæ ex sacrorum voluminum lectione, atque attentâ meditatione didicerat, instanter prædicet, moneat, arguat suos idque propter imminentia ab hæreticis perversionis ac defectionis pericula, se enim id ampliùs facere non posse, cùm prævideat mortem sibi instare pro Christo obeundam, ac prædicationis laborúmque coronam sibi jam dudum apud fidelem judicem repositam: jubet postmodum, ut ad se ab omnibus pene derelictum cum penula & libris Romam properet ultimos amplexus excepturus. Recenset deinde, quomodo à Nerone & primis vinculis Deus eum liberaverit, à secundis porrò se liberandum sperat glorioso martyrii triumphô. Demum epistolam claudit amicos salutans, & aliorum salutationes adscribens.



PARÁ-



PARAPHRASIS EPISTOLÆ II. D. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM

CAPUT I.

1. PAulus Apoſtolus ſeu Legatus ac Miniſter JEſu Chriſti id muneris non ſuis meritis, ſed Dei voluntate ſortitus ad annuntiandam, quæ per Chriſtum promiſſa eſt hominibus in eum crediturus ſalutem ac vitam æternam. 2. Timotheo dilecto filio gratiam, miſericordiam, & pacem à Deo Patre & Chriſto JEſu Domino

1. *Paulus Apoſtolus JEſu Chriſti per v luntatem Dei, ſecundùm promiſſionem vitæ, quæ eſt in Chriſto JEſu:*

2. *Timotheo chariſſimo filio, gratia, miſericordia, pax à Deo Pa-*

tre, & Christo JEsu Domino nostro.

Domino nostro ex animo precatur.

3. *Gratias ago Deo, cui servio à progenitoribus in conscientiâ purâ, quòd sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis, noctè ac die*

3. Continuatio nováque accessio cœlestium donorum, quæ divinâ liberalitate consecutus es, adeò tibi necessaria est ad explendas omnes muneris tui partes, eáque ab auctore bonorum omnium immortali Deo, cui paternâ majorum meorum institutione castâ puráque mente eum, quem debeo, cultum atque obsequium exhibeo, adeò absolutè dependet, ut ei gratiam habeam vel maximè obstrictus, quòd diu noctúque assiduam tui in precibus meis memoriam retineam.

4. *Desiderans te videre, memor lachrymarum tuarum, ut gaudiô implear.*

4. Tuum interim conspectum vehementer opto, memor lachrymarum, quibûs me abeuntem & à te avulsum prosecutus es, & licèt longioris moræ impatiens spe tamen tui adventûs non mediocriter recreor, cùm non dubitem fore, ut tua mihi præsentia magnam gaudii accessionem allatura sit.

5. *Recordationem accipiens ejus fidei, quæ est in te non ficta, quæ & habitavit primùm in aviâ tuâ Loide, & matre tuâ Eunice, certus sum autem, quòd & in te.*

5. Hæret enim mihi in animo ejus minimè fictæ aut simulatæ sed sinceræ solidæque fidei, quâ te præditum esse à longâ experientiâ certò scio, recens recordatio, quam haustam primùm ab aviâ tuâ Loide, deinde etiam à matre Eunice constantissimè retines, unde

unde non eſt, quòd de hac quidquam moneam, ſolùm opto, 6. ut gratiam ſeu donum Dei tibi manuum mearum impoſitione collatum, cùm te in Epiſcopum ordinâſſem, reſuſcites, illíque quanto potes, ſtudiô ſedulò reſpondeas: habet ſe illa ignis inſtar ſub cineribus repoſiti ac ſopiti, qui ne partim deſidiæ, partim timoris frigore à ſatanâ vel rebelli carne penitus extinguatur, flatu indiget vel flabellô, quo ſuſcitetur ac reardeſcat, ad hunc porrò ardorem perpetuò fovendum & adaugendum pro follibus & flabellis tibi ſerviant oratio, pia lectio, rerum ſacrarum ſtudium, vigilantia animi, exercitatio virtutum, ac præſertim renovatio zeli ad ſalutem populi tibi commiſſi diligentiùs ac ferventiùs procurandam. Non dubito, quin multa quotidie perferenda & ſuperanda occurrant in tuo miniſterio, animum tamen ne deſpondeas, 7. memor, ſpiritum, quem à Deo accepimus, non eſſe ſpiritum ignaviæ & timiditatis, ut in perſecutionibus & tentationibus trepidemus, & animô contrahamur, ſed magnanimæ potiùs charitatis, ut dura quævis & ardua animosè ac forti-

6. Propter quam cauſam admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.

7. Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris; ſed virtutis & dilectionis, & ſobrietatis.

fortiter aggrediamur, & vincamus, aliorum onera ac infirmitates portemus, eorúmque ſalutem vitæ noſtræ præferamus, & ut uno verbo dicam, ſpiritum ſanæ omnino, intrepidæ atque nulli perturbationi obnoxiæ mentis.

8. *Noli itaque erubeſcere teſtimonium Domini noſtri, neque me vinctum ejus: ſed collabora Evangelio ſecundùm virtutem Dei:*

8. Cave igitur, ne te unquam pudeat profeſſionis, ac miniſterii tui, quo Chriſtum Dominum noſtrum prædicas, eúmque crucifixum Judæis ſcandalum, gentibus ſtultitiam, neque etiam te mei præceptoris tui aut vinculorum meorum pudeat, non enim ob maleficium aliquod vel ſcelus perpetratum illis conſtringor, ſed propter nomen Chriſti Domini noſtri. Eſto potiùs particeps laborum atque diſcriminum, quæ Evangelii causâ non propriarum virium fiduciâ, ſed divinâ ope ac poteſtate ſubeunda & perferenda ſunt.

9. *Qui nos liberavit, & vocavit vocatione ſuâ ſanctâ, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto JEſu ante tempora ſæcularia,*

9. Is enim eſt, qui nos hactenus à peccato, poteſtate dæmonis, & morte æternâ liberavit, vocavitque admiranda planè ad veram vitæ ſanctitatem vocatione, non ullo quidem actionum noſtrarum meritô, ſed gratuito liberalique divinæ ſuæ voluntatis beneplacitô, gratiæque beneficio, quæ nobis ab omni æternitate meritorum Chriſti

Christi intuitu destinata & præparata fuit, sed abscondita in Deo, 10. nunc autem illustri Liberatoris nostri adventu cunctis mortalibus per apostolorum prædicationem palàm facta est, qui mortem abolevit, novámque ac immortalem vitam in lucem & cognitionem quodammodo protulit, ac certam ejus spem nobis fecit per Evangelium toto orbe divulgatum. 11. Cujus quidem constitutus sum ego præco, & Apostolus, & gentium doctor ac Magister. 12. Quamobrem nullam aliam ob causam in hæc vincula conjectus sum, nec tamen propterea erubesco aut conturbor, novi enim, cui credidi, & cujus fidei ac potestati commiserim depositum meum, nempe thesaurum laborum, ærumnarum ac persecutionum, quas pro Evangelio subivi, hunc enim multis annîs collectum in Dei sinu probâ & fidâ custodiâ deposui, ut in illo die magno die judicii non modò integrum illum, sed magno etiam cum fœnore recipiam. 13. Solatio tibi pariter sit hæc fiducia, dâque operam ut altâ mente retineas integræ sanæque doctrinæ, quam tibi tradidi vivam imaginem ac formam

10. *Manifestata est autem nunc per illuminationem Salvatoris nostri JEsu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam, & incorruptionem per Evangelium:*

11. *In quo positus sum ego prædicator, & Apostolus, & Magister gentium.*

12. *Ob quam causam etiam hæc patior, sed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem.*

13. *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide, & in dilectione in Christo JEsu.*

14. *Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.*

15. *Scis hoc, quòd aversi sunt à me omnes, qui in Asiâ sunt, ex quibus est Phygellus, & Hermogenes.*

16. *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui: quia sæpe me refrigeravit, & catenam meam non erubuit:*

17. *Sed cùm Romam venisset, sollicitè me quæsivit, & invenit.*

mam unà cum fide & dilectione christianâ. 14. Hunc pretiosum doctrinæ thesaurum diligenter custodi ope, gratiáque Spiritûs sancti, qui suam in mentibus nostris sedem ac domicilium collocavit ad confirmandos nos & corroborandos contra assultus dæmonum, hæreticorum, persecutorum, qui omnes machinas adhibent ad eripiendum nobis isthunc thesaurum sanæ fidei, nec mireris, eam tam paucos habere constantes asseclas, eadémque, quâ acquiritur facilitate, amitti. 15. Scis utique, omnes pene Asianos fuisse animô à me penitus averso & alieno, mihíque terga vertisse, cùm viderent, in quas angustias & discrimina incidissem, parémque sortem, si mihi ùt Magistro adhærerent, metuerent, quos inter fuére Phygellus & Hermogenes. 16. Minimè tamen Onesiphorus, ejúsque familia, cui Deus idcirco benedicat, suáque illum beneficentiâ ac clementiâ complectatur, ille námque sæpe me recreavit, & quod maximi faciendum est, vincula mea non erubuit. 17. Quin potiùs cùm Romam venisset, me quàm diligentissimè perquisivit, nec conquievit, donec invenisset.

18.

18. Faxit Deus, ut in extremo judicii die, ubi & justi trepidabunt, divinæ misericordiæ, quam vivens promeritus est, fontes illi quàm maximè pateant, quàm multa enim mihi Ephesi ministraverit, neminem latere puto, te verò inprimis meorum sive bonorum, sive malorum conscium atque participem.

18. Det illi Dominus invenire misericordiam à Domino in illâ die. Et quanta Ephesi ministravit mihi, tu meliùs nosti.

PARAPHRASIS

CAP. II.

1. TU igitur, fili mi, dum Evangelicam fidem promulgas, exemplô meo animatus fac forti & robusto animô sis, non tuis viribûs, sed divinâ potissimùm gratiâ nixus, quæ nunquam deest eam ardenter implorantibus. 2. Quæ porrò à me audisti multorum tunc præsentium testimoniô firmata, fidelibus diligenter propone & commenda iis præsertim, qui aliis instituendis apti idoneíque videbuntur progressu temporis, ut hac ratione apostolica doctrina ad alios aliósque successo-

1. Tu ergò, fili mi, confortare in gratiâ, quæ est in Christo JEsu:

2. Et quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.

cessores quasi per manus transeat & propagetur ulteriùs. 3. Quidquid Evangelii causâ laborum, molestiarum, periculorum occurrat, intrepido, ac constanti feras animô tanquam strenuus miles sub Imperatore Christo, qui te castris suis præfecit. 4. Tuis te non alienis impende totum negotiis, nemo quippe qui se Christi militiæ sacramentô addixit, terrenis miniméque necessariis curis ac rebus implicatur, sed eò unicè consilia studiáque sua dirigit, ut Imperatori suo, qui se militum numero adscripsit, omni ex parte probet. 5. Contemplare paulisper athletas, qui in arenam descendunt: nunquam profectò laureâ vel coronâ donantur, nisi legitimè atque ex militari disciplinâ strenuè certaverint, ita & tu ne tibi satis esse putes, quòd Episcopum agas quocunque modo, nisi enim legitimè nempe secundùm leges à Deo præscriptas, & à me dudū tibi propositas eo certamine perfunctus fueris, nunquam immortalem lauream consequêris. 6. Hoc ipsum Evangelii ministerium, quo animæ excoluntur, laboribus quoque proventibúsque agricolæ assimilari potest, quemadmodum enim hunc

3. Labora sicut bonus miles Christi JEsu.

4. Nemo militans Deo implicat se negotiis sacularibus: ut ei placeat, cui se probavit.

5. Nam & qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certaverit.

6. Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus percipere.

hunc multa priùs perferre, & non exiguo ſudore madere neceſſe eſt, antequam primus fructuum ubertatem atque affluentiam recipiat, naturæ enim lege primi fructus ſuo debentur cultori, ſic & tu, ſi diligenter ac fideliter in culturâ agri dominici perſeveraveris, in præmio percipiendo primus ac præcipuus eris, & quasdam laborum tuorum primitias non absque ingenti ſolatio à Deo recipies. 7. Fac porrò, ut hæc, quæ à me commemorantur, tecum ipſe quàm diligentiſſimè recolas, Deúmque ſupplex roga, ut tibi hactenus à me dictorum pleniorem intelligentiam conferat. 8. Nunquam verò pro tuâ conſolatione, aliorúmque inſtitutione ex animo tuo vel memoriâ labi permittas, Chriſtum Dominum veram Davidis ſobolem poſt mortem acerbiſſimam ab inferis ad ſuperos remeâſſe, utì ex me didiciſti, cùm Evangelium prædicarem. 9. Cujus nunc cauſâ, quaſi maleficus eſſem aut ſceleſtus quiſpiam, divexor, plurimíſque malis premor ad vincula usque & carceres, ſed benè habet, quòd verbum Dei catenîs adſtringi ac vinciri nequeat, neque enim idcirco ceſſo evangelizare tum verbo

7. Intellige, quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.

8. Memor eſto, Dominum JEſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine David, ſecundùm Evangelium meum.

9. In quo laboro usque ad vincula, quaſi malè operans: ſed verbum Dei non eſt alligatum.

verbô tum ſcripto,eſto quòd corpus ferrô onuſtum non ampliùs ſit libe-rum, lingua tamen adhuc ſoluta & libera intrepidè ac fidenter verbum

10. *Ideo omnia ſuſtineo propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Jeſu cum gloriâ cœleſti.*

Domini annuntiare pergit. 10. Eam ob cauſam, ut electorum ſaluti conſulam, qui ad ovile ſalutis noſtris laboribûs & induſtriâ perducendi ſunt, omnia mihi non ſolùm libenti ſed etiam hilari animô perferenda duco, ut illi eam aliquando beatam vitam adipiſcantur, quam Chriſtus Dominus unà cum ſempiterna gloriâ

11. *Fidelis ſermo: nam ſi commortui ſumus, & convivemus.*

nobis ſuo ſanguine peperit. 11. Certũ enim fixúmque illud omnino eſſe debet, ſi dura quæque & aſpera pro Chriſto patiamur, ipſíque per continuam ſenſuum noſtrorum & appetituum abnegationem commoriamur, nos ſimul cum ipſo reſurrecturos ac

12. *Si ſuſtinebimus, & conregnabimus: ſi negaverimus, & ille negabit nos.*

regnaturos æternùm. 12. Si unà cum illo crucem nobis impoſitam æquo animô portemus, glorioſè nos poſtmodum ad cœleſtem ejus thronum elevandos, quòd ſi metu perſecutionum, vel amore terrenarum ſive illecebrarum ſive dignitatum ejus ejurabimus, nos illius judiciô pro ovibus ſuis minimè agnoſcendos, ſed beatorum cœtu penitus excludendos. Nihil quidem ipſi decedit per jacturam

ram ſuorum ſervorum ac clientum, nobis autem quàm plurimùm, ſi tali magiſtrô ac Domino orbari contigerit. 13. Nos quidem contra fidem datam deficere ab eo poſſumus quod promiſimus, ipſe verò minimè, cùm ſanctitas ac firmitas divinarum promiſſionum nullâ ratione dependeat ab incredulitate vel inconſtantiâ noſtrâ, neque enim ullo modo poteſt à ſe ipſo deficere, ac immutabilem divinæ majeſtatis naturam à ſe abjicere, quidquid agant inſtabiles quocunque momento mortales, cùm ſibi ipſi ſolus ſufficiat ad plenam felicitatem. 14. Hæc tu ſalutaria momenta identidem fidelibus proponito, declarans, te de iſtis eos commone facere coram Chriſto Domino, qui in judicio teſtis eſſe poterit præſtiti à te officii, & vindex contemptæ admonitionis. Illud etiam diligenter inculca, ut inutiles ac ſupervacaneas contentiones evitent, ubi de verbis potiùs, quàm rebus diſceptatur, ubi non tam veritas quæritur, quàm oſtentatio ſcientiæ, non tam aliorum utilitas, quàm propria gloria, imò auditorum mentes turbantur, dubiis implicantur, & à fide avertuntur. 15. Neque ita tamen aliorum ſaluti te impendito, ut propriam

13. *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt.*

14. *Hæc commone: teſtificans coram Domino. Noli contendere verbis: ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium.*

15. *Sollicitè cura te ipſum probabilem exhibere*

Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis.

propriam neglıgas, sed potiùs da operam, ut te quàm probatissimum Deo sistas, dignum verbi Dei præconem, strenuum in vinea Domini operarium, qui nullo dedecore vel ignominiâ pudefiat, nullis minìs vel suppliciis commoveatur, qui denique veram Evangelicæ doctrinæ sententiam pro dignitate muneris Episcopalis & aliorũ utilitate aptè concinnéque enucleet. Neque in unam nec in alteram partem deflectas sed veritati traditæ ad amussim adhærescе.

16. *Profana autem, & vaniloquia devita: multùm enim proficiunt ad impietatem:*

16. Profanas dogmatum novitates & importunas vociferationes prætermittendas noveris, neque cum ejusmodi sciolis atque thrasonibus multùm agendum,

17. *Et sermo eorum, ut cancer serpit: ex quibus est Hymeneus & Philetus,*

17. eorum enim oratio doctrináque corruptissima medelam nullam admittit, sed unam ex alterâ propositionem impiam protrudens gangrænæ instar latiùs serpit, venenum suum diffundit, cuncta depascitur & absumit, quorum de numero scito esse exitiales hæreticos Hymenæum & Philetum.

18. *Qui à veritate exciderunt, dicentes, resurrectionem esse jam factam, & subverterunt quorumdam fidem.*

18. Qui quidem cùm à veritate Evangelicâ aberrâssent, tum eò devenêre dementiæ, ut affirment, mortuorum anastasin jam præteriisse, quippe quæ præcisè consistat in transitu è peccato in statum gratiæ atque hac im-

impostura plurimorum fidei fucum faciunt. 19. Neque tamen idcirco quis sibi persuadeat, electorum quoque fidem proximam esse periculo ruinæ, probè illa fundata est in vocatione ac prædestinatione Dei, quæ labefactari & subrui non valet: novit quippe Dominus perbenè, quos ipse elegerit, suæque prædestinationis arcano decretô tanquam sigillô firmaverit. Noli profundam hujus mysterii caliginem ingredi & curiosiùs scrutari, sed scito non tantùm signum electionis ad gloriam certissimum, sed etiam causam efficacissimam esse, si vita sanæ fidei respondeat, & sicut ore invocamus nomen Domini, ita & corde ac opere sectemur observantiam divinorum præceptorum, & ab omni iniquitate longissimè recedamus. 20. Quòd autem fideles iique non pauci subinde seducantur, atque à fide suâ sponte, non verò Dei voluntate prædeterminante deficiant, quid mirum? nam in magnâ & locupleti domo, nempe Ecclesia Dei sunt vasa omnis generis, quædam aurea & argentea, nempe illustres ac constantes in fide ac sanctitate personæ, quædam lignea & fictilia, fragiles scilicet & infirmæ, quædam

19. *Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognovit Dominus, qui sunt ejus, & discedat ab iniquitate, omnis, qui nominat nomen Domini.*

20. *In magnâ autem domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.*

quædam in nobiles & honorificos usus, quædam in sordida & vilia ministeria, è quorum numero non utique mirum, quædam subinde etiam quoad fidem frangi, & è domo projici.

21. Si quis ergò se emundaverit ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.

21. Sed ne putes, conclamatum penitus esse de talibus, nam si quis cum auxilio divinæ gratiæ nunquam sibi defuturo seipsum à peccatorum sordibus probè ac diligenter perpurgârit, erit vas ad decus & ornamentum ritè exornatum gratiâ sanctificante, atque ad omne opus bonum & obsequium cœlestis patrisfamilias accommodatum. Cujus voluntatem ut ante omnia perspectam habeas, & exactè adimpleas, tibi maximæ curæ sit.

22. Juvenilia autem desideria fuge, sectare verò justitiam, fidem, charitatem, & pacem cum his, qui invocant Dominum de corde puro.

22. Huic mentem tuam ex integro subjice atque conforma, studia atque vitia, quibus juvenilis ætas obnoxia esse solet, ut superbiam, levitatem, contentionem, inanem gloriam ac temeritatem fuge, sectare verò justitiam, quæ neminem lædit, sed cuique quod suum est, tribuit, fidem, quæ sine curiosâ disquisitione recipit mysteria à Deo revelata, charitatem, quæ non inflatur, non æmulatur, non est ambitiosa, non quæ sua sunt quærit, sed quæ aliorum,

pacem

pacem denique cum iis, qui Deum sincerâ mente colunt. 23. Ineptas verò & frivolas quæstiones, ex quibus nulla ad veram sapientiam & christianam doctrinam speranda accessio, sed metuenda potiùs contentionum multiplicatio, ita respue, ut neque ipse eas agites, neque ab aliis agitari sinas. 24. Servum enim Domini, qui inter filios hominum mitissimus fuit & pacificus, minimè oportet absque ratione aliis contradicere, sed placidum se potiùs comémque & vultu & verbis erga omnes se exhibere, aptum & idoneum ad docendum, ita tamen ut ratione potiùs ac suavitate persuadere velit quàm imperiosa auctoritate, 25. quíque non præfervidè sed modestè & cum omni lenitate eos redarguat, qui doctrinæ suæ pertinaciùs obluctantur, fortè enim illos Deus potentiori gratiâ collustratos ad salubrem pœnitentiam excitabit, ut veritatem agnoscant & complectantur, 26. et elapsi aliquando à diaboli laqueis resipiscant, séque ad Dei voluntatem omni ex parte componant.

23. Stultas autem & sine disciplinâ quæstiones devita: sciens, quia generant lites.

24. Servum autem Domini non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem,

25. Cum modestiâ corripientem eos, qui resistunt veritati: ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem.

26. Ut resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.

PARAPHRASIS

CAP. III.

1. *Hoc autem ſcito, quòd in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa:*

2. *Erunt homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti.*

3. *Sine affectione, ſine pace, criminatores, in-*

1. Tempeſtivè te accingi oportet ad imminentem luctam cum adverſariis, quorum genuinum characterem vivis tibi coloribûs repræſento, ut ab his hominum ac ſcelerum monſtris cavere noveris, & mala devitare, quæ ſenſim quidem jam nunc erumpunt, majoráque indies incrementa capient, ſed ſub mundi finem latiùs uberiúſque ſeſe effundent. 2. Siquidem in lucem prodibunt homines ſui duntaxat amantes, & privatorum commodorum ſupra quàm dici poſſit, ſtudioſi, avaritiâ atque auri cupiditate corrupti, faſtu elati, jactabundi, ſuæ, non divinæ gloriæ ſectatores, maledictis & conviciis Superos, Principes terræ, & quemcunque probitate conſpicuum laceſſentes, erga parentes, atque præpoſitos immorigeri, refractarii, ingrati deniqueatque impii. 3. Omni prorſus humanitatis ſenſu carentes, fœ-

fœdifragi, perfidi, calumniatores improbi, fœdis voluptatibus ad inſaniam dediti, crudeles, turbulenti, bonorum omnium contemptores atque oſores. 4. Proditionibûs infames, præcipites ac effrontes, arrogantiâ & ſuperbiâ ſupra modum inflati, quíque impuras ac petulantes libidines ſancto Dei amori timoríque longè anteponant. 5. Speciem quandam vel larvam potiùs pietatis ac honeſtatis præſeferentes, intra ſe verò & in occulto nequiſſimi, primi legum, quas aliis præſcribunt, violatores. Hæc hominum peſtis, quorum jam præcurſores & emiſſarii quidam apparent, fugienda tibi maximè, neque hæc cautela quaſi nimia ordinatæ charitati ullo modo repugnat. 6. Ex hac colluvie videre eſt nonnullos, qui mille artibûs in aliorum familias atque amicitiam ſe callidè inſinuant, & mulierculas ſceleribûs jam coopertas & infames non tantùm ab iis non revocant, ſed abominandis ſuis perſuaſionibûs in graviora flagitia pertractas ſuis faciunt ſervire & obtemperare cupiditatibus inſtar jumenti omni ratione carentis. 7. Quæ tamen vanæ ſcientiæ ſtudiô atque glo-

continentes, immites, ſine benignitate.

4. Proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei.

5. Habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita.

6. Ex his enim ſunt, qui penetrant domos: & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis:

7. Semper diſcentes, & nunquam ad ſcienti-

am veritatis pervenientes.

riâ tumidæ, licèt sibi supra modum sapere videantur, nunquam tamen solidam veritatem edocentur ab his sycophantis & falsariis.

8. *Quemadmodum autem Jannes & Mambres restiterunt Moysi: ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem,*

8. Hi ipsi enim exemplô Jannis & Mambris, qui suis præstigiis Moysi obstiterant, suis fallaciis technísque veritatem palàm oppugnant, simplicioribus fucum faciunt, mentéque corrupti saniorem fidei doctrinam velut noctuæ lucem respuunt. Quid aliud ab hoc hominum genere expectes, qui vitiosis affectibûs depravati cœcâ mentis obstinatione sibi ipsis viam ad veritatem ac salutem præcluserint?

9. *Sed ultra non proficient: insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit.*

9. Neque tamen idcirco animum despondeas, sed pro tuo solatio scito, venenô hoc non universa Ecclesiæ membra inficienda, divinâ enim providentiâ ac bonitate istorum amentia maximo eorum probrô in lucem proferetur, & detectâ pietatis larvâ fraus & falsitas orbi palàm innotescet, quemadmodum illorum improbitas omnibus perspecta fuit & cognita.

10. *Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam,*

10. Deo sint laudes, quòd meliore tu saltem consilio ductus meam pridem doctrinam sectatus sis, sociúsque ac testis fidelis mearum actionum in itineribus integritatem vitæ, quídque in munere meo aposto-

apostolico & in omni actione spectaverim ac spectem, scilicet non privata mea commoda, sed gloriam Dei per Christum, constantiam in rebus adversis, lenitatem erga persecutores & veritatis adversarios, charitatem erga proximum, omnem denique vivendi rationem perspectam habeas. 11. Quin etiam probè nôsti, cujusmodi & quàm graves fuerint persecutiones ac molestiæ, quas Antiochiæ, Iconii, & Lystris perpeti coactus sum, ex quibus tamen omnibus Dei beneficiô evasi. 12. Sic enim velim tibi persuadeas, omnibus qui piè ac religiosè volunt vivere ex præscripto ac consilio Christi, multa adversa & molesta perferenda esse. 13. Nullæ dantur in hujus vitæ militiâ induciæ, improbi enim & impostores, dum florent, & secundo ventô navigant, mala malis cumulabunt, fraudes fraudibus innectent, ut incautos decipiant, pacémque nunquam inibunt aut servabunt cum iis, quos probitatis ac veritatis noverint esse perquàm studiosos. 14. Tu verò dum illi impietatem suam ulteriùs promovent, in virtutum studio aliorúmque ad omnem pietatem institutione novos e- contra

11. Persecutiones, passiones: qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii, & Lystris: quales persecutiones sustinui, & ex omnibus eripuit me Dominus.

12. Et omnes, qui piè volunt vivere in Christo JEsu, persecutionem patientur.

13. Mali autem homines, & seductores proficient in pejùs, errantes, & in errorem mittentes.

14. Tu verò permane in iis, quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris.

contra progressus facito, tenacissimè ea retinens, quæ pridem instar depositi à me tibi credita ac commissa sunt, memor semper, à quo illa didiceris, de cujus scilicet ùt Apostoli Christi Domini auctoritate dubitare non potes.

15. *Et quia ab infantiâ sacras litteras nôsti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo JEsu.*

15. Cúmque à primis annis sacrarum litterarum studio te addixeris, habes inde adjumentum opportunissimum ad alios erudiendos circa fidei ac disciplinæ Christianæ capita.

16. *Omnis scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ:*

16. Hoc enim possum ingenuè profiteri omnem scripturam divino Numine traditam utilem esse & efficacem ad doctrinam aptè & accommodatè explicandam, ad errores refellendos, ad pravos mores corrigendos, denique ad eam eruditionem comparandam, ex quâ vera justitia sanctitásque consequatur.

17. *Ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.*

17. At qui pastorali ac episcopali munere ritè fungi, atque vir esse velit secundùm cor Dei, qui ejus, quem repræsentat, gloriam, nec non animarum sibi commissarum salutem pro viribus promoveat, sit numeris omnibus absolutus, & ad omnes sui muneris partes explendas sit probè comparatus atque instructus.

PARA-

PARAPHRASIS

CAP. IV.

1. HAbenda tibi præ oculis assiduè fratrum tuorum salus, & tametsi hac in re te minimè suspectum habeam de tepore aut languore aliquo, attamen non possum non te obtestari coram Deo cuncta cernente, eodémque humanarum actionum judice Christo JEsu, qui judicaturus est aliquando cunctos mortales, sive qui jam pridem vitâ functi sunt, sive qui etiamnum hac spirabili atque vitali aurâ fruuntur, tum videlicet, cùm illustri & magnifico illo adventu suo regnum sibi suísque immortale comparabit, obtestari, inquam, 2. ut in benè cœptis strenuè pergas, divinum verbum Christíque legem constanter prædices, & quæ didicisti, aliis sedulò explanes, aliàs ab eo certò certiùs puniendus graviter, si hac in re te negligentem invenerit. Nullo non tempore seu commodo volentibus seu

1. *Testificor coram Deo & JEsu Christo, qui judicaturus est vivos, & mortuos, per adventum ipsius, & regnum ejus:*

2. *Prædica verbum, insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrinâ.*

ſeu incommodo nolentibus inſta operi, nec ceſſâ quacunque difficultate aut moleſtiâ abſterritus, multò minùs cura aliorum dicteria te importunum ac moleſtum hominem vocitantium. Ubique tam publicè quàm privatim, turbulentis perinde ac tranquillis Eccleſiæ temporibûs te fortiter oppone perverſæ doctrinæ magiſtris, objurga illos, ac increpa, qui diſſolutâ vivendi ratione innocuis atque ingenuis mentibus ſcandalum præbent, ſeniores obſecra & hortare quacunque ratione poteris ad mores incorruptos, ad vitæ ſanctimoniam omni tamen tam lenitate quàm ſoliditate doctrinæ adhibitâ, ut obſtinatiſſimi quoque ratione convicti longâ patientiâ flectantur & ſanentur. Non abs re tam ſollicitè támque inſtanter te adhortor, ut munere tuo magnâ cum fide ac ſolertiâ fungaris, præparandus tibi enim eſt animus contra tempeſtatem periculoſam Eccleſiæ imminentem, & præſervandæ tibi erunt oviculæ à contagione illis afflandâ.

3. *Erit enim tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacerva-*

3. Proſpicio enim futurum, & quidem brevì, ut multi eorum, qui Chriſtum profeſſi ſunt, à ſinceritate fidei recedant, imò ſa-

nam

nam doctrinam audire non sustineant, sed quò pravis suis cupiditatibus, corruptisque affectibus liberiùs indulgeant, sibíque auctoritatem aliquam concilient, magno numerô, sed temerè & sine delectu adsciscent & congerent magistros non ab Episcopis vel Ecclesiâ missos ac ordinatos, sed ultrò sese ingerentes aut obtrusos, qui sibi suísque vitiis adblandiantur, aures prurientes scalpant, & sibi nova, curiosa, mollia, & voluptati faventia loquantur. 4. Hi tales ab integritate ac veritate sanæ doctrinæ prorsus alieni aures avertent, ad fabulas autem audiendas insanâ quadam curiositate sese convertent. 5. Tu verò ut malis his omnibus occurras, sta semper in excubiis, ne improvisò obruaris, accinge te ad pugnam paratus adversa quæque fortiter perpeti, strenuum te Evangelii Ministrum exhibe integram Evangelii doctrinam cum omni sinceritate annuntiando nec tua quærens, nec auribus serviens, ita demum te gere, ut omnes intelligant, nunquam te muneri tibi imposito defuisse. 6. Tempus enim, uti mihi præsagit animus, prope est, ut sanguinem meum tanquam gratum

bunt sibi magistros, prurientes auribus.

4. *Et à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.*

5. *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple. Sobrius esto.*

6. *Ego enim jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat.*

tum Deo libamen offeram, & per martyrium immoler in sacrificium, atque ita mortalis hæc vita cum beatâ illâ ac sempiternâ permutanda sit.

7. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.

7. Neque propterea affligi animô ac turbari te volo, namque quasi bonus Christi miles Dei beneficiô ac singulari munere strenuè decertavi, cursum ad extremum usque feliciter confeci, fidem integram inviolatámque servavi.

8. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex: non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus. Festina ad me venire citò.

8. Aliud modò non restat, quàm ut repositam mihi pro justis operibus coronam recipiam, quam certò scio mihi reddendam extremo illo vitæ die à Christo Domino justo omnium Judice, nec mihi solùm, sed iis etiam omnibus, qui illustrem illum ipsius adventum rectè factorum sibi conscii piis votis expetierint, seque bonis operibûs quasi accensis lampadibûs excubantes præparaverint ad illum excipiendum. Alia non habeo, quæ te moneam, da tantùm operam, ut ad me quàm citissimè venias, indigeo enim tuâ præsentiâ.

9. Demas enim me reliquit, diligens hoc sæculum, & abiit Thessalonicam:

9 Siquidem Demas animadversô capitis mei periculô me penitus deseruit, ut securitati ac quieti suæ consuleret, profectus Thessalonicam.

10 Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam.

10. Crescens verò in Galatiam, Titus in Dalmatiam

matiam abiit. 11. Lucas mecum solus est, Marcum quoque ad me adducito, statui enim illo uti in ministerium prædicationis. 12. Tychicum porrò Ephesum misi, ut tuas isthic, o Timothee, absentes vices suppleat tantisper, dum tu mihi aderis, nolo enim Ecclesias maximâ etiam urgente necessitate suis pastoribûs destitui, nisi vicariis idoneis substitutis. 13. Penulam, seu vestem hyemalem, quam Troade apud Carpum reliqui, cùm veneris, tecum afferto, itémque libros sacros, præcipuè verò membranas in memoriæ subsidium, vel ad scribendas epistolas propriâ manu meâ exaratas. 14. De Alexandro fabro ærario hoc tibi possum affirmare, multis me ab illo divexatum molestiis: paria illi faciat Deus. 15. Tu verò tibi ab illo diligenter cave, vehementer enim nostris sermonibus atque doctrinis sese opposuit. 16. Scito autem in primâ meâ defensione, cùm ante novennium primò vinctus Hierosolymis Romam venissem, neminem mihi auxilium aut patrocinium præstitisse, sed omnium amicorum ope fuisse destitutum, tantus enim invaserat omnes communis

11. *Lucas est mecum solus. Marcum assume, & adduc tecum: est enim mihi utilis in ministerium.*

12. *Tychicum autem misi Ephesum.*

13. *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas.*

14. *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secundùm opera ejus:*

15. *Quem & tu devita: valde enim restitit verbis nostris.*

16. *In primâ meâ defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur.*

munis periculi metus, ut captivi causam nullus auderet commendare. Opto autem id nemini fraudi esse. Ingratus profectò essem & perperàm agerem, si in querelas idcirco contra illos effunderer.

17. *Dominus autem mihi astitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes Gentes: & liberatus sum de ore leonis.*

17. Cùm Christus Dominus mihi præsto fuerit eorum locô, méque corroborârit, ne succumberem in meâ defensione, ac ne metu mortis quidquam dicerem aut facerem, quod esset præter dignitatem causæ susceptæ, itaque pro illâ vice ereptus sum faucibus mortis, ut postmodum operâ meâ divini verbi promulgatio omni ex parte compleretur, & ad omnes gentes ac nationes etiam remotissimas felici progressu extenderetur:

18. *Liberavit me Dominus ab omni opere malo: & salvum faciet in regnum suum cœleste, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.*


18. Non stabit divina beneficentia intra hos terminos, postquam enim ab externis hostibus me liberavit, non dubito me à domesticis quoque, qui longè crudeliores sunt, & intra viscera mea hærent, præservandum: Præpediet me, uti spero, Dominus, ne verbo, aut opere ob ullos terrores aut supplicia in fide & constantiâ vacillem. Quòd si permittere velit, ut graviores adhuc ærumnas & ipsam mortem subeam, immortalem utique

utique coronam in regno suo cœ-
lesti mihi tribuet. Sit igitur benig-
nissimo Deo sempiterna gloria in
sæcula sæculorum. Amen. 19.
Priscæ & Aquilæ, & Onesiphori
familiæ salutem quæso meo nomine
dicito. 20. Erastus mansit Corin-
thi, Trophimum autem ægrotan-
tem reliqui Mileti. 21. Da porrò
operam, ut ante hyemem venias.
Salutant te Eubulus, Pudens, Linus,
Claudia, omnésque fratres. 22. Do-
minus JEsus Christus menti tuæ pe-
nitus hæreat, sitque vobiscum
Dei gratia.

A M E N.

19. *Saluta Priscam, & Aquilam, & Onesi-*
phori domum.
20. *Erastus reman-*
sit Corinthi. Trophimum
autem reliqui infirmum
Mileti.
21. *Festina ante hye-*
mem venire. Salutant te
Eubulus, & Pudens, &
Linus, & Claudia, &
fratres omnes.
22. *Dominus JEsus*
Christus cum spiritu tuo.
Gratia vobiscum. Amen.





ARGUMENTUM EPISTOLÆ D. PAULI APOSTOLI AD TITUM.

Hujus epistolæ, quam ad Titum suum ex gentilitate discipulum scripsit Apostolus, idem fere argumentum est cum duabus ad Timotheum, præsertim cum priore. Nam sicut Timotheum Asiæ minori præfecerat, ita Titum Cretæ celeberrimæ & antiquissimæ Insulæ, quæ nunc vulgò Candia vocatur. Erat igitur uterque de iis, quæ ad regimen Ecclesiarum pertinerent, etiam per litteras ritè instruendus, tum ut præcepta oretenus data memoriæ magis inhærerent, tum ut etiam posteritati subsequentibus servirent temporibus. Quòd autem multò brevius scribat ad Titum, quàm ad Timotheum, ea redditur

ditur ratio, quia Titus ut ætate provectior, ita etiam Ecclesiasticis rebus gerendis erat exercitatior, Timotheus verò junior, atque recentior, ideóque pluribus informandus. Titus ob insignem morum innocentiam, sanctitatem atque castimoniam Apostolo percharus fuit, unde & filium suum vocat & fratrem, qui etiam in Dalmatiâ multísque aliis provinciis Evangelium promulgavit, ac tandem in suâ Cretâ sanctitate illustris excessit è vivis annô ætatis 94.

Capite primo discipulum pro veteri suâ consuetudine & Apostolico instituto salvere jubet, & commemoratâ obiter gratiâ Christi & Evangelii, cujus ministerium sibi divinitùs commissum ait ad verám fidem spémque æternæ vitæ annuntiandam, accuratissimè explicat, quales Episcopos & pastores urbium sibi commissarum ordinare & instituere debeat: quomodo item Cretenses compescendi, ne in Judaismum delabantur occasione commercii cum nobilibus Judæis, quorum plurimi in Cretâ morabantur. Demum cavendas monet istorum fabulas, imposturas, & superstitiosas observantias in ciborum delectu.

Cap. 2. instruit Titum, quid senes, anus, adolescentulas, servos verbô, & exemplô docere debeat: mox verò commemorato singulari planéque divino Christi ad nos adventu omnes ad pietatem hortatur, & in spem erigit sempiternæ felicitatis. Postremò Titum confirmat, & quasi pro imperio jubet, ut suo munere strenuè & magnâ cum auctoritate fungatur.

Cap. 3. commendat obedientiam atque observantiam magistratibus etiam ethnicis debitam, modestiam item ac mansuetudinem. Tum inculcat gratiam Christi per

quam

quam renovari sint ac justificati: contentiosas & inutiles subin quæstiones vitari jubet, & hæreticum hominem post unam alterámve admonitionem rejici, quòd subversus sit. Denique consuetâ salutatione & apprecatione epistolam concludit.



PA-



PARAPHRASIS EPISTOLÆ D. PAULI APOSTOLI

AD TITUM

CAPUT I.

1. PAulus Dei servus, Apostolus autem JESu Christi, missus, ut electos instruam in fide, quâ pulsis errorum tenebrîs cognoscant veritatem Evangelicam, quæ docet piè sanctéque vitam instituere, 2. & pro fundamento spem habet vitæ sempiternæ, quam jam inde à mundo condito pollicitus est, qui nec fallere, nec

1. Paulus servus Dei, Apostolus autem JEsu Christi secundùm fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ secundùm pietatem est,

2. In spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus, ante tempora sæcularia:

falli poteſt Deus. Veritas iſta jam ante omnia ſæcula abſcondita erat in ſinu Patris cœleſtis, 3. præfinito verò per ſapientiam ſuam congruo & opportuno tempore manifeſtata eſt, cùm videlicet Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, per publicam Evangelii prædicationem, cujus officium poſt alios Apoſtolos etiam mihi delegatum & demandatum fuit Chriſti Salvatoris noſtri juſſu atque imperio. 4. Ego, inquam, Paulus Tito vero ac germano filio ſuo non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm communem omnibus Chriſtianis fidem, ac ſpiritum, quo ego illum in Chriſto genui, gratiam & pacem à Deo Patre, & Chriſto JEſu Servatore noſtro precor. 5. Noſti profectò fili, cùm in plures orbis provincias ratione muneris mei Apoſtolici avocatus eſſem, te hoc conſilio Cretæ inſulæ, in quâ prædicare cœperam, à me fuiſſe præfectum, ut Eccleſiam à me inſtitutam rudem adhuc atque informem abſentis locô perficeres, atque abſolveres, & ſi quæ ſupereſſent, Chriſtianæ religioni minùs conſentanea, corrigeres, denique per urbes

3. Manifeſtavit autem temporibus ſuis verbum ſuum in prædicatione, quæ credita eſt mihi ſecundùm præceptum Salvatoris noſtri Dei:

4. Tito dilecto filio ſecundùm communem fidem, gratia, & pax à Deo Patre, & Chriſto JEſu Salvatore noſtro.

5. Hujus rei gratiâ reliqui te Creta, ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.

bes præcipuas Præsules constitueres eâ, quam tibi præscripseram, ratione. 6. Sic autem, si benè meministi, præceperam tibi, quærendum & deligendum Episcopum non modò omnis prorsus labis expertem, sed ab omni etiam criminis suspicione alienum, & quidem monogamum, cujus liberi, si quos habet, non modò Christianæ fidei præceptis ritè imbuti sint, sed nulli penitus intemperantiæ culpæ affines, nullóque modo contumaces, ac refractarii. 7. Cùm enim omnium oculi in eum intenti sint tanquam Dei Vicarium ac Ministrum in dispensatione Evangelii ejúsque Sacramentorum, oportet eum integritate vitæ instar solis prælucere omnibus, non superbiâ elatum, non aditu & alloquiô difficilem ac morosum, non præfractum, suíque sensûs ac judicii plus æquô tenacem, non iræ impotentem, non temulentiæ deditum, non ad jurgia & contumelias proclivem, non denique fœdum in modum lucri appetentem, 8. sed contrà hospitalitatis amatorē, proborum hominum studiosum, modestiâ & comitate spectabilem, prudentem, justitiæ

6. Si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos.

7. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum:

8. Sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem,

stitiæ observantissimum, pietate ac temperantiâ cunctis venerabilem,

9. *Amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doctrinâ sanâ, & eos, qui contradicunt, arguere.*

9. qui omni studiô ac conatu doctrinam Apostolicam complectatur, eámque fideliter solidéque ita aliis explanet, ut non solùm eam facilè persuadeat, sed etiam, si res postulet, sanæ doctrinæ obloquentes tum Scripturæ testimoniîs, tum firmis rationibus devincere noverit, ac confundere.

10. *Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores: maximè, qui de circumcisione sunt:*

10. Sunt enim non pauci intractabiles, contumaces, qui disciplinam Christianam non ferant, qui inania frivoláque loquantur ac doceant, & fabulosis narrationibus, pravísque dogmatîs mentes hominum inficiant seminando errores inter fideles, quorum de numero præcipuè censentur, qui sunt ex Judæorum natione.

11. *Quos oportet redargui: qui universas domos subvertunt, docentes, quæ non oportet, turpis lucri gratiâ.*

11. His minimè parcendum est, sed imponendum silentium, & os quodammodo redarguendo obturandum, cùm integras paulatim familias perversis suis principiis ac fallaciîs subvertant, turpis lucri gratiâ ea passim tradendo, non quæ veritati ac honestati consentanea sunt, sed quæ populari licentiæ ac dissolutioni conformia.

12. *Dixit quidam ex illis proprius ipsorum*

12. Verè omnino ex ipsorum vatibus nonnemo olim pronuntiavit:

tiavit: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri, fallaciæ nimirum, maledicentiæ & deſidiæ vitia in illis ſugillans. 13. Teſtimonium hoc ùtùt à Cretenſi profectum veriſſimum eſſe comperi non ſolùm famâ publicâ, ſed etiam propriâ experientiâ. Unde & ſæpius de his increpandi ſunt & arguendi rigidè, ſeverè & ad vivum ſine ambagibus aut involucris, ſed & curandum enixè, ut à corruptione ſanæ doctrinæ præſerventur, 14. neque inanibus Judaizantium commentis faciles aures præbeant, eorúmque præcepta ſequantur, qui veritatem quàm maximè oderunt, ac pro eâ fabellas ſubſtituunt v. g. de cæremoniis legis Moſaicæ, de delectu ciborum &c. 15. Cùm tamen fidelibus Chriſti ſanguine per baptiſmum mundatis, & rebûs benè ac ſanctè utentibûs omnia munda ſint, ut omnibus veſci vel uti ſine ſcrupulo poſſint, infidelibus verò, qui vel ex perversâ voluntate ac intentione Dei creaturis abutuntur, vel ex erroneâ perſuaſione, quaſi impuræ eſſent, non utuntur, vel eâ non obſtante fruuntur, nihil ſit mundum, ſed omnia immunda, non quòd ejus-modi

propheta, Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.

13. *Teſtimonium hoc verum eſt. Quam ob cauſam increpa illos durè, ut ſani ſint in fide,*

14. *Non intendentes Judaicis fabulis & mandatis hominum, adverſantium ſe à veritate.*

15. *Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum & mens & conſcientia.*

modi res indifferentes veram contrahant immunditiam per malum usum, aut falsam opinionem hominum, sed partim, quia conscientia hominis existimantis aliquid immundum esse, facit, ut quamdiu hac erroneâ persuasione laborat, eâ re sine peccato uti nequeat, non secus, ac si res verè immunda esset, partim verò, quia sicut res simpliciter bona fit mala malè utenti, ita res simpliciter munda immunda fieri dicitur abutenti per depravatam intentionem.

16. *Confitentur se nôsse Deum, factis autem negant: cùm sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.*

16. Denique ut appareat, cujus farinæ aut surfuris sit hoc hominum genus, si ipsorum orationem audias, nihil illis videtur religiosius, se Abrahæ filios prædicant, Moysis discipulos, veri Dei cultores, sin autem mores & vitam spectes, veræ sunt religionis expertes, & à legitimo Dei cultu prorsus alieni. Projecti sunt in omnia scelera ad abominationem usque, pervicaces sunt, nec ullam admittunt rationem, quâ eis possit veritas persuaderi. Adeò denique mente corrupti sunt, ut quidquid pietatem aut sanctitatem spirat reprobent, & nulla ferme honesta ac verè

rè laudabilis actio ab iis in hoc miſerrimo ſtatu expectari poſſit.

PARAPHRASIS

CAP. II.

1. FAbulas ejusmodi novatores in medium afferunt, tu verò Tite, tanquam ſincerus Evangelii miniſter ea doce, tuíſque auditoribus explica, quæ conveniunt ſolidæ ac incorruptæ doctrinæ Catholicæ, & quemlibet ſui officii admone.

2. Senes cumprimis, ut ſobrietatem, gravitatem, modeſtiam, fidei integritatem, ſinceram charitatem ac patientiam complectantur, & colant. 3. Eâdem ratione præcipe provectas ætate matronas habitu cultúque corporis uti decenti, qui ſanctimoniam, religioſámque modeſtiam redoleat, abſtinere ab intempeſtivâ garrulitate, & maledicentiâ, à largiore vini potu, honeſta denique, & quæ ad ædificationem ſerviunt, proloqui, non fabuloſa, non amatoria, non ſordida, non ſuperſtitioſa

1. *Tu autem loquere, quæ decent ſanam doctrinam:*

2. *Senes ut ſobrii ſint, pudici, prudentes, ſani in fide, in dilectione, in patientiâ:*

3. *Anus ſimiliter in habitu ſancto, non criminatrices, non multo vino ſervientes, benè docentes:*

4. *Ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant,*

5. *Prudentes, castas, sobrias, domûs curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei:*

6. *Juvenes similiter hortare ut sobrii sint.*

7. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in gravitate,*

8. *Verbum sanum, irreprehensibile: ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.*

9. *Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes,*

stitiosa. 4. Ut hac ratione uxores juvenculas benè instituant, & ad omnem modestiam, ad castum suorum conjugum amorem cum debitâ submissione conjunctum, 5. ad prudentiam, ad verecundiam, ad sobrietatem, ad diligentem familiæ & liberorum curam & comitatem erga domesticos informent, ne doctrina ac religio Christiana malè audiat apud infideles, & in invidiam vocetur, quasi impia vel absurda doceat. 6. Haud aliter adolescentes hortare, ut modestiam ac temperantiam palàm profiteantur. 7. Ut porrò obsequentes tuis monitis alios habeas, da operam, ut in rebus omnibus te ipsum veluti exemplar virtutum omnium, sanctæque conversationis exhibeas, in doctrinâ verò cura, ut integritatem illius cum debitâ gravitate conjungas. 8. Utque oratio tua sit ejusmodi, ut nullum ex levitate, ostentatione, alióve defectu reprehensioni locum relinquat, ita fiet, ut is, qui ex adverso nos impugnat, rubore suffundatur, nihílque habeat, quod nobis objiciat mali. 9. Jam verò servis persuade, ut dominis suis dicto sint obsequentes, omnibúsque in rebus illorum voluntati

tati sese accommodent nec refragentur, aut eorum placitis verbulò obmurmurent. 10. A furtis prorsus abstineant, nec quidquam unquam intervertant, sed sinceram fidelitatem in re qualibet præstent, ut suâ integritate, obedientiâ, & promptitudine Salvatoris nostri doctrinam cœlitùs traditam, cujus professionem faciunt, etiam aliis commendatam reddant, quò plures ad eam complectendam alliciantur. 11. Istorum quoque ùtùt conditione infimorum mentio mihi facienda erat; quandoquidem istis perinde ùt aliis gratia Christi Domini Liberatoris nostri in adventu suo seu Incarnatione illuxit. 12. Erudiens nos instar pædagogi, ut rejectâ impietate, & pravis omnibus cupiditatibûs edomitis moderatè erga temetipsum, justè erga proximum, piè erga Deum in præsenti sæculo vitam instituamus, 13. exspectantes beatam illam atque sempiternam vitam, quam speramus, & illustrem illam gloriáque circumfusum adventum Dei & Salvatoris nostri JEsu Christi. 14. Qui semetipsum sponte obtulit neci, ut suo pretiosissimo sanguine litaret, nósque ab omni scele-

10. Non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes: ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus.

11. Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus,

12. Erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè, et justè, et piè vivamus in hoc sæculo,

13. Exspectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri JESU Christi:

14. Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniqui-

tate & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

sceleru labe prorsus expiaret, sibique adscisceret in populum peculiarem, sibique præ cæteris dilectum, magnis animis, magnâ alacritate, studio, fervore virtutis exercitia capessentem.

15. *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.*

15. Fac igitur, ut hæc doceas, eáque quantum in te erit omnibus persuadeas, nulli verò periculo aut timori cede, sed refractarios, argue, increpa, compesce cum plenâ potestate atque auctoritate, & ne ullus te ausit vilipendere quasi infra se positum, eâ integritate atque gravitate omnes actiones tuas compone, ut fidelibus omnibus pro speculo & prototypo sanctitatis servire valeant.

PARAPHRASIS

CAP. III.

1. *Admone illos principibus, & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse:*

1. Suggere porrò illis, ut principibus, & iis, qui publicâ potestate præditi sunt, se intelligant esse subjectos, útque magistratibus ex animo obtemperent ad omne opus licitum & divinâ lege non prohibitum

tum parati. 2. Adde, ut nemini
obtrectent, aut quamquam male-
dictis incessant, nec pugnas aut
contentiones excitent, aut sectentur,
sed potiùs sese præbeant placidos,
comes, affabiles, omnémque erga
quoscunque exhibeant mansuetu-
dinem ac humanitatem. 3. Ete-
nim nos etiam non ita pridem deli-
ravimus, fuimúsque immorigeri &
contumaces, errones, variis cupidi-
tatibus ac voluptatibus impliciti at-
que mancipati, malitiâ, invidentiâ-
que pleni, cunctis exosi, & mutuo
odio ac malevolentiâ in alios veluti
tabe quadam ac peste corrupti. 4.
At ubi immensa bonitas & eximius
amor Christi Domini, ac liberato-
ris nostri in omne genus hominum
veluti sol exoriens mundo illuxit,
5. non ex merito operum nostro-
rum justorum (cùm nulla talia præ-
cesserint fidem & justitiam) sed sin-
gulari planéque divino immensæ
suæ misericordiæ beneficiô salutem
tum nobis attulit per baptismum,
quo exteriùs abluimur, & interiùs
per infusam Spiritûs sancti gratiam
renovamur ac regeneramur in fili-
os Dei, & hæredes vitæ ac gloriæ
æternæ, 6. Quem quidem Spiri-
tum

2. *Neminem blasphe-
mare, non litigiosos esse,
sed modestos, omnes o-
stendentes mansuetudi-
nem ad omnes homines.*

3. *Eramus enim ali-
quando & nos insipientes,
increduli, errantes, ser-
vientes desideriis, & vo-
luptatibus variis, in ma-
litiâ & invidiâ agentes,
odibiles, odientes invi-
cem.*

4. ***Cùm autem benig-
nitas & humanitas appa-
ruit Salvatoris nostri
Dei:***

5. *Non ex operibus
justitiæ, quæ fecimus nos,
sed secundùm suam mise-
ricordiam salvos nos fe-
cit per lavacrum rege-
nerationis, & renovatio-
nis Spiritus sancti,*

6. *Quem effudit in*

nos abundè per JEsum Christum Salvatorem nostrum:

7. Ut justificati gratiâ ipsius hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ.

8. Fidelis sermo est: & de his volo te confirmare, ut curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo. Hæc sunt bona, & utilia hominibus.

9. Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita; sunt enim inutiles & vanæ.

10. Hæreticum hominem post unam & secun-

tum eximia Liberatoris nostri beneficentia liberaliter & copiosè in nos effudit. 7. Ut illius gratiæ munere omne meritum nostrum prævenientis justificati per ipsam justitiam nobis donatam, quam spe certissimâ conceperamus, hæreditatem vitæ sempiternæ assequeremur, gratiâ enim Dei justificamur & filii Dei efficimur, adoptati autem in filios jam hæredes sumus, quibus eo nomine vita æterna debeatur. 8. Certa planè atque omnis dubitationis expers oratio hæc est, quam tibi in animo hærere percupio, ut cum omni asseveratione jubeas eos, qui fidem complexi fuerint, studiosis actionibus operibúsque quàm obligantissimè operam dare, quòd hæc non modò honesta sint, sed magnam etiam aliis afferant utilitatem, præsertim si eos ad eadem studia tum oratione tum exemplô excitent, atque inflamment. 9. Futiles porrò & inanes quæstiones, genealogias, contentiones ac disceptationes, quæ legis occasione excitantur, cohibe, & coërce, sunt enim inutiles, & in absurdos ac vanos clamores desinunt. 10. Hæreticum necdum tibi sat perspectum atque exploratum admone

admone, instrue, corripe, sed si post unam alterámve admonitionem pertinax & obstinatus maneat, rejice illum, atque à tua consuetudine convictúque penitus repelle, 11. certò persuasus, eum qui hujusmodi malô laboret, excidisse gratiâ, fide, spe & omnibus bonis, talis enim non peccat ex ignorantiâ vel animi imbecillitate, sed sciens, prudens, atque ex malitiâ & obstinatione in malo, adeóque suâ sponte & suopte judiciô condemnatus est, quòd nolit ea audire, quæ ipsum ab errore, & in rectam veritatis semitam revocarent. 12. Tu verò Tite cùm Artemam aut Tychicum ad te misero, pro tuis videlicet interim vicariis, ad me Nicopolim quamprimùm venias, siquidem ibi hyemem decrevi traducere. 13. Zenam legisperitum, & Apollo sollicitè præmittito, eísque necessaria curato, ne quâ fortè rerum inopiâ premantur. 14. Discant autem qui nos sequuntur aut imitantur, quíque fidem complexi sunt, ita bonis operibûs excellere, ut cùm res postulaverit, divini verbi præconibus usui possint esse & adjumento, eorũ indigentiam sublevando, ut sic etiam

dam correptionem devita.

11. *Sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio judiciô condemnatus.*

12. *Cùm misero ad te Artemam aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim: ibi enim statui hyemare.*

13. *Zenam legisperitum, & Apollo sollicitè præmitte, ut nihil illis desit.*


14. *Discant autem & nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi.*

15. *Salutant te, qui mecum sunt, omnes: saluta eos, qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.*

ipsi in vineâ Evangelicâ non sint, aut operentur absque fructu, sed singuli pro modulo suo rem communem promoveant. 15. Qui mecum sunt, omnes tibi salutem dicunt, tu vicissim salvere eos jube meo nomine, qui nos diligunt eo modo, quem præcipit ab iis suscepta fides. Gratiâ Dei sit cum omnibus vobis. Amen.



ARGU-



ARGUMENTUM EPISTOLÆ D. PAULI APOSTOLI *AD* PHILEMONEM.

PHilemon, ad quem hæc ſcribitur epiſtola, Pauli diſcipulus vir nobilis erat apud Coloſſenſes, atque ùt potentiâ & opibus, ita & pietate ac liberalitate conſpicuus erga pauperes & peregrinos, quos hoſpitiô benevolè ſuſcipiebat, atque copioſis elemoſynis ſublevabat. Habuit is inter cæteros ſervum Oneſimum, Phrygem genere, qui utì natio illa furaci eſt indole, compilatis nonnullis domini ſui rebûs Coloſsìs Romam profugerat (ubi tunc Paulus Philemonis amicus in vinculis detinebatur) captandæ fortaſſis libertatis gratiâ: ab eo benignè ſuſceptus, ejúſque ad-

adhortationibûs utriusque criminis, fugæ furtíque pœnitentiâ ductus, Christi fidem edoctus atque baptizatus saniora consilia suscepit, Paulóque, dum in custodiâ detineretur, strenuè ac fideliter operam suam detulit, donec satis in pietate confirmatum remittere eum Philemoni visum fuit. Remisit autem illum cum his litteris commendatitiis, in quibus miro studiô id agit, ut servum domino reconciliet, præteritam culpam deprecans,& meliora imposterum ejus nomine spondens. Nec verò dubium, quin Pauli precibus Philemon annuerit, ac, plus etiam præstiterit, quàm rogatus esset; Onesimus enim libertate haud dubiè donatus Timotheo postmodum in episcopatu Ephesi successit, & denique Romæ gloriosum subiit martyrium. Argumentum epistolæ utcunque primo aspectu humile & abjectum videatur, indignum tamen non est spiritu Dei, & charitate Apostoli, quam extremæ sortis hominibus impensam voluit. Divus sanè Chrysostomus in tanta brevitate ac simplicitate quatuor insignia & perutilia documenta annotavit: primum est, Ministris Evangelii nihil omnino ùt minùs dignum sollicitudine pastorali negligendum esse, sed vilium quoque hominum, servorum ac profugorum habendam curam. Si enim vas electionis, Doctor gentium, vir in tertium usque cœlum raptus non dedignatus est curam in se suscipere fugitivi ac furacis mancipii, quis nostrûm jure erubescat & respuat ejusmodi personarum ac negotiorum patrocinium? Alterum est, quòd servi in conversione tam promptâ atque mirificâ Onesimi non absque solatio paríque fiduciâ agnoscere possint, nulli mortalium, ac ne servo quidem fugitivo & improbo aditum ad gratiam,& vitam æternam esse præclusum, neque de ullius, quantumvis fraudulenti & perditi hominis salute unquam desperandum.

Ter-

Tertium eſt, pietatis prætextu ſervos non eſſe avellendos à dominis. Si enim Apoſtolus non obſtante veteri ſuâ neceſſitudine, & gratiâ, quâ pollebat apud amicum ſuum Philemonem, Oneſimum tamen ſibi tantopere utilem invito dominô retinere noluit, longè minùs id nobis licebit quibus nec eadem auctoritas, nec par ratio patrocinatur. Si ſervi probi & frugi, perſiſtendum illis in obſequio domini, ut & aliis exemplo ſint, ſi verò improbi, graviùs delinquunt excutiendo & reſpuendo ſervitutis jugum, hac enim ratione adverſariis religionis Chriſtianæ præbetur anſa eam ſugillandi ac perſequendi tanquam perniciosam regimini ac bono publico, quod exigit, ut ſervi ſervire pergant, quamdiu id dominis libuerit. Ultimum eſt, ſervos à dominis non ita inclementer & durè habendos, ſed ſi fidelitate ac diligentiâ præſtent, fovendos potiùs & debitâ humanitate complectendos, quod hoc maximè tempore, quo ſervitutis Romanæ antiquus rigor ſublatus & abolitus eſt inter Chriſtianos, maximè obſervandum, quandoquidem etiamnum plures eſt invenire dominos, qui in famulos & ancillas ſuas non deſpoticè ſolùm, ſed etiam barbarè ac more tyrannico deſæviunt, cùm tamen eodem ſanguinis Chriſti pretiô redempti ſint. Porrò epiſtolæ hujus admirandum artificium Græci expoſitores ſatis commendare nequeunt, ſumma enim in illâ dexteritas ac ſuavitas auctoris, viſque perſuadendi incredibilis & invicibilis apparet, cui vix parem inveneris in celeberrimis oratoribus. Operæ pretium videtur, ut eam per partes ſuccinctô commentariô enucleemus, atque mirificam Paulinæ eloquentiæ energiam oſtendamus.

Paulus vinctus JEſu Chriſti. Initiô ſtatim vincula ſua, quibûs pro Chriſti nomine conſtringitur, prætendit, & quodammodo oſtentat, ut Philemonem pro Oneſimo ſupplicaturus

 turus

turus ad misericordiam commoveat. Quis amabò potentior titulus viro Christianæ religioni addictissimo, & erga tantum Apostolum observantissimo allegari potuit?

Et Timotheus frater tam tuus, quàm meus in Christo, id est Christianus, omnes enim Christiani in symbolum eximiæ charitatis mutuæ omnes viros christianos vocabant fratres, omnes fœminas sorores, tanquam ex eodem patre, scilicet Christo, & matre scilicet Ecclesiâ genitos & genitas. Hunc ergò Timotheum tanquam deprecatorem sibi adjungit, ut duorum intercessio plus valeat.

Philemoni dilecto & adjutori nostro. Non ergò vitio verti poterat tanquam imprudens & temeraria sollicitatio hujus gratiæ, cùm confidentia ista ex arctissimâ necessitudine profecta fuerit. Præterea si Philemon pro suo zelo sociam operam Paulo jungit ad Evangelii promulgati amplissimam dilatationem, quomodo eidem repulsam dare poterit deprecanti pro Onesimo ejusdem Ministro? nunquid potiùs Apostolus rogandus erat, ut eum ad fidem conversum remitteret, quàm ut se difficilem ostenderet ad eum in gratiam recipiendum?

Et Appiæ sorori charissimæ, & Archippo commilitoni nostro. Uxorem quoque Philemonis Appiam, ejúsque singularem amicum Archippum salutando tacitè in partem supplicationis tanquam deprecatores quodammodò trahit, ùt eò promptiùs illi annuat ob charam eorum memoriam. Tanta erat charitas & sollicitudo Apostoli, ut unum homuncionem fugitivum domino suo reconciliaret.

Et Ecclesiæ, quæ in domo tuâ est. Etiam ad alios domesticos se convertit, quos non servos appellat, ne auditâ hac voce Philemon excandesceret ex recordatione fugitivi mancipii. Nuncupat illos Ecclesiam domesticam, siquidem professio Christianæ religionis, quantum attinet ad gratiarum & merito-

rito-

ritorum communionem, & unionem cum Christo Domino, qui semetipsum exinanivit formam servi accipiens, omnem inter dominos ac servos differentiam tollit.

Gratia & pax. Si vis, ut Deus tibi ignoscat, tecúmque in gratiam redeat, ad eandem admitte ignoscendo, & reconciliando te Onesimum.

Atque hoc est artificium tituli, quo benevolentiam captat: non minus autem est ipsius epistolæ. Ante omnia significat, se illius semper meminisse in orationibus suis: commendat illum à fidei constantiâ, & charitate, quam exhibet inopiâ, vel miseriâ corporali pressis Christianis, atque hac ratione sese insinuat, benevolúmque sibi reddere studet Philemonem, quasi diceret: cùm tantæ sis in omnes charitatis, eam in tuum Onesimum quoque ostende, eúmque in gratiam recipe. Postmodum ostendit, se tantam de illius probitate omnibus perspectâ concepisse æstimationem, ut sibi ferme polliceri ausit, se posse ab illo absque offensâ exigere per Christum, cujus legatum egit, quidquid æquitati, rationi, & legi Christianæ consentaneum judicarit, malle se tamen eum obtestari, ùt fratrem, cujus est rogare, non imperare, per canos suos & vincula, ut pœnitentem servum in gratiam recipiat. Hæc fiducia, suíque quodammodo correctio atque demissio Philemonem magnopere devinciendi & permovendi vim habet, & terminum *imperandi* emollit, qui aliàs videri ei poterat paulò durior & asperior. Verbum *obsecro* à sene & captivo pro nomine JEsu Christi profectum magnam quoque energiam habet, & non modicum authoritati pondus adjicit.

Pro meo filio post longas insinuationes quasi paratâ jam viâ tandem hic proponit suam petitionem, & dissimulato

servi nomine ex prædicato, quod Onesimo tribuit, satis ostendit, quàm sibi charus sit & acceptus.

Quem genui in vinculis, nempe per fidem, circumstantia hæc novam significat amicitiæ accessionem, ac necessitudinem, cujus intuitu non solùm veniam promereatur, sed etiam ratione tam chari simúlque afflicti, sollicitíque parentis aliquam observantiam.

Qui tibi aliquando inutilis fuit. Fatetur hîc ejus culpam, eámque hoc termino quodammodo extenuat non silendo damnum, quod ipsi fugâ, furtóque intulerat.

Nunc autem mihi & tibi utilis, si enim Apostolo in carcere detento obsequium præstitit, multo magìs id præstabit domino suo tanquam Christianus, adeóque liberaliùs fideliúsque serviturus.

Quem remisi tibi. Tum ut ejus indignationem penitus sopiat, peræ grè enim domini ferunt, si rogentur pro gratiâ servis fugitivis necdum reversis præstandâ, tum ut ostendat, servos fugitivos jure justitiæ heris suis esse restituendos, séque suam prope necessitatem Philemonis utilitati posthabere.

Tu autem illum, ut mea viscera suscipe. Postquam illum filium suum appellaverat, nunc viscera propria nuncupat (sunt enim filii pars viscerum matris) ut maternum atque tenerrimum amoris affectum luculentiùs exprimeret, & Philemonem ita induceret ad eum benignè & depositâ indignatione recipiendum: quasi diceret: tu illum tanquam meipsum suscipe, jam enim illum per intimam charitatem in mea viscera recepi, ut unus mecum factus sit, ut proinde & tibi tanquam alter ego pari charitate suscipiendus sit, & amplectendus, in quibus verbis mira sanè est efficacia.

Non

Non enim utique poterat in Pauli viſcera ſævire Philemon, aut durius aliquid committere.

Quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi miniſtraret in vinculis. Itaque tibi poterit impoſterum deſervire me in vinculis relictô,& ejus obſequiis deſtituto, quamvis enim non dubitem, quin ipſe, ſi Romæ eſſes, hoc officium mihi libenter eſſes impenſurus, majorem tamen tui, quàm mei rationem habere volui.

Sine conſilio autem tuo nihil volui facere. Iterum innuit, ſe jure potuiſſe ob ſuam imò Eccleſiæ neceſſitatem ex præſumptione ejus conſensûs Oneſimum retinere, ſed noluiſſe, quia videbat non expedire, ut hac ſuâ poteſtate quodammodo abuteretur, præſtare enim, ut quidquid de eo remiſſo ac recepto boni ſtatuerit, id non tam ex neceſſitate profectum, quàm ſpontè ac liberâ voluntate factum, adeóque magìs meritorium ſit.

Forſitan enim ita diſceſſit ad horam à te, ut æternùm illum reciperes. Denuo Oneſimi culpam his verbìs extenuat,quaſi non tam fugâ fugerit, quàm ſeceſſu modici temporis, quò ita diſponente provido Deo ſeſe recolligens,& in alium hominem mutatus ad dominum, longè melior atque utilior rediret, tibi pepetuò ſpiritu Chriſtiano adhærens non tantùm ùt ſervus temporaneus, ſed ùt frater chariſſimus & mihi & tibi non tantùm in hoc mundo, ſed & in Domino, quem ùt communem nunc parentem agnoſcimus, adeóque ut cohæres æternùm in cœlis.

Si ergò me habes, ùt ſocium, nempe amicum, *ſuſcipe illum ſicut me.* Concludit petitionem cum appoſitâ conditione ſinè perquam efficaci, ut ſi poſtulationi annuere nolit, periclitari videatur ſocietas amicitiæ, quæ Philemoni erat cum Paulo. Addit, *ſicut me*, non quòd velit eum tanto honore ſuſcipi, quan-

to ipse à Philemone susciperetur, sed ut significet, eam rem tam sibi gratam fore, atque si in ipsius personam collatum fuisset beneficium, aut certè rogat, ut in Onesimo recipiendo non consideret, qualis antè fuerit, sed qualis jam sit, nempe filiùs & frater Pauli, & quodammodo ipse Paulus. Addit: *Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa,* id est, damnum omne ac debitum in me transcribe, in me illud recipio, à me volo reposcas, me pro illo sponsorem facio. Studiô abstinet terminô *furti*, sed mitiori & generali voce debiti utitur, quasi amico amicus ingenuè noxam admissam ab Onesimo fassùs. Demum indicat, se præter morem hanc epistolam propriâ manu exarasse, cùm aliàs amanuensibûs uteretur ob negotiorum molem, tum ut chirographum suæ fidejussionis haberet Philemon, tum ut ostenderet, quàm sibi cordi hoc negotium haberet, quantúmque Philemonem honoraret & diligeret tantus Apostolus.

Ut non dicam tibi, id est, sileo jam & sepono validiorem machinam, quâ possem elidere, quidquid hic est debiti, imò ex creditore possem te mihi debitorem ostendere, nam *& te ipsum mihi debes* per mè conversus ad Christum. Quantillum verò est, quod ab Onesimo tibi debetur, præ hoc debito tuo, quo totus tu ipse mihi obstringeris?

Refice viscera mea in Domino. Quasi diceret: me intimè refice, & recrea hoc beneficio, quo nullum mihi accidet jucundius. Si hoc mihi præstiteris, cor meum miro gaudiô delinies in Domino, si tu Onesimum reficias in Domino, seu propter Dominum.


Confidens in obedientia tuâ non utitur verbô imperandi aut auctoritate superiori, sed precibûs, quasi diceret: promptitudo tua mihi probè cognita facit, ut planè confidam me

impe-


impetraturum, quod his litteris efflagito, quoniam etsi præciperem, obedires.

Sciens, quoniam & super id, quòd dico, facies. Sic secundùm Deum laudatus ex merito à tanto viro Philemon, quid aliud poterat facere, nisi ut placatus annueret tam blandis & eloquentibus postulatis?

Simul autem & para mihi hospitium. Ultimum nunc arietem admovet, spem nimirum adventûs sui utique gratissimi, quâ eum disponit, ut tantò promptiùs suis precibûs moveri se sinat, ne aliàs Onesimo ansam præbeat conquerendi, & ipse propterea dominus reprehensionem & offensionem incurrat Apostoli. Prolixiùs aliquantùm immoratus sum enucleando artificio hujus epistolæ, ut illi, qui in Divi Pauli epistolis majorem facundiam, & ornatum ac splendorem requirunt, vel ex hac unicâ colligant, illum artem ac vim persuadendi minimè ignorâsse.



PARA-



PARAPHRASIS EPISTOLÆ D. PAULI APOSTOLI AD PHILEMONEM.

CAP. I.

1. *Paulus vinctus Christi JEsu, & Timotheus frater: Philemoni dilecto, & adjutori nostro.*

2. *Et Appiæ sorori charissimæ, & Archippo commilitoni nostro, & Ecclesiæ, quæ in domo tuâ est.*

3. *Gratia vobis, &*

1. PAulus vinctus ob fidem Christi JEsu, & Timotheus frater Philemoni dilecto & collegæ nostro in fidei & religionis christianæ promotione. 2. Et Appiæ mihi percharæ, & commilitoni nostro Archippo, & universæ tuæ domesticæ familiæ. 3. Gratiam & pacem à Deo Patre nostro, & Domino JEsu Christo precan-

precantur. 4. Equidem Deo immortali, quem religiosè colo, ingentes gratias ago, tuíque in meis precibus assiduam mentionem facio, 5. cùm præsertim multorum sermone celebrari audiam charitatem tuam singularem ac fidem, cujus non vulgaria erga Dominum JEsum, omnèsque fideles ac sanctos documenta præbes excellentissimis operibûs misericordiæ, in dies magis magísque passim inclarescentis, ut nemo dubitare possit de fidei soliditate, unde ea proveniunt sanè quàm plurima per Christi gratiam, & ex singulari in eum affectu, quâ in re tibi perinde ac aliis tuis in vineâ Domini adjutoribus adoranda venit Liberatoris nostri ineffabilis bonitas tanquam scaturigo omnis honestæ ac laudabilis actionis. 7. Equidem quando meipsum pro ejus nomine vinctum ac patientem considero, vincula mea exosculor non absque liquido animi solatio, quod mirum in modum aliunde augetur, dum intelligo tuam in Deum charitatem inprimis excellere, tuæque beneficentiæ ac liberalitatis fontes sanctis omnibus semper patère, quo fit, ut illi incredibili te benevolentiâ complectantur,

pax à Deo Patre nostro, & Domino JEsu Christo.

4. *Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis,*

5. *Audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino JEsu, & in omnes sanctos:*

6. *Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis operis boni, quod est in vobis, in Christo JEsu.*

7. *Gaudium enim magnum habui, & consolationem in charitate tuâ: quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater,*

8. *Propter quod multam fiduciam habens in Christo JEsu imperandi tibi quod ad rem pertinet:*

9. *Propter charitatem magis obsecro, cùm sis talis, ut Paulus senex, nunc autem & vinctus JEsu Christi:*

10. *Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo.*

11. *Qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi, & tibi utilis,*

12. *Quem remisi tibi. Tu autem illum, ut mea viscera suscipe:*

plectantur, & nihil non sibi de tuâ munificentiâ polliceantur. 8. Quapropter tametsi non ignorem, multâ me posse confidentiâ atque libertate uti, próque meo munere, quod æquitatis, & officii ratio postulat, præcipere atque imperare, 9. ut tamen discretæ charitatis officio satisfaciam, rogare atque obsecrare malo non tantùm ùt frater fratrem, sed etiam ùt ætate gravis, & quod caput est, ob Christi JEsu nomen fidémque vinculis adstrictus: da ergò hoc senio meo levando, da leniendis vinculis meis Christi causâ injectis. 10. Neque verò qualibet de causâ, sed pro filio meo Onesimo, quem dum in carcere detinerer, Christo Domino aggregavi, hoc ipso nomine te etiam atque obtestor. 11. Qui tibi aliquando, ut fateor, parùm utilis fuit & commodus, nunc autem talis est, ut ab eo tanquam in alium mutato utilitatem meritò exspectes, mihi autem utilis per obsequia, levamen ac solatium, quod carcere detento præstitit. 12. Illum igitur ad te remisi, ne ex merito aliàs conqueri posses, unà cum hac epistolâ commendatitia: tu fac illum benignè, amicéque excipias, ut qui

nôris.

noris, eum mihi intimè in animo infixum hærere, ut eum poſſis meum cor, meam animam appellare. 13. Quem ego quidem vehementiſſimè cupiebam apud me retinere, ut pro te mihi Evangelii causâ in vincula conjecto, utì hactenus fecit, ſedulò miniſtraret. 14. Sed absque ſcitu conſenſúque tuo nihil auſus ſum facere, ne hoc à te beneficium velut neceſſitate quadam extorquerem, ſed ſponte potiùs tuâ amicéque impetrem. 15. Veniebat etiam in mentem, divino fortaſſe conſiliô factum eſſe, ut ad breve tempus à te recederet, quò illum ad te redeuntem perpetuò retineres, 16. et quidem non jam ùt ſervum, ſed longè præſtantiori conditione, quàm ſervum, nempe fratrem dilectum & mihi præcipuè charum, quantò autem magìs tibi, cui humano divinóque jure obſtrictus degit, cujus etiam fidei rerum temporalium curam longè ſecuriùs nunc comittere vales, tanquam fratri ex affectu & ſpiritu Chriſtiano fideliſſimè tibi adhæſuro. 17. Itaque ſi me amas, ſique putas, Chriſtianam fidem, & noſtræ religionis ſacra nobis eſſe communia, illum quæſo, tanquam meipſum, ſuſcipe.

13. *Quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi miniſtraret in vinculis Evangelii:*

14. *Sine conſilio autem tuo nihil volui facere, utì ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium.*

15. *Forſitan enim ideò diſceſſit ad horam à te, ut æternùm illum reciperes:*

16. *Jam non ùt ſervum, ſed pro ſervo chariſſimum fratrem, maximè mihi: quantò autem magis tibi, & in carne, & in Domino?*

17. *Si ergò habes me ſocium, ſuſcipe illum ſicut me:*

18. *Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa.*

19. *Ego Paulus scripsi meâ manu: ego reddam ibi, ut non dicam tibi, quod & te ipsum mihi debes:*

20. *Ita frater, Ego te fruar in Domino: refice viscera mea in Domino.*

21. *Confidens in obedientiâ tuâ scripsi tibi: sciens, quoniam & super id, quod dico, facies.*

22. *Simul autem & para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis.*


cipe. 18. Quòd si quâ ratione te aut fortunas tuas læsit, ac propterea tibi aliquid debet, damnum omne ac debitum à me repete, méque pro illo sponsorem accipe. 19. Cujus sponsionis hoc chirographum has litteras manu meâ propriâ perscriptas tibi mitto. Noli itaque diffidere. Debitum omne præstabo integrum: ut nihil dicam, quod tamen verè possum affirmare, debere te mihi etiam teipsum, utpote prædicatione meâ factum Christianum, & è servitute diaboli ereptum ac libertate filiorum Dei donatum. 20. Sic profectò res se habet. Pro tanto autem debito tuo illud unum postulo, hanc consolationem mihi in vinculis indulgere velis, ut amore Dei ter Optimi Maximi, quem ambo veneramur, ignoscere digneris Onesimo mihi longè charissimo. 21. Equidem cùm mihi plurimùm de tuâ in me benevolentiâ atque obsequendi studio pollicerer, fidenter ad te scripsi, ratus me plura abs te impetraturum, quàm ausus essem postulare, 22. simul autem moneo, ut apud te mihi pares hospitium, spero enim fore, ut vestris precibûs non ita multò post vinculis solutus vestro jucundissimo

fruar conspectu. 23. Salutat te
Epaphras, qui unà mecum pro
Christi nomine detinetur in vincu-
lis, 24. Marcus, Aristarchus, De-
mas, Lucas adjutores mei. 25.
Gratia Domini nostri JEsu Christi
sit cum spiritu vestro.

AMEN.

*23. Saluta te Epaphras
concaptivus meus, in
Christo JEsu,*
*24. Marcus, Aristar-
chus, Demas, & Lucas
adjutores mei.*
*25. Gratia Domini
nostri JEsu Christi cum
spiritu vestro. Amen.*





ARGUMENTUM
EPISTOLÆ
D. PAULI APOSTOLI
AD
HEBRÆOS.

INtentio Apoſtoli in hac Epiſtolâ ad Hebræos inſcriptâ, qui Chriſto nomina dederant, & adhuc in Judæâ degebant, eò potiſſimùm collimat, ut inprimis cum lege Domini noſtri JEſu Chriſti Legem Moſaicam, ejúsque obſervantias ne commiſceant, neque internam ſanctificationem ac perfectam juſtitiam à victimis legalibus, ſed à ſolo ſacrificio Chriſti Domini exſpectent, & quò majorem de iſtius dignitate atque efficacia, quo vetera abolita erant, concipiant æſtimationem, luculenter agit de novo ſacerdotio filii

filii Dei, ejúsque prærogativas, & excellentias præ illo Melchisedechi & Aaronis diligenter enucleat, eum nimirum in finem, ut Hebræi Mose, legéque veteri penitus omissis uni Christo adhærescerent, à quo non modò gratiam & justitiam, sed ipsam etiam beatam vitam aliquando essent consecuturi. Parte alterâ hortatur eos ad perseverantiam in fide Christi semel susceptâ, qui quòd à suis magistratibus permissum Romanorum præsidum propter Christi fidem, & à lege Moysis defectionem quasi apostatæ bonis suis spoliarentur, variísque modis divexarentur, consolandi, & erigendi erant tum exemplis suorum Majorum, qui extrema quæque passi fuerant, tum commemoratione divinitatis Christi, cui tanquam magistro de cœlo misso adhæserant, tum etiam excellentiâ supernæ remunerationis, ipsis destinatæ, ne fortè animos despondentes aut prementibus, aut impendentibus malis ab instituto se revocari paterentur.

Epistola hæc nomen Pauli non præfert, uti reliquæ, quod nonnullis ansam præbuit suspicandi, quasi Paulina non esset: sed prudenter illud omissum magni viri observant, eò quòd cùm Hebræis scriberet, qui sinistram de eo opinionem imbiberant, quasi nimis præfervido persecutore atque adversario legis antiquæ, quam ipsi ob reverentiam antiquitatis mordicus adhuc propugnabant, eos appositâ nominis sui minùs grati inscriptione absterrere noluerit à lectione. Altera ratio datur, quia Paulus non Hebræorum, sed Gentium Apostolum ac magistrum se profitetur, ideóque noluit pro more sic incipere epistolam. Paulus Apostolus, sed absque titulo nudam exponere doctrinam. Tertiam adjiciunt, quoniam Paulus Chri-

stum

ſtum Dominum appellaturus erat Apoſtolum novi Teſtamenti, noluiſſe illum eundem titulum ſibi aſſumere, ne videretur ſeipſum aliquâ ex parte cum Chriſto conferre, quem etiam Angelis longè ſuperiorem eſſe deprædicabat. Poſtremò dici poteſt, ideò omiſſam ſalutationem vel nominis inſcriptionem, quòd illa ob ſuam prolixitatem ſcripta ſit per modum libri, non per modum epiſtolæ, quæ tamen ratio tribûs prioribus minùs videtur efficax & probabilis.

Cap. 1. Divinæ Chriſti perſonæ dignitatem atque excellentiam declarat, multáque ſacrarum litterarum teſtimonia de illius divinitate interpretatur, unde manifeſtè conſequitur, eum Moyſi, Prophetis, ipsíſque Angelis, adeóque legem illius legi Moyſis per Angelos datæ longè præſtare, ut enim alia teſtimonia brevitatis causâ prætercam, an non Angeli Chriſtum Dominum recèns natum adorârunt ut filium Dei unigenitum, ejus hæredem ac vivam imaginem, ùt conditorem, & gubernatorem ſæculorum, rerúmque omnium creatarum, ùt regem ſuum infinitâ majeſtate ac poteſtate præditum, qui etiam ùt homo primogenitus eſt omnis creaturæ, redemptor generis humani, ſedétque à dextris Dei, cùm Angeli ſint tantùm ejus miniſtri, unde concludit legem ejus religiosè ſervandam, alioquin illius ipſius ùt ſupremi Judicis vindicem manum non effugiemus.

Cap. 2. oſtendit, legem Chriſti confirmatam eſſe multis miraculis, & donis Spiritûs ſancti. Deinde Eccleſiam tum militantem, tum triumphantem non Angelis, ſed Chriſto Domino ùt Capiti ſubjectam eſſe. Denique ut ab Hebræorum mentibus ſcandalum crucis Chriſti omnino amoveat,

amoveat, iisque non adeò mirum & absurdum videatur, Christum mortalem Angelis impassibilibus longè præferri, multis docet, omnino decuisse illum pati & mori, atque ita fratribus per omnia assimilari, & compati, cum ut homines in peccatum prolapsos à dæmonis, ipsiúsque peccati servitute in libertatem filiorum Dei assereret, tum ut gloriam Patris cœlestis satisfactione condignâ exaltaret, ejúsque tum justitiæ rigorem, tum bonitatis infinitæ divitias tantâ sui demissione, obedientiâ, ac patientiâ luculentiùs ostenderet, tum ut arctissimâ utriusque in unâ personâ naturæ divinæ & humanæ conjunctione apud eum mediatorem pro nobis idoneum ageret, quippe per omnia tentatum, ac miseriis nostris eò magis condolentem, dignissimúmque qui pro reverentiâ infinitæ suæ dignitatis exaudiatur.

Cap. 3. Christus ùt Dominus præ Moyse famulo audiendus est ultor alioquin futurus incredulis: Moyses enim in synagogâ fidelis tantùm servi partes explevit, exequendo diligenter & edocendo voluntates Domini, Christus autem in Ecclesia est, ùt filius in domo suâ, in quo solo ùt auctore omnis gratiæ ac gloriæ collocandæ sunt spes nostræ, si velimus cum ipso triumphare in cœlis, secùs inde certò certiùs excludendi, si à fide Christi deficiamus, quemadmodum patres nostri jam ægyptiacâ servitute prodigiosè liberati ob incredulitatem suam terrâ promissâ exclusi sunt.

Cap. 4. id ipsum argumentum prosequitur, & requiem promissæ olim Palæstinæ cum cœlesti ac perenni beatitudine comparat, quam die septimo quieti destinato significari affirmat, & ad illius possessionem invitat alludens ad Jesum Nave, qui terram populo distribuit: id multò

tò meliùs factum esse à JEsu Christo docet, qui primus ad illam cœlestem patriam aditum suo sanguine reseravit. Postmodum deficientibus à Christo iteratò minatur exclusionem à requie æternâ, quæ comminatio non inanis & vana est, sed efficax ac penetrabilior acutissimo gladiô, vindéxque apostasiæ. Demum hortatur, ut Christum Dominum æquè imò magìs ac ipsos tentatum per omnia, ipsísque propterea tenerrimè compatientem fidenter adeant, & invocent.

Cap. 5. transit ad explicandum uberiùs Christi sacerdotium, docétque eum & à Deo Patre constitutum Pontificem fidei, quam profitemur, & verè ea præstitisse, quæ sunt sacerdotis præsertim in cruce, ubi preces & supplicationes pro se & pro salute nostrâ Patri obtulit, & ratione suæ dignitatis tanquam filius ejus dilectissimus exauditus est, consummatúsque per mortem crucis, factus omnibus obtemperantibus causa salutis æternæ, & sempiternum habens sacerdotium secundùm ordinem Melchisedech longè præstantius illo veteri uni tribui Leviticæ permisso. Sub finem digreditur ad increpandum eos, quòd in primis fidei rudimentis adhuc hærerent ùt pueri, nec ad perfectiora contenderent.

Quod argumentum acriùs prosequitur cap. 6. denuntians periculum, ne penitus abjiciantur, nisi majori studiô connitantur ad profectum fidei, divinámque gratiam in baptismo acceptam, quo velut imbre animus aliàs exsuccus, ac sterilis irroratur, diligentiùs custodiant: magnopere enim Deo injuriosos, & invisos esse, qui post tot tantáque ejus beneficia in flagitia rursus prolabuntur, Deíque filium denuo in seipsis crucifigunt ac despectui habent, quasi eadem vis esset pœnitentiæ, quæ baptismi, eadém-

eadémque facilitate remittantur culpæ pœnæque gravissimæ iteratis peccatis debitæ. Subin fideles ad constantiam, spem, patientiam, longanimitatem animat, neque enim de divinâ pollicitatione & auxilio diffidendum, cùm Abraham longanimi patientiâ ac spe firmissimâ ea exspectans, quæ sibi promiserat, & juraverat Deus, ea tandem adeptus sit.

Cap. 7. Sub finem præcedentis capitis docuerat, Christum esse Pontificem secundùm ordinem Melchisedech, idcirco, quæ de isto in sacris litteris traduntur, Christo eleganter accomodat, ostendens, quibus in rebus Melchisedech gesserit typum Christi, 1. quia Abraham, qui fuit Pater Levi & Aaronis, decimas dedit Melchisedech, quasi suo Pontifici, adeóque superiori & typo Christi. 2. Quia Melchisedech benedixit Abrahæ, & consequenter Aaroni. 3. Quia Melchisedech sine patre & matre, quasi æternus inducitur, cùm Aaronici sint temporanei. 4. Quia sacerdotium Christi tanquam perfectius efficaciúsque successit Aaronico, ut expleret ea, quæ illi deerant. 5. Non Aaronis sed Christi sacerdotium promissum est à Deo cum solennitate jurisjurandi. 6. Christus est immortalis, & sempiternus, Aaronici non item. 7. Christus uno sacrificio omnia expiavit, Aaronici multis sacrificiis ne unum quidem peccatum expiant. Novi porrò sacerdotii ratio ac præstantia legis quoque mutationem sibi adjunctam habet, major enim pars legis occupatur in iis decernendis, quæ sacerdotes concernunt v. g. de qualitatibus sacerdotum, de ritibus initiationis & expiationis, de victimis, de victu, de amictu de ministris, de opibus eorundem &c. quæ si abrogentur legem quoque abrogari necesse est, *translato igitur sacerdotiô necesse est, ut legis quoque fiat translatio,*

ſiquidem hæc duo, lex & ſacerdotium indivulsè conjuncta ſunt, neque à ſe invicem ſeparantur, ac proinde non jam ampliùs à Moyſe, ſed à Chriſto ſupremo tum Pontifice tum Legislatore legem accipimus, quæ cordibus noſtris per Spiritum ſanctum inſcribitur.

Cap. 8. eidem argumento inſiſtit ſacerdotem cum ſacerdote, ſacrificium cum ſacrificio, tabernaculum cum tabernaculo componens. A ſacerdotio tranſit ad Teſtamentum, ſeu legem, docétque veterem æquè ac ipſum ſacerdotium antiquatam eſſe propter ſuam imperfectionem atque inſufficientiam ſubſtitutâ novâ lege longè nobiliori, quæ non in tabulis lapideis ſcripta ſit, ſed in corde & mente, & à Deo ipſo condiſcatur ſecretâ & ineffabili unctione Spiritûs ſancti.

Cap. 9. Hactenus ex Pontifice, ſacerdòtio, & teſtamento veteri demonſtravit Apoſtolus legem antiquam ceſſare debuiſſe, & cedere Chriſto, ejúsque legi ſanctiſſimæ tanquam umbram corpori, nunc idem comprobat ex fabricâ & ſignificatione tabernaculi, quod erat figura Eccleſiæ Chriſti. Primò ergò deſcribens formam & vaſa tabernaculi docet, Pontificem veterem ſemel in anno cum ſanguine hircorum introeuntem in ſancta ſanctorum ſignificâſſe Chriſtum, qui per ſanguinem ſuum ingreſſus in cœlum, illud reſeravit, & redemptione copioſiſſimâ nobis æternam gloriam comparavit. Poſtmodum oſtendit Chriſtum eſſe mediatorem novi Teſtamenti, ſive fœderis & pacti inter Deum & homines Chriſtianos initi, cùm in eo tam partes Dei, quàm hominum egerit, Dei quidem, ejus juſtitiæ per peccata noſtra læſæ per proprium ſanguinem & mortem ſatisfaciendo, hominum verò, eorum cauſam agendo tanquam advocatus, ac legatus ob naturam communem à ſe amore noſtri aſſump-

tam

tam majori utique efficaciâ, quàm in veteri testamento, ubi illud sanguine tantùm hircorum sancitum & confirmatum fuit. Tertiò docet Christum peractâ hîc in cruce redemptione nostrâ debuisse cœlum ingredi & reserare, ut ibi ad dexteram Dei residens interpellet pro nobis, eloquentissimâ quinque suorum vulnerum exhibitione advocatus perpetuus, & impetratâ tot noxarum remissione locum nobis in cœlo præparet.

Cap. 10. ostendit, non Aaronicas vel legales hostias etsi innumeras, sed unicam Christi in cruce oblationem tollere & expiare quæcunque etiam gravissima mortalium omnium flagitia. Tum à dogmatibus ad mores transiens graviter eos admonet, ne talem ac tantum Pontificem per infidelitatem abjiciant, ut ne divinam adversùm se provocent ultionem tantò utique graviorem, quantò majora sunt in eos collata beneficia. Mox tamen eos in spem ac fiduciam rursus erigit, commemoratione bonorum operum, quæ per Dei gratiam hactenus exercuêre, ac promissione secuturæ post modicum tempus æternæ retributionis.

Cap. 11. Sub finem præcedentis capitis dixerat, justum ex fide victurum: jam docet, quid sit fides, qui illius fructus, quanta efficacia allatis in medium exemplis antiquorum Patrum ac heroum Veteris Testamenti, qui per fidem ac spem cœlestis gloriæ excitati & animati magna planè & mira vel egerunt vel sustinuerunt.


Cap. 12. Exemplô tot sanctorum, præcipuè verò Christi Domini hortatur Hebræos ad tollerantiam ac patientiam in adversis, útque persecutiones, quasi disciplinam Dei paternam libenter excipiant. Tum exemplô Esau, qui vili escâ vendidit sua primogenita, & reprobatus est, urget eos, ne ob lucra temporalia fidem gratiámque Christi deserant &

quodammodo vendant, ideóque reprobentur tantò graviùs puniendi, quantò lex nova data in Sion prævalet ac præstat legi veteri datæ in monte Sinâ. Denique minas iteratò iis intentat assimilando Deum vindicem igni devoranti & consumenti celerrimè omnia.

Cap. ultimo morum doctrinam prosequitur, ad charitatem & misericordiam præcipuè excitat, temperantiam & castitatem comendat, avaritiam detestatur, & id genus alia præcepta tradit, quibûs ad benè beatéque vivendum Hebræos instituit de eorum in fide Christi constantiâ præsertim sollicitus. Denique imploratis eorum pro se orationibûs benè eis precatus salutationibûs de more epistolam claudit.



PA-



PARAPHRASIS EPISTOLÆ D. PAULI APOSTOLI

AD

HEBRÆOS

CAPUT I.

1. DEus ter Optimus Maximus, qui neque Angelorū ministeriô, neque hominum cultu indiget, in Majores ac Progenitores nostros multos favores contulit suæ Majestatis propemodum oblitus, ut non dubiis argumentis suum in eos singularem amorem, ac benevolentiam testaretur. Si tamen rem æquâ lance ponderare velimus,

1. *Multifariàm multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis novissimè,*

limus, longè pluribus nos ſibi nominibûs obſtrinxit, majoríque nobiſcum munificentiâ ac propè familiaritate egit: ſi quando enim illis ſuam mentem ac voluntatem ſignificare, vel cum illis in alloquium quoddam ſeſe demittere dignabatur, non niſi per ſubmiſſos ſui locô prophetas tanquam miniſtros ſuos id præſtare conſueverat, quibus neque omnia uno eodémque tempore, neque eâdem perſpicuitate ac claritate, neque iiſdem ænigmatibus ac figuris involuta, ſed multis variíſque modis, rerum ſimulacris ac formis, per partes & vices, nunc his iſta, nunc aliis alia progreſſu temporis myſteria pandebat ac mandata perferenda dabat. 2. Poſtremis autem hiſce temporibûs, quibûs nos in filios clementiſſimè adoptare dignatus eſt, non ampliùs per ſomnia, nec per viſiones, nec per ænigmata, ſed clariùs & apertiùs locutus eſt nobis per ipſum filium ſuum unigenitum mortalitate noſtrâ indutum, arcanorum omnium conſcium, & abſcondita à conſtitutione mundi eructantem, legem Evangelicam totam ſimul & ſemel per unum illum nobis conſignans, quæ gratia adeò eximia eſt, ut

2. Diebûs iſtis locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula:

ut omnem intelligentiam ac æstimationem nostram superet, & menti nostræ assiduè obversari debeat tanquam causa nostræ salutis, ac fundamentum perennis felicitatis. Ut porrò de ejus præstantiâ altiorem ac perfectiorem ideam concipiamus, consideranda nobis est attentiùs dignitas illius, cujus adventum priscorum vatum veluti cohors præcurrere debebat, filii, inquam, cælitùs ad nos delati, per quem illam consequimur, quo de argumento luculentiùs vobiscum agam in hac epistolâ. Scitote ergò, huic divino suarum voluntatum interpreti Deum supremum dominium ac potestatem in omnes gentes ac nationes contulisse secundùm humanam naturam, secundùm divinam verò per illum condidisse omnia, quæ cœli terræque ambitu continentur, ac tempori subjiciuntur. 3. Cogitate Deum solem esse nulli eclypsi vel occasui obnoxium, JEsum Christum tanquam Verbum Patris increatum & æternum suapte naturâ splendorem illius esse nec tempore nec dignitate posteriorem, in quo tanquam lucidissimo speculo non similitudine purâ, sed unitate naturæ identicâ

3. Qui, cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portánsque omnia verbô virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Majestatis in excelsis:

ticâ refulgeat divina Patris Majestas alioqui immensa & inaspectabilis, & veluti character, atque insculpta forma, & imago viva illius divinæ hypostasis, quíque omnia tanquam verus Deus præpotenti suâ virtute præcontineat, támque diversa corpora, ex quibus orbis universus componitur, gubernet, moveat, sustentet, absque ullâ sollicitudine, molestiâ, & difficultate, solo nutu jussúque, sicut ea solâ potentia è nihilo procreavit, quo fulcrô sublato omnia statim in nihilum suum reverterentur. At verò pluris ipsi constitit expiatio nostrorum scelerum, nempe & asperrimis vitæ suæ mortalis molestiis, atque incommodis, & acerbissimis passionis ac mortis suæ doloribus, angustiis, opprobriis; hæc autem omnia cesserunt in amplissimam ejus gloriam ac felicitatem, síque olim stare visus est ùt reus coram tribunalibus impiorum & iniquorum judicum, at nunc ad dexteram excellentissimæ illius divinæ Majestatis sedet in excelsis cœlorum palatiis. Hæc sedes, quæ nobis ob oculos ponit stabilitatem regni sui, & immensitatem suæ potentiæ, debetur ejus dignitati absque

que omni controversiâ, neque ullâ unquam vi ac potestate convelli poterit. 4. Ipse siquidem tantò præstantior ipsis etiam beatissimis mentibûs effectus est (in quantùm homo) ac declaratus, quantò excellentius præ illis adeptus est nomen ac dignitatem jure hæreditario nempe naturalis & unigeniti filii Dei ratione personæ, 5. eccui enim ex Angelis dixit unquam Deus: filius meus es tu, ego genui te. Intellige generationem primam ab æterno, ac rursum: ego ero ei pater, & ipse erit mihi filius, loquendo de alterâ generatione in tempore secundùm carnem, secundùm quam non desinit esse Dei filius. 6. Ne autem ulli exceptioni aut replicæ detur locus, en alterum argumentum: cùm Deus in orbem terrarum induceret primogenitum suum, qui ut plures haberet fratres, immenso divini amoris excessu carnem nostram mortalem, pluribúsque infirmitatibus obnoxiam assumere voluit, secundùm Prophetam regium: adorent, inquit, eum omnes Angeli Dei, utique ùt Deum ac Dominum suum, præcellentior enim est, qui adoratur, quàm qui adorare jubetur.

4. Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit.

5. Cui enim dixit aliquando Angelorum: filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium? ps. 2.

6. Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei. ps. 96.

7. Et ad Angelos quidem dicit: qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. ps. 103.

7. Jam verò quid de angelis dicat, audiamus: qui mentes illas beatas ac corporis expertes ventis agilitate ac velocitate, igni verò subtilitate atque vi operandi persimiles quasi internuntias suas facit, & divinorum suorum consiliorum administras, ut nimirum summâ cum promptitudine mandata ejus quoquoversum perferant, & efficacissimè exequantur.

8. Ad filium autem: thronus tuus Deus in sæculum sæculi: virga æquitatis virga regni tui. ps. 44.

8. Ad filium autem ea pertinet oratio: thronus tuus, O Deus in sæculum sæculi, sceptrum regni tui est omni ex parte æquissimum, sive prœmies, sive punias, quæ sanè omnia non ministro cuipiam, sed ipsi supremo cœli terræque principi conveniunt.

9. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleô exultationis præ participibus tuis.

9. Tum subdit: dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te, O mi Deus, Deus tuus, pater nimirum æternus oleô exultationis, gloriæ nimirum ac divinitatis suæ ultra consortes tuos, ac cohæredes.

10. Et: tu in principio Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli. ps. 101.

10. Quò autem magìs stabiliatur & elucescat ejus divinitas ac præcellentia supra omnes Angelos, novum argumentum sacra Scriptura suppeditat ex creatione cœli ac terræ, quæ utique soli Deo non Angelis competit: tu initiô Domine u[t]

immobi-

immobilis esset ac stabilis terram fundâsti, & opera manuum tuarum sunt coeli. 11. Ipsi peribunt (non quidem secundùm substantiam, sed qualitates innovandas, uti ex seqq. patebit) tu autem permanes, & omnes ùt vestimentum (quo operitur terra, longo usu ac motu attritum) veterascent, 12. ac velut amictum circumvolves illos, & mutabuntur nempe novo splendore, & elegantiori formâ extrinsecâ; tu autem idem es, ab æterno, & anni tui non deficient in æternum, quibus verbis haud obscurè indicatur divini Verbi, per quod omnia facta sunt, cuique assumptio naturæ humanæ nihil adimere vel derogare potuit, excellentia infinita supra omnes res creatas. 13. Ad quem enim Angelorum dixit unquam: sede ad dexteram meam, usque dum ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, quod sanè fiet extremo die judicii universalis. Alloquitur in hoc psalmo 109. Pater cœlestis Filium suum nostrâ mortalitate circumdatum, eíque supremum quemdam honorem ac dignitatis gradum pollicetur, ut secum videlicet regnet, & Ecclesiæ cum summo imperio

11. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ùt vestimentum veterascent:

12. Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

13. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?

perio præſit, quod nulli planè Angelorum convenit.

14. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis?*

14. Quippe qui tantùm ſpiritus ſunt ad obſequia Chriſti deputati, ut tanquam ejus adminiſtratores, & officiales aulæ cœleſtis, ſi quando mittantur in terras (mittuntur autem omnes ſine exceptione) mortalium ad æternam & immortalem gloriam vocatorum ſalutem procurent, illíſque quà conſiliô quà auxiliô opportuno adſint decertantibus cum ſuis adverſariis, donec coronam cœleſtem victoribus promiſſam atque ab æterno deſtinatam conſequantur.

PARAPHRASIS

CAP. II.

1. *Propterea abundantiùs oportet obſervare nos ea, quæ audivimus, ne fortè pereffluamus.*

1. QUæ cùm ita ſint, vel ſola dignitas, & excellentia illius, per quem nos erudire Deus voluit, ſuámque voluntatem declarare, ritè conſiderata nobis ſufficere debet pro efficaciſſimo ſtimulo ad excipienda maximâ cum reverentiâ & attentione ac retinenda, quæ à divino illo

illo Magiſtro tradita ſunt, ne fortè quaſi in vas pertuſum & rimarum plenum illapſa mente effluant, ac pereant. Quantò ejus perſona beatis illis ſpiritibûs præcellentior eſt, tantò majori ſtudiô ac fide lex illa & ſervanda nobis & tuenda eſt, quàm antiqua ejus umbra per Angelos olim ad nos perlata. 2. Si enim iſta, quæ Angelorum miniſteriô atque operâ inter tonitrua, fulgura, & terræ motus tantâ vi, atque auctoritate pollebat, ut nihil in eâ irritum aut inane fuerit, ſed omnis illius etiam in ſpeciem levior violatio ſeveriſſimè punita fuerit, 3. quâ nos quæſumus ratione effugere poterimus juſtam Dei ultionem ac pœnam, ſi tam ſanctæ, támque ſalutiferæ doctrinæ præcepta neglexerimus, quæ primùm ab ipſo Domino, cùm inter mortales verſaretur, enarrari ac proponi cœpit, tum verò ab iis, qui ipſum docentem audierant, deinceps nobis & communicata eſt & confirmata 4. atteſtante Deo ſignis & prodigiis variiſque facultatibus ac donis linguarum, prophetiæ, aliiſque, quæ Spiritus ſanctus partim in Pentecoſte cuique diſtribuit pro beneplacito ſuo. 5. Quo vel maximè declara-

2. Si enim, qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis prævaricatio, & inobedientia accepit juſtam mercedis retributionem:

3. Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? quæ, cùm initium accepiſſet enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata eſt,

4. Conteſtante Deo ſignis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritûs ſancti diſtributionibus ſecundùm ſuam voluntatem.

5. Non enim Angelis ſubjecit Deus orbem

terræ futurum, de quo loquimur.

declaratur summa Christi Domini auctoritas, tametsi enim Angeli cœlorum motores hominúmque custodes aliquam eámque non exiguam in hunc mundum inferiorem potestatem habeant, solus tamen Christus à Patre constitutus est Dominus & judex totius orbis non modò præsentis, sed & futuri sæculi, de quo sermo nobis est præcipuè, post resurrectionem scilicet universalem, ideóque nuncupatus pater futuri sæculi, atque Pontifex futurorum bonorum, quando devictis planè omnibus suis hostibûs plenissimo triumphó, imperio ac dominio cum sanctis suis regnabit in cœlo.

6. Testatus est autem in quodam loco quis, dicens: quid est homo, quòd memor es ejus: aut filius hominis, quoniam visitas eum?

6. Exclamavit autem alicubi vates quispiam naturæ humanæ conditionem præsertim in Christo considerans: Quid est homo terrenum animal, quòd tu tantus támque immensi operis artifex illius rationem & curam habeas? quid est filius hominis, homo ex homine natus, mortalis ex mortali, miser ex misero, quòd eum beneficentiæ tuæ donis, quæ multa sanè & magna in eum contulisti, dignatus sis invisere, collapsum in extremam miseriam erigere, filio Dei unigenito hypostaticè in Christo unire, ac

per

per illum æternâ salute, ac gloriâ donare? 7. Fecisti eum ad breve tempus nempe mortalis hujus vitæ paulò inferiorem Angelis (ita nimirum exigente negotio procurandæ nostræ salutis) tam conditione mortalitatis & passionis à quâ aliena est Angelorum natura, quàm vulgari hominum existimatione, quos illa carnis ejus infirmitas & passionis ignominia non sinebat de eo magnum aliquid opinari, sed peracto hoc tempore mox immortalitate per resurrectionem donatus est, & ad supremum honoris ac gloriæ fastigium evectus, gloriæ quidem, ut ab omnibus nomen ejus prædicetur, honoris autem, ut ab omnibus adoretur, demum super omnes creaturas elevatus cum imperio supremo. 8. Enimverò hoc ipso, quòd omnia ei subjecta, nihil excipitur, quod non ei subjiciatur. Jam verò si de hominibus in universum, sive de quopiam singulari homine sermo sit, nondum videmus, cuiquam mortalium ac ne universæ quidem hominum societati, imò nec Christi imperio omnia esse subjecta, cum & dæmones regnum Christi oppugnent, & homines impii justos persequantur.

7. Minuisti eum paulò minùs ab Angelis: gloriâ, & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum.

8. Omnia subjecisti sub pedibus ejus: in eo enim quòd omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei.

9. *Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus JEsum propter passionem mortis, gloriâ & honore coronatum, ut gratiâ Dei pro omnibus gustaret mortem.*

10. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.*

tur. 9. JEsum tamen si non oculô carnis, certè oculo fidei videmus summâ gloriâ & honore coronatum in cœlis, qui antè in terris singulari Dei gratiâ ac misericordiâ erga homines minor Angelis brevi tempore factus fuerat, nostrâ videlicet mortalitate in eum finem assumptâ, ut pati posset, mortémque pro omnium salute oppetere, atque ita voluntati Patris cœlestis obsequeretur factus sacerdos & victima sacrificii ab omni creaturâ ei debiti. Mortem, quam subierat, redivivus devicit, nunc in throno cœlesti residens gloriâ ineffabili tanquam diademate redimitus resplendet. Cùm ergo divinæ pollicitationes ex parte jam adimpletæ sint, quis in dubium revocare ausit, ex integro & absolutè omnia ei aliquando subjicienda esse. Non diffiteor potuisse Deum mitiori ac faciliori remediô hominibus veniam ac salutem impertiri. 10. Nihilominus pro infinitâ suâ sapientiâ judicavit hoc quàm maximè se decere, ut quoniam æterno decreto ac voto suo ad æternam salutem ac gloriam multos filios suos, imò quantum ex se est omnes homines per multarum adversitatum tolerantiam per-

perducere ſtatuerat, ſimiliter etiam principem & auctorem ſalutis eorum, per quem & cujus gratiâ omnia condiderat, filium nempe ſuum unigenitum, tanquam anteſignanum ærumnis etiam, atque ipsâ morte quodammodo conſecraret, atque conſummaret, cujus deinde operâ ac meritis cæteris gratiam, & ſanctitatem infunderet adoptando eos in dilectiſſimos filios ſuos per gratiam, atque filii ſui naturalis fratres, & cohæredes. 11. Christus enim à Deo conſtitutus eſt pontifex, qui oblato ſacrificiô ſanctificaret & à peccatis emundaret, ac Deo reconciliaret genus humanum, atqui ſacerdos ſanctificans, & populus, qui ſanctificatur, ex unâ eadémque naturâ ac ſpecie ſint oportet, nam ex eodem populo ſolent aſſumi pontifices, quod & in Iſraëlitico populo obſervatum fuit, igitur & Chriſtus humanam naturam aſſumere debuit iisdem, quas cæteri omnes perferunt, malis obnoxiam, quam ob cauſam non erubeſcit eos ſuos appellare fratres, cum alioquin ſi perſona ſpectetur, inter ipſum ac nos infinitum ſit intervallum. 12. Annuntiabo, inquit, nomen tuum fratribus

11. *Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno omnes: propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare, dicens:*

12. *Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in*

medio Ecclesiæ laudabo te.

13. *Et iterum : ego ero fidens in eum. Et iterum : ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus.*

tribus meis, & in medio Ecclesiæ tibi hymnos canam. 13. Ego spem meam in ipso reponam : qui autem aliquid ab altero sperat, inferior sanè est, ejúsque ope indiget, Christus autem quà Deus nullâ re indigebat, ergò quatenus homo, & præcipuè quando passionis tempore ab eo penitus derelictus videbatur, ergò eâdem nobiscum naturâ præditus fuit. Idipsum ex alio Prophetæ textu colligimus, ubi dicit : ecce ego & pueri, quos dedit mihi Deus. Ubi simul & se & consortes suos pueros offert Deo ad prædicandum ejus nomen,

14. *Quia ergò pueri communicaverunt carni, & sanguini, & ipse similiter participavit iisdem: ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum :*

14. quia ergò homines, quos Christus suos pueros ac filios vocare dignatus est constant unâ communi naturâ ex carne & sanguine conflatâ, adeóque fragili, passibili, morti & mille miseriis obnoxiâ, hinc etiam ipse carnis & sanguinis, adeóque & adhærentium infirmitatum voluit esse particeps, ut per mortem ipse suam destrueret regnum ac potentiam diaboli, qui per peccatum habebat potestatem, infligendi omnibus mortem corporis & animæ, præsentem & æternam.

15. *Et liberaret eos, qui timore mortis per to-*

15. Adeóque & liberos redderet miseros homines, non solùm à servitute & imperio, sed etiam me-

metu perpetuo mortis æternæ, ideóque insigni hac amoris sui testificatione eos obstringeret ad observanda imposterùm ejus præcepta amoris potiùs filialis & reciproci, quàm timoris servilis impulsu. 16. Neque enim imortalem Angelorum naturam assumere voluit, sibíque copulare, sed nostram mortalem, & quidem ex progenie & familiâ magni vestri Patriarchæ Abrahæ. 17. Quocirca par erat, eum omni ex parte non naturæ tantùm societate, sed cæteris quoque ejus conditionibus ac proprietatibus, quæ à peccato immunes sunt, fratribus similem reddi, ut malorum nostrorum sensu & experientiâ faciliorem se ac procliviorem ad miserationem præberet, longè enim faciliùs & vivaciùs aliorum ærumnas & miserias agnoscimus, dum eas ipsi experimur, quàm dum eas solùm speculamur, vel in aliis intuemur: præterquàm quòd officium summi Pontificis, & mediatoris inter Deum & homines id videbatur exigere, qui pro istis Deo plenè & in omni rigore justitiæ condignè debebat satisfacere, eósque perfectè cum Deo reconciliare, quod aliter quàm patiendo & moriendo fieri non potuit

tam vitam obnoxii erant servituti.

16. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.

17. Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.

18. *In eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.*

tuit in hac providentiâ. 18. Nam hoc ipso quòd passus sit, vexatus, & exercitatus per omnia, facilior ac pronior est ad præstandum solatium & auxilium opportunum aliis afflictis ac tentatis ad eum recurrentibus, & pro modico illo temporis spatio, quo dæmoni ejúsque ministris divinâ permissione concessum fuit, ut eum modis omnibus tentarent atque divexarent, divinam potestatem accepit omnes alios pariter tentatos & afflictos corroborandi, ut ex gravissimis & periculosissimis assultibus, quibûs infestantur, gloriosam referant victoriam.

PARAPHRASIS

CAP. III.

1. *Unde, fratres sancti vocationis cælestis participes, considerate Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ JEsum.*

1. Quid illustrius gratiúsque vobis, fratres sancti, considerandum proponam, quàm ejus eximias prærogativas? an non optimo jure à vobis hodiernâ die expetere possum, ut cùm ad hæreditatem regni

gni cœlestis vocati sitis, omissâ fluxarum ac terrenarum rerum consideratione vires omnes intelligentiæ colligatis ad contemplandas summâ cum attentione præcellentias, JEsu Christi, Magistri atque Legati à Deo cœlitùs missi, ut nos doceret viam vitæ, redimeret à morte æternâ, & cœlestis gloriæ hæredes faceret, quíque supremus simul esset pontifex ejus religionis, ac fidei, quam publicè profitemur. 2. Quo utroque munere functus est sanctissimè, summáque fide ea executus est, quæ ipsi demandata fuerant in administrandâ familiâ sibi commissâ, perinde ac Moses id præstitit in republicâ olim vestrâ sibi demandatâ, 3. imò magis. Nomen istius legislatoris magnâ quidem apud vos in veneratione est, ídque meritò. Quis tamen dicat paris esse dignitatis servum ac filium? vel opificium cum ipso artifice de honore decertare? tanto profectò ampliorem dignitatem ac gloriam præ Mose accepit Christus, quantò major honor debetur architecto, qui domum construxit, præ domo ipsâ fabricatâ. 4. Omnis quippe domus opificem habet aliquem & architectum, à quo extruatur:

2. *Qui fidelis est ei, qui fecit illum, sicut & Moyses in omni domo ejus.*

3. *Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quantò ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam.*

4. *Omnis námque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creavit, Deus est.*

tur: porrò Christus Dominus supremus ille architectus est, qui & synagogam instituit, & Ecclesiam Dei fundavit, & Universum ipsum condidit, Moses verò tantùm est una illius Ecclesiæ particula, qui autem omnia creavit, nempe Christus, reverà Deus est, Moses tantùm creatura.

5. *Et Moyses quidem fidelis erat in totâ domo ejus, tanquam famulus in testimonium eorum, quæ dicenda erant:*

5. Ac Moses quidem fidelis fuit in directione reipublicæ sibi commissæ, sed tamen ùt famulus & Minister, cui incumbebat ex imperio Domini populo suæ curæ credito illius mandata proponere atque exponere.

6. *Christus verò tanquam filius in domo suâ, quæ domus sumus nos, si fiduciam, & gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.*

6. At verò Christus divinâ auctoritate tanquàm filius & ipse dominus constitutus est supra Ecclesiam novi Testamenti tanquam domum propriam. O térque quatérque beatam illam familiam, quæ tali tantóque Capiti subest, felices nos, qui illam componimus. Ingenuè vobis, fratres & absque omni assentatione edico, quamvis plurimis scateamus defectibûs, tot tenebris obscuratum habeamus intellectum, tot vitiis quasi venenis infectam voluntatem, tanto furore æstúque malesano correptos appetitus nostros, nihilominus ejus domus ac familia sumus, quam certè non deseret, sed suo tempore ad statum longè felicissimum evehet,

qualem

qualem non quidem nunc mente concipere, aliquando tamen sensu ipso atque experientiâ talem esse comperiemus, dummodo illum ùt Dominum Legislatorem, ac supremum Pontificem nostrum agnoscamus ac revereamur publicè, parati non tantùm ad ejus mandata ad unguem exequenda, sed etiam adversâ quæque pro ejus nomine ac gloria perferenda, spémque illam futurorum bonorum, ac fiduciam, de quâ gloriamur, usque ad vitæ exitum firmam & inconcussàm retineamus,
7. quæ tamen ut effectu non careat, illam vobis conditionem adjectam etiam atque etiam servandam, atque adimplendam noveritis, quam Spiritus sanctus olim designavit, hodie, inquiens, si vocem ejus audieritis,
8. ne obduretis corda vestra, sicut olim obdurârunt Patres vestri in deserto in eo loco, qui dictus est exacerbatio seu contradictio. 9. Ubi planè per summam injuriam potentiæ ac promissionibus meis diffisi me tentaverunt, licèt ipsi jam antea manifestè vidissent, quàm multa & admiranda opera coram ipsis effecerim, per 40. annos. 10. Quapropter irâ & indignatione non mediocriter com-

7. *Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus: hodie si vocem ejus audieritis,*

8. *Nolite obdurare corda vestra: sicut in exacerbatione secundùm diem tentationis in deserto,*

9. *Ubi tentaverunt me patres vestri: probaverunt, & viderunt opera mea*

10. *Quadraginta annis: Propter quod infen-*

ſus fui generationi huic, & dixi: ſemper errant corde. Ipſi autem non cognoverunt vias meas,

commotus per Moſen & Aaronem eos identidem admonui, ut aliquando reſipiſcerent, ſuúmque errorem agnoſcerent, illi autem in ſua incredulitate obſtinati non moventur tot beneficiis ac prodigiis, quæ coram eis feci in Ægypto, mari rubro & deſerto, neque eorum rationem ullam habuerunt, igitur tantam impudentiam non amplius inultam relinquam,

11. *Sicut juravi in ira meâ: ſi introibunt in requiem meam.*

11. Jámque juro, eos non ampliùs intromittendos in terram Chanaan à me ipſis promiſſam, ut in eâ tanquam quietâ & opulentâ ſede ſuaviter delicientur.

12. *Videte, fratres, ne fortè ſit in aliquo veſtrûm cor malum incredulitatis, diſcedendi à Deo vivo.*

12. Diſcite, quæſo, fratres mei alieno tandem malô ſapere, & cavete, ne his calamitatibus aut rebûs adverſis oppreſſus, aut territus quiſpiam veſtrûm animum deſpondeat, et à Deo vivo, cui jam credidit, vecordia quâdam atque improbitate animi ad impietatem atque infidelitatem deficiat.

13. *Sed adhortamini vos metipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati.*

13. Sed mutuis vos potiùs cohortationibûs animate ad perſeverantiam in fide Chriſtianâ ſemel ſuſceptâ, in ſpe & forti tolerantiâ perſecutionum hoc nomine vobis obvenientium, quamdiu dies hic hodiernus durat, nempe tempus præſentis vitæ, gratiæ, ac pœnitentiæ, quod cuique conce-

ceditur à Deo, ut ne contingat quemquam vestrûm fallacibus, peccati illecebris captum obdurescere ad vocem vocantis Christi. Agnoscite, si sapitis, dignitatem vestram.
14. Participes enim facti sumus corporis mystici, nempe Ecclesiæ Christi tanquam membra filii & fratres per baptismum, participes spiritûs, & gratiæ, & omnium thesaurorum ipsius, si modò sanam ac integram fidei doctrinam, cujus velut primordiis illi adhæsimus tanquam substantiæ ac fundamenti salutis ac spei nostræ, usque ad vitæ exitum firmam & inconcussam retinuerimus.
15. Quamdiu itaque hæc verba prophetica: *Hodie si vocem ejus &c.* auribus vestris insonant, ne obduretis corda vestra, ut olim illi in exacerbatione.
16. Non quidem omnes, quia non Josue, Caleb, non parvuli, non omnes mulieres, non omnes levitæ, qui ut culpæ, sic & pœnæ expertes fuerunt.
17. Quibusnam autem ita Deus succensuit? nonne iis, qui sese scelere multiplici contaminaverunt, murmurando, concupiscendo, vitulum conflatilem adorando, desperando terram promissam, quorum omnium caput & causa

14. *Participes enim Christi effecti sumus: si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus.*

15. *Dum dicitur: hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illâ exacerbatione.*

16. *Quidam enim audientes exacerbaverunt, sed non universi, qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen.*

17. *Quibus autem infensus est quadraginta annis? nonne illis, qui peccaverunt? quorum cadavera prostrata sunt in deserto?* (Fff 2)

ſa fuerit infidelitas, quâ Dei promiſſionibus diffidebant? quorum proinde corpora juxta Dei comminationem variis mortibûs conſumpta fuerunt, ita ut ingens oſſium multitudo relicta fuerit albentes deſerti ſparſa per agros. 18. Quibus autem jurejurandô adhibito comminatus eſt, nunquam illos in requiem ſuam ingreſſuros, niſi iis, qui poſt tot & tanta divinæ potentiæ ſigna exhibita nondum ſibi in animum induxerunt, ut promiſſis Dei crederent? 19. Pari modô, licèt multi veſtrûm noluerint fidem Chriſti complecti, vel complexam metu perſecutionum abjecerint, ſi vos tamen conſtantes in eâ perſeveratis, non incurretis pœnas, quæ incredulos illos, atque apoſtatas horrendæ manent tum in præſenti vita, tum maximè in futurâ.

18. *Quibus autem juravit non introire in requiem ipſius; niſi illis, qui increduli fuerunt?*

19. *Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem.*



PARA-

PARAPHRASIS

CAP. IV.

1. Timeamus ergò, simúlque præcaveamus, ne quemadmodum olim permulti spe sua delusi fructu promissionis factæ caruerunt, ita quempiam ex vobis contingat vel per ignaviam, vel per diffidentiam vel per inconstantiam neglectâ ac pro nihilo habitâ pollicitatione omnibus factâ de æternâ requie in cœlesti palatio obtinendâ tantâ exspectatione frustrari, & persimili cum majoribus vestris suppliciô justissimè plecti.

1. Timeamus ergò, ne fortè relictâ pollicitatione introëundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis deesse.

2. Neque enim satis est, quòd nobis annuntiatum fuerit verbum Dei, nam & illis à Mose promulgatum fuit, verùm ipsis divinus ille sermo auribûs tantùm perceptus nihil profuit, quippe cui fidem non habuère, sed solâ auditione contenti nihil præterea præstitère, non obscuro argumentô, neque nobis profuturam auditionem Evangelii, nisi etiam eidem credamus, & obsequamur.

2. Etenim & nobis nuntiatum est, quemadmodum & illis: sed non profuit illis sermo auditus, non admistus fidei ex iis, quæ audierunt.

3. Econtra quantumcunque magna &

4. Ingrediemur enim

in requiem, qui credidimus? quemadmodum dixit: sicut juravi in irâ mea, si introibunt in requiem meam: & quidem operibus ab institutione mundi perfectis.

& eximia promiserit Deus, qualiscunque etiam in nobis inveniatur meritorum tenuitas, certò certiùs tamen in requiem illam sempiternam à Deo nobis promissam, & adumbratam olim in Palæstinæ possessione ingrediemur, modò fide vivâ & constanti in Christum crediderimus: si enim sola incredulitas Israëlitis obsticit, quò minùs in terrenam illam quietem admitterentur, quis prudenter dubitet nos in cœlestem illam fidei vivæ beneficiô intromittendos?

4. *Dixit enim in quodam loco de die septimâ sic: & requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis.*

4. Consideremus paulò attentiùs prædicta verba, ut clariùs pateat, quænam sit requies illa nobis omnibus promissâ. Illud, meo quidem judiciô, indubitatum est, Prophetam non loqui de requie sabbati seu septimæ diei, quâ Deus completo opere creationis mundi intra 6. dies cessavit ab ulteriori productione novarum specierum, nam quies illa neque nostra est, & jam olim præteriit: neque etiam videtur loqui de requie sabbati ad recolendam illam Dei quietem in populo Israëlitico institutâ, nam & istius observatio jam antiqua erat, quando hic psalmus fuit compositus.

5. *Et in isto rursum:*

5. Sed neque etiam de tertiâ quiete

sermo

sermo est, quâ gaudebant filii Israël in pacificâ possessione terræ promissæ, sub duce Josue, cùm & ista jam transierit, & adimpleta sit. 6. Superest ergò ut loquatur Propheta de requie longè sanctiore, de sabbato longè præstantiore, nempe de pacificâ ac sempiternâ bonorum coelestium possessione, ad quam Christianæ fidei beneficiô nobis aditus patet eâ in re longè utique felicioribus præ incredulis illis Israëlitis, qui ab ingressu terræ promissæ exclusi fuère. 7. Id quod rursùs vel ex eo maximè confirmari potest, quòd in eo ipso Davidis psalmo certam quandam diem Spiritus sanctus designat adhuc quodammodo præsentem & hodiernam, nempe præsens vitæ nostræ tempus, quo si Deo obsequentes fuerimus, transferemur in requiem illam meliorem. 8. Aliàs enim prædicta oratio nullum haberet locum, si de illâ solùm & principaliter terrâ ageretur, quam JEsus filius Nave illi populo dispertierat, nisi alia requies speranda foret. 9. Quæ cùm ita sint, necessariò concludendum est, reliquum adhuc esse alium sabbatismum populo Dei, aliam quietem, nempe coelestem, solidam, ac sempiter-

si introibunt in requiem meam.

6. *Quoniam ergò superest introire quosdam in illam, & ij quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem:*

7. *Iterum terminat diem quendam: Hodie, in David dicendo, post tantum temporis; sicut supra dictum est: hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

8. *Nam si eis JEsus requiem præstitisset, nunquam de aliâ loqueretur, posthac, die.*

9. *Itaque relinquitur, sabbatismus populo Dei.*

piternam, ubi fideles omnes, qui in fide vivâ perseveraverint, ad feliciorem statum translati neque in lachrymas ac lamenta prorumpent; neque ulla pericula ampliùs metuent, neque ullis doloribus ac miseriis erunt obnoxii, sed operum suorum ac meritorum mercedem amplissimam recipient deliciis affluentes, gloriâ & honore coronati, ad quam quietem non Josue, sed verus Dei filius JEsus Christus fideles suos perducit,

10. *Qui enim ingressus est in requiem ejus; etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut à suis Deus.*

10. in quam denique qui jam pedem intulerunt, non aliter quàm olim Deus ab opificio mundi; fine omnibus suis actionibus, ac molestis operibus imposito penitus cessabunt, liberi posthac ab omni labore & defatigatione, ab omni luctâ contra vitia, tentationes, & hostes, ab omni calamitate, dolore, tristitiâ, indigentia.

11. *Festinemus ergò ingredi in illam requiem, ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum.*

11. Properemus ergò, & studeamus ingredi in illam beatorum requiem, nulla molestia, nulla persecutio, nulla alia remora cursum nostrum retardet, ut ne quis fiat simile incredulitatis, rebellionis, & consequenter exclusiónis ac damnationis exemplum.

12. *Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gla-*

12. Id adeo à nobis postulat Divini Verbi vis, atque efficacia sivè per se interiùs, sive per suos ministros

ministros exterius loquentis. Siquidem illud non minori nunc virtute atque potentiâ præditum est, quàm olim, certissimeque præstabit, quidquid per Prophetas & Apostolos suos aut promisit, aut comminatum est. Habet se instar gladii acutissimi ex utraque parte omnia penetrantis, ac secantis, adeo ut non solùm corpora lædat, sed ad animum quoque ac spiritum pertingat perfectissimè cognoscendo & discernendo intimos ac maximè reconditos ejus actus & motus. 13. Nec ulla est etiam minima amarulentia sive amoris proprii inclinatio, sive simulatio, sive diffidentia, quæ supremi Judicis, de quo nobis sermo est, vel scientiam lateat, vel potentiam effugiat. 14. Porrò sicut Christus Dominus intima cordis nostri penetrat, ita & penetravit ac reseravit nobis non tantùm sancta sanctorum, uti Aaron, & successores ejus, sed cœlos ipsos, ut Deo assistat tanquā Pontifex pro nobis interpellans, & peccata nostra expians, & ad cœlestia proemia invitans, dummodo nullis ærumnis aut rebûs adversis territi in suscepta fidei ac spei nostræ professione persistamus. 15. Atqui opponet nonnemo: infirmi sumus, fragiles,

diô ancipiti: & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritûs, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.

13. *Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo.*

14. *Habentes ergò pontificem magnum, qui penetravit cælos, JEsum filium Dei: teneamus confessionem.*

15. *Non enim habemus pontificem, qui non*

possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.

fragiles, ac labiles. Ita est, si naturam spectes: habemus tamen Pontificem, mediatorem, Salvatorem minimè talem, qui nolit aut non possit compati & auxiliari infirmitatibus nostris, sed potiùs facilem ac pronum ad sublevandas ægritudines atque imbecillitates nostras, quippe qui hæc omnia perinde ùt nos citra peccatum tamen & noxam abundè sit expertus, atque adeo pro suâ in hominum genus pietate ac commiserationе opem benignissimè feret.

16. *Adeamus ergò cum fiduciâ ad thronum gratiæ: ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*

16. Accedamus ergò magnâ cum spe ac fiducia eum in cœlesti throno ad dexteram Patris considentem & regnantem, jam enim placabilis sedet in throno gratiæ, postea terribilis & implacabilis sessurus in throno judicii, ut ab ejus clementiâ referamus & veniam noxarum, & necessarium gratiæ præsidium consequamur ad superanda fortiter omnes difficultates, dum tempus est, durante videlicet hujus vitæ curriculo, cujus opportunitatem temporis si quis neglexerit, is in futuro sæculo nec misericordiam conf. quetur, nec gratiæ locum inveniet, sed severitatem ac rigorem subire cogetur judicii divini.

PARA-

PARAPHRASIS

CAP. V.

1. ENimverò omnis pontifex ex hominibus eâdem naturâ præditus necessariò assumitur, ut ejusdem naturæ similitudine & veluti cognatione sese in omnes benevolum placabilémque sequestrum ac mediatorem exhibeat ad ea perficienda, quæ apud Deum pro hominibus ei reconciliandis transigenda sunt, donaria videlicet ac sacrificia offerendo, quibûs & supremum ei adorationis cultum eorum nomine præstet, & pro acceptis beneficiis condignas grates referat, & noxarum veniam impetret, 2. quique indole quadam ad lenitatem & commiserationem pronâ donatus eorum vicem atque infirmitatem moderatè ferat, qui vel ignorantiâ vel pravis aliorum verbis atque exemplis in fraudem impelluntur, illis potiùs condoleat, quàm succenseat, quòd ipse quoque eadem naturæ imbecil-

1. *Omnis nàmque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis;*

2. *Qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate:*

3. *Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis.*

4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.*

5. *Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: filius meus es tu, ego hodie genui te.*

6. *Quemadmodum & in alio loco dicit: tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

becillitate sit implicatus, 3. & eam ob causam necesse est, eum non minùs pro peccatis suis, si quæ commisit, quàm pro populo hostias, victimas, sacrificia offerre. 4. Neque verò sibi ipse sponte suâ quisquam hunc publicum tanti ministerii honorem vendicare & usurpare ausit absque grandi piaculo, sed Dei est illum eligere atque vocare, quemadmodum Aaronem, eiúsque successores ad id muneris vocavit. 5. Huic legi obsecutus Christus Dominus, ut nos exemplô suo sanctissimo instrueret, quàm necessaria sit Dei vocatio ad dignitatem sacerdotalem, neutiquam sibi fastigium hoc supremi pontificatûs proprio motu atque arbitrio usurpavit, sed illud accepit ab eo à quo divinam naturam acceperat, ùt filius unigenitus: qui enim alicubi in psalmo eum alloquitur dicens: filius meus es tu, ego hodie genui te, idem alibi eum sacerdotiô quodammodo initians ait: tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, unde perspicuum est, eum divinitùs vocatum, utì & successores Aaron, illud tamen speciali animadversione dignum, istos simpliciter à Deo sacerdotes appel-

pellari, ipsum autem simul sacerdotem & filium, quod utique infinitam quandam supra illos excellentiam denotat. 7. Quo tempore adhuc mortalis degebat in terris, ac tum præcipuè, cùm amore nostri moriturus penderet in cruce, ardentissimas preces ad eum, qui se possèt à morte suscitare, eum valido clamore & lachrymis fudit, ut se imperio mortis brevì eximeret. Dignitas personæ suæ, reverentia erga Patrem, cujus honorem suâ morte reparaturus erat, amor vicissim ineffabilis, quo iste filium suum complectebatur, facilè impetrârunt tam justæ postulationis annutum. 8. Tametsi enim ùt filius Dei unigenitus, cui immortalitas, gloria corporis, & nominis claritudo jure suo deberetur, dignissimus essèt, qui exaudiretur etiam seclusis lachrymis & clamoribûs, & ùt talis eximi debuissèt à quacunque vel levissimâ molestiâ, nihilominus sui quodammodo oblitus excessu quodam amoris incomprehensibili maluit beneplacito Patris ad amussim obsequi, infanda quæque pati, crucémque ac mortem in eâ subire, tum ut rigorosæ ejus justitiæ cumulatissimè satisfaceret, tum ut hac

7. Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationésque ad eum, qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens exauditus est pro suâ reverentiâ.

8. Et quidem, cùm esset filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam:

hac ratione experimentô proprio cognoſceret vim & præſtantiam obedientiæ, ſuóque nobis exemplô luculenter patefaceret, quàm ſit illa Deo grata, & quàm multa bona pariat, quandoquidem ipſe, quæ ſibi aliàs debebantur, mortis ſuæ meritô ſit magnâ cum voluptate conſecutus.

9. *Et conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ,*

9. Sacrificium iſthoc non tantùm illi ùt pretioſæ victimæ nullum nocumentum attulit, ſed conſummatis omnibus obedientiæ, patientiæ ac charitatis partibûs eum potiùs ad gloriam immortalem, & ſupremum pontificatûs apicem evectum conſecravit, cunctiſque in eum crediturís ac mandata ejus obſervaturis, auctorem ac principium fecit ſalutis æternæ.

10. *Appellatus à Deo Pontifex juxta ordinem Melchiſedech.*

10. Unde divinitùs ſortitus eſt non qualemcunque appellationem & dignitatem pontificis ùt Aaron, ſed ex ordine & ritu Melchiſedech, quo officiô per omnem æternitatem fungetur ſemetipſum identidem Deo offerens.

11. *De quo nobis grandis ſermo, & ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum,*

11. De quo ſanè & Rege & ſacerdote multa nobis dicenda forent eáque difficilia explicatu, apud vos præſertim, qui & ad audiendum ſegnes, & ad percipienda altiora myſteria parùm idonei facti

eſtis

estis, utpote legi Mosaicæ etiamnum nimis affixi. 12. Etenim qui pro temporis ratione magistri ac doctores jam esse possetis ac deberetis, ejusmodi estis, qui puerili adhuc institutione egeatis, quique docendi sitis, quæ prima sunt Evangelicæ doctrinæ rudimenta, quibus denique tanquam infantibus adhuc lacte sit opus tanquam faciliori alimentô, utpote solidiori cibo altioris doctrinæ non assuetis. 13. Enimverò, cui cum lacte res est, is profectò inexpertus, rudis, imperitus est, & sermonis, quo sublimiora perfectionis ac sanctitatis Christianæ præcepta continentur, prorsus incapax, quia adhuc infans. 14. Adultorum autem est solidus cibus, profundior nimirum tum divinorum mysteriorum, tum doctrinæ Evangelicæ cognitio, qui habitu jam per longum usum atque assuetudine discendi & docendi comparato ad discernendum bonum à malo, verum à falso, solidum à vano mentem habent & intelligentiam probè exercitam.

12. *Etenim cùm deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis, ut vos doceamini, quæ sint elementa exordii sermonum Dei: & facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo.*

13. *Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ: parvulus enim est.*

14. *Perfectorum autem est solidus cibus: eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.*

PARA-

PARAPHRASIS

CAP. VI.

1. *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum,*

2. *Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & judicii æterni.*

1. TAmetsi ea sit nonnullorum, quam modò exprobravi, tarditas atque imbecillitas, ea tamen me neutiquam absterret, quin capacioribus ea declarem mysteria, quorum notitia magno adjumento erit ad omnem sanctioris vitæ perfectionem. Quapropter omissis illis rudimentis, unde prima fidei Christianæ institutio exordium sumit, ad sublimiora magisque recondita, quæ adultis ac perfectis conveniunt, gressum promoveamus, neque enim oportet rursum fundamentum jacere pœnitentiæ ante baptismum necessariæ, quâ vitæ præteritæ flagitia expiantur, neque fidei in Deum, cui placuit nobis arcana suæ divinitatis revelare, 2. neque elementa ejus doctrinæ, quæ de baptismo, confirmatione, mortuorum resurrectione, & extremo judicio disserit, denuo repetere, cùm hæc om-

omnia jam exactè teneatis, sed præsuppositis his fundamentis supremam manum spirituali ædificio jam cœpto imponamus ad altiora assurgentes. 3. Id quod me omnino facturum recipio, si piis conatibus aspiret Deus. 4. Sciréne percupitis, quâ de causâ prima hæc fidei principia non ampliùs repetam & inculcem. Dicam, quod res est. Nolo vel minimam ansam dare fovendi perniciosum illorum errorem, qui post tot relapsus contra fidem & præcepta divinæ legis fiduciâ quadam perquàm periculosâ nimísque temerariâ impunitatem sibi facilémque veniam promittunt. Satis est profectò, si tales vel semel de gratiâ Dei per lavacrum regenerationis impetrandâ ritè instructi fuerint. Nam qui semel baptismô lustrati fuerint, & cœlestis muneris gustum aliquem & oblectationem perceperint, & cœlestium charismatum ac donorum Spiritûs Sancti magnâ conscientiæ suæ serenitate atque solatio participes fuerint effecti, 5. illam denique Divini verbi, Christianæque disciplinæ dulcedinem, & eximias justis destinatæ ac futuræ in cœlis gloriæ promulsides de-

3. Et hoc faciemus, siquidem permiserit Deus.

4. Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritûs sancti,

5. Gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutésque sæculi venturi,

6. Et prolapsi sunt: rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.

delibaverint, 6. si fortè his omnibus contemptis ac rejectis in antiquam perfidiam iteratò relabantur, fieri nequaquam, vel non nisi difficillimè potest, ut denuo persimili, & peræquè facili pœnitentiâ & expiatione renoventur, uti in baptismo, cujus quidem virtute culpa omnis ac pœna penitus aboletur, absque eo tamen, quòd instar purificationum legalium denuo conferri possit aut suscipi: Christus enim qui semel mortem oppetiit, non ampliùs eam subire valet, atqui baptismus Sacramentum est ejus mortem repræsentans, cujus iterata susceptio, uti & cujuscunque gravioris flagitii post baptismum perpetratio esset quodammodo repetita crucifixio, & illusio Christi jam in cœlo regnantis.

7. Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur; accipit benedictionem à Deo.

7. Neque est, cur Deum Optimum propterea nimii rigoris arguamus, quòd copiosam illam gratiam per baptismum concessam, & per peccatum rursus amissam non ampliùs pari facilitate & efficaciâ ut plurimùm largiatur. Nam terræ, quæ imbrem sæpe sæpius ad se missum combiberit, & herbam aut fruges progenuerit iis accommodas, per quos excolitur, Deus immortalis ite-

iterum atque iterum benedicit, donec ad plenam maturitatem pervenerint, 8. at verò ea, quæ licèt exculta, & diligenter subacta spinas tamen ac tribulos procreat, neque cultorum exspectationi ac labori ingrata respondet, execrationi ita proxima est, ut tandem exustionem promereatur tanquam reprobata. 9. Nolo vobis applicare odiosam hanc & aculeatam comparationem, meliora enim de vobis, dilecti mei nobis persuasimus, cura tamen salutis vestræ assidua me ita sollicitum reddit, & hanc loquendi rationem pro caute â vestrâ mihi suggerit, ut salubri vos metu perculsos præpediam, ne in hanc foveam præcipites ruatis, talésque efficiamini, quales modò descripsi. Meliora, inquam, de vobis præsumo, firmitérque confido, Deum vobis neutiquam iratum, sed propitium potiùs esse. 10. Non enim injustus est, ut obliviscatur operis vestri sive quod olim patrâstis, sive quod etiamnum perficitis, præcipuè vero beneficentiæ ac charitatis, quam pro divino ejus nomine exhibuistis, ut qui sanctis ministraveritis pridem, & nunc etiam ministratis, sed memor omnium promissam & condictam mercedem, gratiam in hoc

8. Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima: cujus consummatio in combustionem.

9. Confidimus autem de vobis, dilectissimi meliora & viciniora saluti: tametsi ita loquimur.

10. Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis.

hoc sæculo, & gloriam immortalem in altero certè rependet. Cæterùm quidquid vos concernit, illud & meâ interesse existimo, & tametsi de vestrâ fidelitate optimè sperem, non possum tamen non modis omnibus vos obtestari, ut vestris rebus atque operibus sedulò attendatis.

11. *Cupimus autem unumquemque vestrûm eamdem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei usque in finem:*

11. Cupimus enim, & impensè desideramus, unumquemque vestrûm eodem studio atque animi contentione ad finem usque perseverare intentum studio bonorum operum, ut spes vestra in dies magìs ac magìs augeatur, & confirmetur, donec cœlestis præmii assecutione ultimam suam perfectionem obtineat.

12. *Ut non segnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide & patientiâ hæreditabunt promissiones.*

12. Adeóque ne ullo unquam tempore segnes & desides efficiamini in obsequio Dei, sed eorum potiùs solertiam imitemini, qui fide & diuturnâ patientiâ omnes difficultates superârunt, adeóque jam quod diu exspectârunt, Dei beneficiô possident.

13. *Abrahæ nàmque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per semetipsum*

13. In quorum numero spectandus est Abraham primus generis nostri parens & auctor, cui cùm jurejurandô interjecto eam, quam diximus, hæreditatem polliceretur Deus, quia non poterat majoris cujuspiam nomen atque auctoritatem jurejurando adhibere, per semetipsum juravit:

14. *Dicens: nisi benedicens benedicam te, &*

14. di-

dicens: certè benedicens benedicam te cumulando beneficiis,& multiplicans multiplicabo te numerosam posteritatem tribuens. 15. Quid ad ista Abraham? promissiones has maximâ cum reverentiâ excepit, cúmque satlongo tempore patienter exspectâsset, earum fructum amplissimum est consecutus. 16. Ob id enim fere homines ingenui jurare consuescunt per majorem tum venerationis causâ, tum etiam ut ille, per quem pejerant, sit perjurii ultor, si pejerans remediô ad finiendas lites adinvento abuteretur, Deus autem, quia majorem se nullum habuit,sui divini Numinis auctoritate ac religione adhibitâ jusjurandum concepit. 17. Tum ut humanæ imbecillitati consuleret, cùm nos non facilè rebus divinis,& ab humano sensu remotissimis fidem habemus, tum ut suam in hominum genus propensam voluntatem magìs ac magìs declararet, suique consilii immutabilem rationẽ ostenderet nobis Abrahæ filiis suæ promissionis hæredibus. 18. Quòd si juramentum inter homines tantâ vi pollet ad eos securos reddendos, quantò magìs si illud conjunctum videamus divinæ promissioni, per duas res immobiles, quibus

multiplicans multiplicabo te.

15. *Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem.*

16. *Homines enim per majorem sui jurant: & omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem, est juramentum.*

17. *In quo abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum:*

18. *Ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus*

ad tenendam propositam spem:

quibus fieri nequit, ut nobis imponat prima Veritas, evanescere necesse erit omnem dubitationem ac scrupulum, nósque perquàm efficaci consolatione firmari, qui susceptâ Evangelicâ fide huc tandem confugimus, ut relicto fallacis sæculi amore per continuum bonorum operum studium cœlestem & æternam gloriam pro hæreditate nobis promissam consequamur.

19. *Quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis,*

19. Cujus quidem spem velut tutam ac firmam animæ anchoram in cœlo adeóque Deo ipso defixam tenemus, quo penetrat nósque introducit usque ad interiora templi, quæ sunt intra velum, nempe sancta sanctorum, cœlum & cœlestia.

20. *Ubi præcursor pro nobis introivit JEsus, secundùm ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum.*

20. Quò præcursor pro nobis primus ingressus est JEsus in ascensione suâ aditum nobis patefaciens, factus jam pridem Pontifex non ampliùs cruentus, ut Aaron, sed incruentus, ut Melchisedech, id est, redemptor, mediator, advocatus noster apud Deum patrem, cui crucem & mortem suam semel obitam perpetuò offert, ac repræsentat, nósque illi reconciliat, & omnia inde auxilia ad cœlum conscendendum necessaria nobis submittit.

PARA-

PARAPHRASIS

CAPITIS VII.

1. NOn absque ratione toties jam vobis inculcavi JEſum Chriſtum ſacerdotem eſſe ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſtatueram enim mecum paulatim vos diſponere ad complectendam animô excellentiam ſacerdotii viri hujus incomparabilis, de quo nobis tam eximia tam præclara commemorant ſacri Codices. Nunc igitur accingor ad argumentum hoc pleniùs enucleandum, ut verò veritas tanti myſterii clariùs eluceſcat, expedit circumſtantias omnes excutere, quæ in hac inſigni figurâ nobis ponderandæ occurrunt. Melchiſedech rex olim Salem, ſimúlque ſacerdos Altiſſimi lætus occurrit Abrahamo victori reduci ex prælio, quo 5. reges profligaverat, fratríſque ſui Loth ſuorúmque accolarum ſpolia recuperaverat, eíque ſalutato benè precatus eſt, 2. cui contra pientiſſimus hic patriarcha decimas omnis prædæ re-

1. *Hic enim Melchiſedech Rex Salem ſacerdos Dei ſummi, qui obviavit Abrahæ regreſſo à cæde Regum, & benedixit ei.*

2. *Cui & decimas omnium diviſit Abraham: primum quidem, qui interpretatur rex juſtitiæ:*

deinde autem & rex Salem, quod est, Rex pacis,

relatæ grato animô obtulit ac donavit. Gesta tanti viri, nomen ipsum, ac dignitas magna præcontinent mysteria. Melchisedech, si vim nominis spectemus, denotat regem justitiæ, seu justum ac justificantem, si loci verò, cujus rex erat, id est, Salem, nomen exponamus, perinde est, ac si appelletur rex pacis, seu pacificus ac pacificator.

3. Sine patre, sine matre, sine genealogiâ, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.

3. Quia verò nulla in sacris litteris fit mentio patris aut matris, neque genus, aut progenies ejus describitur, neque ortus denique aut obitus illius adnotatur, speciem quandam ac similitudinem refert filii Dei, qui principiô ac fine caret, & æternitatem sacerdotii ejusdem scitè repræsentat.

4. Intuemini autem, quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.

4. Et quoniam de prærogativis tanti viri dicere institui, considerate, quæso, attentiùs, quantus hic fuerit, cui etiam Patriarcha noster Abraham de optimis spoliis decimas dedit solam dignitatem in eo reveritus, quò minùs mirandum sit, si Abrahamô longè dicimus præstantiorem Christum, quandoquidem Melchisedech, qui Christi solummodò typum præferebat, Abrahamo præfertur.

5. Et quidem de filiis Levi Sacerdotium accipientes, mandatum ha-

5. Reponet fors nonnemo, eos qui ex tribu Leviticâ sacerdotiô in populo Dei fungebantur,

tur, etiam decimas accepiſſe. Non negaverim, ſed ingens, obſecro, diſcrimen obſervate. Iſti decimas à popularibus & fratribus ſuis recipiunt, quamvis & ipſi ad Abraham communem parentem genus ſuum referant, idque ex præſcripto legis, & jure originis ſuæ. 6. At verò Melchiſedech, qui genere aut ſanguine ad nullam ex 12. tribubus pertinebat, decimas accepit ab Abrahamo, eique quem tanti fecerat Deus, ut cum illo fœdus iniret, ſuarúmque illi promiſſionum fructum impertiretur, benè tamen & ipſe precatus eſt; ſuámque benedictionem quaſi divinæ benedictionis corollarium adjecit. 7. Atqui extra controverſiam eſt, eum qui benedictionem percipit, & fauſtâ alterius apprecatione augetur, minorem & inferiorem eſſe illo, qui benedictionem impertit, Abrahamum videlicet Melchiſedechô. 8. Accedit, quòd in populo Dei ſacerdotes quidem ſed illi caduci ac mortales decimas accipiant, Melchiſedech autem, qui decimas ab Abrahamo percepit, ita deſcribitur, ac ſi ſacerdos immortalis & ſempiternus eſſet, ut meritò ejus ſacerdotium ſempiternum Chriſti ſacerdotium indicaret.

bent decimas ſumere à populo ſecundùm legem, id eſt, à fratribus ſuis: quamquam & ipſi exierint de lumbis Abrahæ.

6. *Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas ſumpſit ab Abraham, & hunc, qui habebat repromiſſiones, benedixit.*

7. *Sine ullâ autem contradictione, quod minus eſt, à meliore benedicitur.*

8. *Et hîc quidem, decimas morientes homines accipiunt: ibi autem conteſtatur, quia vivit.*

9. *Et (ut ita dictum sit) per Abraham, & Levi, qui decimas accepit, decimatus est:*

9. Denique tantum abest, ut nullum aliud fuerit sacerdotium præter leviticum, vel ut illud inter omnia excellat, aut emineat, ut ipse Levi, qui aliàs velut sacerdos decimas solet accipere, quia in Abraham tanquam in parente potestate inerat, usque seminis continebatur, ipsi Melchisedecho unà cum Abrahamo quasi minor majori decimas quodammodo persolverit.

10. *Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech.*

10. Tum enim cùm victori Abrahæ à prælio redeunti occurrit Melchisedech, nondum quidem Levi natus erat, in lumbis tamen parentis velut inclusus continebatur, perinde itaque hic se gessit Abraham cum Melchisedech, atque princeps, qui pro se & totâ suâ posteritate obedientiam regi præstat & offert. Si ergò Melchisedech Abrahamô totáque ejus posteritate major ac præstantior erat, quantam nobis conveniet de Christo concipere æstimationem, cujus ille tantùm typus & figura erat? quàm sanctum, quàm divinum erit ejus sacerdotium? Revereor, utì debeo, Aaronem, novi tamen perbenè, quanta inter unum & alterum sit differentia. Vos ipsi in meam sententiam concedetis, si rationes, quas sum allegaturus, æquâ

lance

lance ponderare velitis. 11. Si Leviticum ſacerdotium, quod lege latâ in populo Dei floruit, potuit ipſum per ſe quemquam ad culmen perfectionis perducere conferendo veram & interiorem juſtitiam, quæ eſt ipſiſſima animæ perfectio, quid quæſo ampliùs opus erat alium inducere ſacerdotem, qui non ſecundùm Aaronem, ſed ſecundùm ordinem Melchiſedech diceretur, prout tamen toties allegata Davidis ſententiâ expreſsè indicatur? 12. Nempe Leviticum illud ſacerdotium non modò rude fuit & inchoatum, ſed planè ejusmodi, ut unà cum lege mutari ac transferri debuerit, cùm ejusdem ſint rationis & conditionis, eodem ſimul tempore inſtituta, majórque legis pars occupetur iis deſcribendis quæ ſacerdotes & ſacrificia concernunt. 13. Quòd porrò actu translatum ſit, à tribu nempe Leviticâ ad aliam, eàmque regalem extra controverſiam eſt, ſiquidem is, de quo intelligenda ſunt prædicta verba ex tali tribu erat, quam lex illa Moſaica procul à ſacerdotio arcebat, 14. nempe ex tribu Judâ, de quâ nemo unquam ſacerdotiô functus eſt, ut adeo non niſi lege contrariâ antiquatâ

11. Si ergò conſummatio per ſacerdotium Leviticum erat (populus enim ſub ipſo legem accepit) quid adhuc neceſſarium fuit ſecundùm ordinem Melchiſedech alium ſurgere ſacerdotem, & non ſecundùm ordinem Aaron dici?

12. Translato enim ſacerdotiô neceſſe eſt, ut & legis translatio fiat.

13. In quo enim hæc dicuntur, de aliâ tribu eſt, de quâ nullus altari præſtò fuit.

14. Manifeſtum eſt enim, quòd ex Judâ ortus ſit Dominus noſter: in quâ tribu nihil de ſa-

(Iii 2)

cerdotibus Moyses locutus est.

15. *Et amplius adhuc manifestum est; si secundùm similitudinem Melchisedech exurgat alius sacerdos,*

16. *Qui non secundùm legem mandati carnalis factus est, sed secundùm virtutem vitæ insolubilis.*

17. *Contestatur enim: quoniam tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.*

18. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, & inutilitatem:*

19. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio verò melioris*

tâ ac cessante Christi Domini sacerdotium constare possit. 15. Accedit argumentum aliud meo judiciô irrefragabile. Sacerdotes Levitici dignitatem suam ex præscripto legis consequebantur per originem merè temporalem succedendo suis antecessoribus, eámque relinquendo postmodum suis posteris. Si ergò alius Sacerdos constituitur, 16. qui dignitatem illam non ab hominibus accepit, sed divinitùs, non secundùm legem Mosaicam, quæ tantùm carnales victimas & cæremonias præscribit, sed secundùm virtutem & potentiam altiorem, nempe secundùm legem Christi, quæ dat & tribuit vitam æternam tum gratiæ, tum gloriæ, Sacerdos, quem nullus præcessit nec subsequetur, 17. quíque adeo non brevì interiturus sit, ut Aaron, sed vitæ immortalis, necesse omnino est, eum longè alium esse, longè digniorem, & quod consequitur, legem illam veterem, quæ ex ordine tantum Levitico sacerdotes volebat, abolitam jam esse non quidem ùt vitiosam, sed ùt infirmam, & non ampliùs proficuam, 19. quippe quæ sibi subjectos & perficere ac sanctos reddere nequeat, huic ergò succedere

dere necesse est aliam, quæ non solùm præcipiat, sed etiam vires conferat ad præcepta servanda, quæ animam ipsam à quibuscunque sordibus emundet, quæ mentibus nostris veram sanctitatem imprimat, quæ nobis aliam remunerationem proponat ac polliceatur, quàm terræ fertilitatem, quæ nos denique ad Deum & cœlestia elevet, eique proximos faciat, ùt amicos, filios, & hæredes. Atque hi fructus sunt sacerdotii novi, de quo modò loquimur, sacerdotii planè admirandi. 20. Quod jurisjurandi religione firmatum est à Deo, qui ita filium suum alloquitur in psalmo: juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum, 21. solet enim juramentum adhiberi ad ea, quæ majoris sunt momenti, & quæ rata ac firma esse volumus. 22. Tantò profectò potioris testamenti factus est fidejussor ac mediator Christus Dominus, quantò sanctiori auctoritate, nempe juramentô interposito sacerdotium iniit, cum Levitici ordinis sacrificuli absque juramento sacerdotes initiarentur. 23. Et illi quidem plures sacerdotiô fungebantur, propterea quòd mors, cui omnes

spei, per quam proximamus ad Deum.

20. *Et quantum est, non sine jurejurando (alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt;*

21. *Hic autem cum jurejurando per eum, qui dixit ad illum: juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum)*

22. *In tantum melioris testamenti sponsor factus est JEsus.*

23. *Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quòd morte*

prohiberentur permanere:

24. Hic autem, eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium,

25. Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis.

omnes obnoxii degebant, eos diutiùs superstites esse non pateretur. 24. Hic verò Dei filius ratione personæ divinæ penitus immortalis, quia vitam vivit sempiternam, perenne, ac sempiternum sacerdotium obtinet per ministros atque vicarios suos in Ecclesia perpetuò usque ad finem mundi offerens sacrificium à se institutum, in quo & victima sit, & offerens principalis, quod utique permagno debet esse solatio ejus famulis, 25. cùm enim spem omnem ac fiduciam in eo defixam teneant, certò sibi persuasum habere debent, eum & promptissimum, & potentissimum esse ad procurandam eorum salutem, qui per ipsum ad Deum supplices veniunt, quippe qui immortali vitâ fruens eorum causam apud Deum Patrem suum perpetuò agit, tum assumptam pro nobis humanitatem atque ejus merita assiduè ei repræsentando, tum sanctissimæ animæ suæ desiderium, quod pro salute nostrâ habuit, exprimendo. Et sanè, si ex unâ parte quid quantúmque Deo bonorum omnium largitori debeamus, considerare velimus, ex alterâ tenuitatem atque impotentiam nostram ad id præstandum respectu tum justitiæ tum

tum miſericordiæ Divinæ, tali ſanè pontifice indigebamus, qui illis dotibûs ac virtutibus prædirus eſſet, quæ maximè Deo probantur, ſanctitate videlicet atque innocentiâ, adeo ut nullius ne quidem originalis peccati labe infectus eſſet, quíque ad ipſum cœli verticem evolaret, æthereis illis globîs, & choris angelicis longè ſublimior. 27. Cui non ſit quotidie, quod Leviticis olim pontificibus accidit, priùs pro ſuis, deinde pro populi delictis deprecandum, ſacríſque operandum, cùm enim ſemel tantùm ſemetipſum pro omnibus hominibus Deo Patri, ùt cruenta in cruce victima obtulit, ſacrificium illud ita perfectum abſolutúmque fuit, ut aliud repetere, aut quærere ſit ſupervacaneum. Neque id nobis mirum videri debet. 28. Nam lex illa, quæ ritus ac ceremonias divini cultus præcipiebat, infirmos atque peccatis obnoxios pontifices conſtituit, quibus propterea ſacrificia iteranda erant, at divinum illud mandatum, cui jusjurandum eſt, quod tanto poſt legem Moſaicam intervallô conceptum præſtari opportuno tempore debebat, Dei filium ſacerdotem renuntiavit, qui in omnem æternitatem conſecratus auctor

26. *Talis enim decebat, ut nobis eſſet pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus:*

27. *Qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum ſacerdotes, priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo.*

28. *Lex enim homines conſtituit ſacerdotes infirmitatem habentes: ſermo autem jurisjurandi, qui poſt legem eſt, filium in æternum perfectum.*

auctor est sanctitatis, & omni ex parte perfectus ac maximus, qui unico sacrificiô sufficiens lytrum toti mundo redimendo ac salvando persolvit, cùm omnes simul Aaronici sacerdotes innumerîs suis sacrificiis non possent vel unicum hominem à peccatis suis expedire.

PARAPHRASIS

CAP. VIII.

1. Capitulum autem super ea, quæ dicuntur: talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis,

2. Sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo.

1. CÆterùm eorum, quæ diximus & porrò dicturi sumus, hæc summa sit, hoc caput, quò referuntur omnia, talem nos habere modò Pontificem, qui consedit ad dextram sive in throno cœlestis illius ac divinæ majestatis, 2. quique ministeriô suô fungitur in illo cœlesti sanctuario, veróque, & non merè adumbrato tabernaculo Ecclesiæ triumphantis, quod Deus ipse construxit, fixúmque ac perpetuum esse voluit, non verò mortalis quispiam.

3. Omnis enim Ponti-

3. Porrò cùm omnis pontifex ad offerenda

ferenda donaria & victimas constituatur, necesse fuit & hunc fieri hominem, ut haberet, quod offerret, corpus videlicet & sanguinem suum, quod quidem semel præstitit, dum in arâ crucis seipsum victimam obtulit, nunc autem perpetuò per ministros suos in missæ sacrificio Deo Patri offert ac repræsentat, & sacerdotis munere fungens humani generis causam agit acturúsque est, donec omnes electi salutem consequantur sempiternam, quæ sanè oblatio, utì & sacrificium mirum quantùm differt ab illo Levitico. 4. Unde non debuit perpetuò in terris inter mortales perseverare, sed potiùs ad illud cœleste sanctuarium ascendere, quandoquidem si mortis legibus cæterorum more hominum subjaceret, cùm non sit de tribu Leviticâ, cui uni hanc dignitatem propriam esse vultis, sacerdotiô fungi neutiquam posset. 5. Cùm tamen hoc Christi sacerdotium peractâ jam oblatione, quam vetera sacrificia indicabant, cœleste sit ac divinum, cujus illæ Leviticæ oblationes & sacrificia similitudinem tantùm & typum continebant, id quod ipsi Moysi divinitùs significatum est, cùm ei absolvendi taber-

fex ad offerendum munera, & hostias constituitur: unde necesse est, & hunc habere aliquid, quod offerat:

4. *Si ergò esset super terram, nec esset sacerdos: cùm essent, qui offerrent secundùm legem munera,*

5. *Qui exemplari, & umbræ deserviunt cœlestium. Sicut responsum est Moysi, cùm consummaret tabernaculum: vide, inquit, omnia facito secundùm exemplar, quod tibi ostensum est in monte.*

tabernaculi idea proponeretur. Enimverò, inquit, vide, ut facias ad exemplar, quod tibi in monte monstratum est tanquam figura alterius, quæ modò completa est. Tunc enim sat intellexit Moyses, non tantùm materialem formam, quâ hæc omnia essent conficienda, sed insuper formalem etiam eorundem significationem, nempe quòd typi essent & figuræ tabernaculi spiritualis & cœlestis, quod Messias aliquando constructurus esset, puta Ecclesiæ partim in terris (ejúsque sacramentorum & sacrificii) partim in cœlis, hujúsque splendoris ac gloriæ. 6. Nunc autem constat Christum sortitum esse non terrenum, sed longè melius ac nobilius ministerium pontificale, quanto nempe novum testamentum seu fœdus, cujus Christus mediator est, præcellit veteri testamento, quod non nisi terrena bona promittit, & præstat, novum verò spiritualia atque cœlestia. 7. Nam si prius testamentum fuisset omni ex parte perfectum, ita ut in eo nihil potuisset requiri ac desiderari, nequaquam opus fuisset novum substitui. 8. Et tamen Deus immortales veteres illos Patres, quorum legi tam obstinatè adhærescitis, per Jeremiam redarguens

6. Nunc autem melius sortitus est ministerium, quantò & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.

7. Nam si illud prius culpâ vacasset: non utique secundi locus inquireretur.

8. *Vituperans enim eos dicit: ecce dies venient, dicit Dominus: & consummabo super do-*

-ens ait : ecce dies venient, dicit Do-
minus, cùm feriam cum domo Iſraël
& cum domo Judâ fœdus novum 9.
non quale fuit fœdus, quod pepig
cùm Patribus eorum, quando eos
apprehensâ veluti manu eduxi ex Æ-
gypto, ubi durâ premebantur ſer-
vitute : illi enim legem meam non
ſervârunt, ſed ſpreverunt illam, un-
de & ego viciſſim deſpexi eos & abje-
ci, dicit Dominus. 10. Hoc enim
eſt fœdus, quod pangam cum novis
filiis Iſraël à me electis, poſtquam
illos à facie meâ projeci, qui ſe meis
favoribûs indignos reddiderant per-
verſitate ſua; non ampliùs ſcripturus
legem meam in tabulis lapideis, ſed
in cordibus eorum, efficaciter, per
gratiam meam faciendo, ut eam a-
ment & impleant veréque me illis
præſtabo Deum divinâ illos charitate
complectens, plurimiſque beneficiis
cumulans, ipſi verò viciſſim me re-
ligioſo cultu ac veneratione proſe-
quentur. Non indigebunt inſtructi-
one operosâ, neque conſultatione
multorum ſapientum, ut vel dog-
mata vel præcepta mea ritè condiſ-
cant, ego ipſe ero illis in Magiſt-
rum, & unctione quadam atque
illuminatione internâ docebo eos,
quæ-

mum Iſrael, & ſuper do-
mum Juda teſtamentum
novum ;
9. *Non ſecundùm teſta-*
mentum, quod feci patri-
bus eorum in die quâ ap-
prehendi manum eorum,
ut educerem illos de ter-
râ Ægypti: quoniam ipſi
non permanſerunt in te-
ſtamento meo, & ego neg-
lexi eos, dicit Dominus.
10. *Quia hoc eſt te-*
ſtamentum, quod diſpo-
nam domui Iſrael poſt di-
es illos, dicit Dominus:
dando leges meas in men-
tem eorum, & in corde
eorum ſuperſcribam eas:
& ero eis in Deum, &
ipſi erunt mihi in popu-
lum.

quæcunque ab illis sciri oportere judicavero.

11. *Et non docebit unusquisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum dicens: cognosce Dominum: quoniam omnes scient me à minore usque ad majorem eorum:*

11. Adeo ut minimè necessarium sit futurum, ut unus alterum ejusdem testamenti consortem doceat notitiam, amorem, & observantiam mei, omnes enim illi, quorum est maxima, longéque ac latè diffusa multitudo à minimo usque ad maximum cognoscent, amabunt, observabunt me.

12. *Quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum jam non memorabor.*

12. Quia omnes misericordiæ meæ fontes universo hominum generi patere finam, Christíque meritis omnia mortalium flagitia obliterabo, & ea quodammodo oblivione obruam sempiternâ: ita mortalibus conciliatus faciam, ut nemo sit, qui non aliquam cœlestis gratiæ particulam percipiat.

13. *Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.*

13. Illud denique observetis velim, fratres mei, Prophetam locô allegato novum fœdus nominaturum non fuisse, nisi probè nosset, vetus cum tempore abolendum, quod enim veterascit aut senescit, ad interitum & mortem properat, prout legi contigit introducto ac firmato per Christum novo Testamentô.

PARA-

PARAPHRASIS

CAP. IX.

1. PErgamus illa mutuò comparare, si vobis libet, ut exinde eorum veritas, quæ priùs insinuavi, clariùs pateat, nempe in Veteri umbram tantummodo, in novo rem ipsam ac veritatem inveniri. Et imprimis habuit illud equidem suos etiam constitutos religionis ritus, & quod appellabant sanctuarium, sed mundanum ac terrenum, rebûs videlicet corporeis constans, & intra vitæ hujus mortalis fines inclusum, cùm in Ecclesiâ Christi omnia sint spiritualia, cœlestia, æterna. 2. Tabernaculum bipartitò constructum & adornatum erat: & in priori quidem parte, quam vocant sancta, candelabrum aureum videre erat cum 7. lucernis, & mensam, cui quotidie recentes panes apponebantur. 3. Tum interjecto secundo velô altera pars augustior & secretior tabernaculi visebatur, quam sancta sanctorum appella-

1. *Habuit quidem & prius justificationes culturæ, & sanctum sæculare.*

2. *Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur Sancta.*

3. *Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum.*

4. *Aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circumtectam ex omni parte aurô, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti.*

5. *Supérque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium: de quibus non est modò dicendum per singula.*

6. *His verò ita compositis; in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes sacrificiorum officia consummantes:*

7. *In secundo autem semel in anno solus Pontifex, non sine sanguine, quem offert pro suâ, & populi ignorantiâ.*

8. *Hoc significante Spiritu sancto nondum propalatam esse sancto-*

pellabant. 4. Ea porrò pars suo quodam jure postulabat ad suffitum perpetuum aureum thuribulum, cùm in eâ essent arca fœderis ũdique aurô circumtecta, & urna aurea, in quâ manna includebatur, & Aaronis virga, quæ olim germinaverat, floresque emiserat ad confirmationem sacerdotii ejus, & denique fœderis tabulæ. 5. Porrò super arcam fœderis Cherubim gloriosi spectabantur, qui propitiatorio incubantes illud pennis suis splendidis obumbrabant, de quibus nihil est, cur singillatim in præsentiâ fusiùs disseramus, cùm pro scopo principali intendam vobis demonstrare excellentiam sacerdotii Christi Domini. 6. His ita compositis in priorem quidem tabernaculi partem sacerdotes quotidie ingrediebantur, qui sacris operabantur, & ritus ac ceremonias illas pro more gentis obibant. 7. In alteram autem secretiorem, ac quodammodo sanctiorem semel duntaxat quotannis solus pontifex penetrabat, non tamen sine sanguine, quem tum pro se ipso, tum pro populi noxis offerebat. 8. Quo sanè Spiritus sanctus haud obscurè declarabat, quamdiu vetus illud ac materiale tabernaculum

culum consisteret, in quo Levitica sacrificia ritè peragerentur, ad illud cœleste sacrarium præfiguratum necdum patere aditum, quia nondum facta erat expiatio peccatorum per sanguinem & mortem Christi. 9. Et hanc tabernaculi dispositionem non solùm portendere, quid aliquando eventurum esset, sed etiam typum esse legis pro eâ tempestate valde infirmæ, eam ipsàm enim ob causam nec populo nec ipsis sacerdotibus permittebatur ingressus in sanctiorem templi partem, ut intelligerent dona & hostias, quas ex præscripto legis offerebant, discrimen ac delectum ciborum, quem tam religiosè observabant, 10. utì & purificationes aliásque ceremonias legales seipsis nullam eis veram sanctitatem ac justitiam intrinsecam, nullam spiritûs emundationem posse conferre, donec Christus Dominus suo adventu quod imperfectum erat, perficeret, quod inchoatum, absolveret, & figuris umbrísque finem imponeret veritate ipsâ palàm manifestatâ, & gratiæ justificantis thesaurô secum allato. 11. Qui cœlestium ac futurorum bonorum Pontifex factus longè majus ac perfectius tabernaculum non

rum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum.

9. *Quæ parabola est temporis instantis: juxta quam munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodò in cibis & in potibus,*

10. *Et variis baptismatibus & justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis.*

11. *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per am-*

plius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis,

non opificiô manuum fabrefactum neque humanâ structurâ exædificatum ingressus.

12. Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æternâ redemptione inventâ.

12. Corpore enim assumpto divináque operatione formato illud pro victimâ in cruce obtulit, atque ita non per hircorum aut vitulorum cinerem nidorémque, sed per proprium sanguinem in arâ crucis effusum ex militanti suâ Ecclesiâ semel in cœleste sacrarium penetravit, in Ecclesiam nempe triumphantem inventa, seu magno studio, labore ac totius sanguinis sui profusione comparatâ nobis omnibus plenâ, solidáque redemptione, non ad breve tempus, sed æternùm duraturâ.

13. Si enim sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis:

13. Nam si sanguis hircorum & vitulorum effusus & in sanctuarium illatus per pontificem valebat ad expianda populi peccata quadam expiatione carnali, similiter & cinis vaccæ rufæ, quo aquâ mixto aspergebantur ii, qui secundùm legem erant immundi: valebat ex divinâ institutione atque auctoritate ad sanctificandos eos, id est, purificandos ab immunditia, ut secundùm carnem & forinsecus mundi ac puri censerentur.

14. Quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semet-

14. Quantò magis sanguis Christi ipsius, qui auctore & impulsore Spiritu sancto semetipsum agnum

num

num immaculatum in mortem Deo Patri pro nobis obtulit, emundabit animas nostras à peccatis mortiferis, ut deinceps Deo vivo ac vero in verâ sanctitate & justitiâ vivamus? Plus enim utique valere debet sanguis filii Dei ad purgandas & sanctificandas hominum animas, quàm valere potuerit sanguis animalium brutorum occisorum ad emundationem carnis.
15. Itaque ob id novi, melioris, ac efficacioris fœderis mediator ac sequester constitutus est, ut quod sanguis ille pecudum præstare nequaquam poterat, illi ipsi, qui in priori fœdere viventes, sceleribûs sesè ac flagitiis contaminâssent (modò à Deo ad beatam illam & immortalem vitam prædestinati essent) omni noxâ soluti æternæ hæreditatis promissam portionem assequerentur, id quod perfecit morte suâ intercedente. 16. Etenim apud omnes compertum exploratúmque est, ut testamentum vim suam atque robur obtineat, testatoris mortem priùs necessariò intercedere, neque ante hæreditatem adiri posse, 17. quia testamentum non nisi post obitum testatoris ratum est, ac firmum, alioqui illo adhuc superstitè omni prorsus vi atque

ipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?

15. *Et ideo novi testamenti mediator est: ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis:*

16. *Ubi enim testamentum est, mors necesse est, intercedat testatoris*

17. *Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin non-*

dum valet, dum vivit, qui testatus est.

que auctoritate destituitur, cùm illud semper mutare vel omnino rescindere possit. Hoc verò secundum fœdus, si cum ejus auctore Christo ritè consideretur, qui mortem, quam in illo fœdere sanciendo Deus à nobis jure exigebat, suâ ipse sponte subiit, quandam habet testamenti rationem, quo illo jam vitâ functo ad æternam hæreditatem vocamur, à quâ meritò propter peccata excludamur. Neque id mirum aut novum videri debet.

18. *Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est.*

18. Quandoquidem nec primum illud & vetus testamentum quamvis non ita propriè testamentum esset, sine sanguine fuit confirmatum, ac morte non quidem ipsius testatoris (nam is est immortalis) sed vitulorum & hircorum ipso jubente neci datorum, quorum sanguis præfigurabat sanguinem Christi, quod ex sacris litteris intelligi facilè potest.

19. *Lecto enim omni mandatô legis à Moyse universo populo; accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum cum aquâ, & lanâ coccineâ, & hyssopo; ipsum quoque librum & omnem populum aspersit,*

20. *Dicens: hic sanguis,*

19. Cùm enim Moyses omnem legem omniáque ejus præcepta universo populo proposuisset, vitulorum & hircorum sanguine sumpto unà cum aquâ, & lanâ coccineâ & hyssopo simul & ipsum librum & cunctum populum aspersit dicens: 20. hic est sanguis, quo ratificatur & confirmatur fœdus, quod Deus suo mandatô meó-

meóque ministerio nunc vobiscum pepigit sanctéque vobis servandum præcepit. 21. Præterea tabernaculum ipsum & omnia vasa sacrorum eâdem ratione sanguine perfudit, & quodammodo initiavit. 22. Denique, ut multa paucis complectar, omnia fere in illa lege antiquâ sanguine lustrabantur, & absque sanguinis effusione nulla prorsus expiatio rata erat, quò nimirum significaretur, eum, cujus nomine offerebantur victimæ, mortem commeritum esse. Itáque si quis tunc peccâsset, cogebatur victimam pro peccato immolare, & per hanc accipiebat remissionem non culpæ, vel reatûs coram Deo, sed immunditiæ legalis, & pœnæ alioquin in hac vitâ incurrendæ. Atque hæc erat purificatio tabernaculi aliarúmque rerum in eâ Lege, quæ præfigurabat Tabernaculum novum nempe Ecclesiam tam militantem quàm triumphantem. 23. Quandoquidem verò hæc ipsa Ecclesia tantò præstat Tabernaculo, quantò corpus umbræ, veritas figuræ, & pictura absoluta primæ delineationi, ita convenientissimum fuit, ut mundaretur hostiis longè melioribus, ac nobilioribus, nempe sanctissimâ carne

testamenti, quod mandavit ad vos Deus.

21. *Etiam tabernaculum, & omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit.*

22. *Et omnia pene in sanguine secundùm legem mundantur, & sine sanguinis effusione, non fit remissio.*

23. *Necesse est ergò exemplaria quidem cælestium his mundari: ipsa autem cælestia melioribus hostiis, quàm istis.*

carne & ſanguine Chriſti, cui virtus ineſſet omnes peccatorum ſordes abluendi, membráque ejus omnia ſanctificandi: Jam verò ſi Chriſtus eſt tam pretioſa victima, cœleſtis nimirum, cœleſtem doctrinam tradens, cœleſte prœmium atque hæreditatem conferens, pontifex quoque erit tantò ſanctitate aliíſque prærogativis eminentior, quantò ſacrificium ejus longè ſanctius & efficacius eſt ſacrificiis omnibus Legis antiquæ.

24. *Non enim in manufacta ſancta JEſus introivit: exemplaria verorum: ſed in ipſum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis:*

24. Non enim ingreſſus eſt Chriſtus in ſacrarium hominum manu fabricatum, quale fuit illud antiquum, quod erat exemplar vero ſacrario reſpondens, ſed in cœlum ipſum empyreum intravit, non tamen ita, ut cum introitu curam noſtri depoſuerit, nam nunc etiam ùt mediator, pontifex, advocatus apparet vultui Dei, cauſam noſtram apud Patrem agit, cùm Levitici ſacerdotes coram arcâ tantùm aſtiterint.

25. *Neque ut ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per ſingulos annos in ſanguine alieno:*

25. Ubi hæc cruenta ſui ipſius oblatio minimè illi iteranda eſt, uti olim Leviticus Pontifex quotannis jugulatis hoſtiis alieno quodammodo ſanguine cruentatus in ſancta ſanctorum ingredi cogebatur, quandoquidem morte ſemel obitâ ſufficienter ex

parte

parte suâ universum mundum redemit omnésque homines sive ante sive post se nascituros. 26. Nam si litatio Christi Domini repetenda esset ob nova scilicet debita post primam contracta, oportuisset etiam ipsum ab ipso mundo condito sæpiùs mortem obire, ut eorum, qui jam præcesserant crimina expiare potuisset, atqui oblatio Christi in ipsâ temporis à Deo prædefiniti plenitudine atque hac postremâ mundi ætate peracta, & ad omnium sæculorum perfectionem relata iterari nec potuit, nec potest, sed illius vis atque efficacia ad præterita & futura omnia peccata porrigitur, ut unâ sui ipsius immolatione peccatum omni ex parte aboleverit. 27. Quemadmodum autem nobis hominibus propter peccatum protoparentis nostri mors semel oppetenda est, & ubi hoc debitum naturæ persolutum est, supremum nos exspectat judicium, ut digna factis recipiamus, 28. ita & Christus Dominus, qui peccata nostra in se expianda sponte suâ susceperat, voluit etiam assumptâ naturæ nostræ mortalis conditione semel mori, & sic Deo in lytrum offerri, dein & ipse

26. Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit.

27. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium:

28. Sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata, secundò sine peccato apparebit exspectantibus se, in salutem.

ipse ad judicium venire non judicandus, sed totum universum judicaturus, non in exitium (nisi solis rebellibus suis) sed in salutem iis, qui integrâ fide, spe, charitate, & debito obsequio eum præstolantur: veniet, inquam, non iterum peccatorum nostrorum sarcinâ onustus, ut illa rursus expiet, sed ut judicem omnium agat, nempe vindicem malorum, remuneratorem bonorum.

PARAPHRASIS

CAP. X.

1. *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum; per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere:*

1. Dissertatio hæc de efficaciâ mortis Christi tanti momenti est, ut operæ pretium existimem, eam ulteriùs prosequi & solidè stabilire, ne ullum mentibus vestris inhæreat dubium, & discatis nullâ aliâ in re fiduciam vestram reponere, quam in ejus sacrificio. In Lege, quæ, utì sæpiùs jam indicavi, umbra tantummodò & figura erat futurorum spiritualium ac cœlestium bonorum, quæ nobis per Evangelium obven-

obventura erant, quotannis eædem offerebantur hostiæ, quæ nullam relationem habebant ad principalem quandam, unde vim omnem & efficaciam haurirent, quin imò, quoties offerebantur, earundem noxarum confessio repetebatur argumentô haud obscuro, earum memoriam hac ratione potiùs refricari, quàm perfectam remissionem obtineri, verámque sanctitatem conferri. 2. Si enim Leviticæ illæ victimæ vim habuissent primâ statim vice cultores suos perficiendi & à peccatis mundandi, quid necesse erat singulis annîs eas denuo immolare, malo enim semel extincto & suppresso quæ necessitas remedia iteratò applicandi? 3. Atqui multò aliter sese res habet: apud illos enim quotannis eadem piacula repetuntur, & frequentissima fit peccatorum mentio, & oblatio victimarum. 4. Cujus rei non alia ratio suppetit, nisi quia sanguis hircorum ac vitulorum non eâ vi ac virtute pollet, ut peccata omnia tollere & abolere possit. 5. Quocirca Christus Dominus nostri misertus, cùm teste Davide humanâ naturâ assumptâ venturus esset in mundum, his verbis Patrem alloqui-

2. *Alioquin cessassent offerri: ideo quòd nullam haberent ultrà conscientiam peccati, cultores semel mundati:*

3. *Sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit.*

4. *Impossibile enim est sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata.*

5. *Ideo ingrediens mundum dicit: hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi:*

quitur: sacrificium & oblationem legis Mosaicæ noluisti, corpus autem per Incarnationem aptasti mihi eorum locô immolandum. 6. Holocausta & hostiam pro peccato non comprobasti, 7. tunc dixi: ecce adsum paratus ad omnia, quoniam in capite libri de prædestinatione æternâ scriptum est de me, placere tibi, ut exequar voluntatem tuam, illi me libentissimè subjicio. 8. Ex his verbis, quæ rex David in personâ Christi pronuntiavit, 9. manifestè deducitur, idcirco eum in hunc mundum venisse, ut Deo ab omni creaturâ debitum sacrificii honorem exhiberet & tanquam actum perfectissimi cultûs latreutici, quo ejus sanctitas & Majestas immensa pro meritis agnoscitur, & colitur, quique tamen condignè reddi non potest per holocausta, aliásque oblationes ejus dignitati minimè commensuratas, & ex eâ tantùm ratione hactenus ab antecessoribus acceptatas, quòd repræsentarent divinam illam victimam, filium nempe suum unigenitum, qui proin primum illud genus sacrificiorum ac sacerdotii sustulit, ut alterum, nempe suum institueret, ac stabiliret, quo secundùm

6. Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt:

7. Tunc dixi: ecce venio: in capite libri scriptum est de me: ut faciam, Deus voluntatem tuam. Ps. 39.

8. Superiùs dicens: quia hostias & oblationes, & holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundùm legem offeruntur,

9. Tunc dixi: ecce venio, ut faciam Deus, voluntatem tuam: aufert primum, ut sequens statuat.

dùm voluntatem & decretum Dei offert se in victimam expiatoriam.
10. Quâ quidem unicâ victimâ secundùm Patris voluntatem à Christo in arâ crucis semel oblatâ nos omnes veram justitiam & sanctitatem adepti sumus nempe quantum est ex parte victimæ ad omnes justificandos sufficientissimæ.
11. Sacerdotes quidem Levitici quotidie altaribus adstant, sacris operantur, easdem sæpiùs victimas immolantes, quæ sunt ejusmodi, ut nunquam possint abolere peccata.
12. Hic verò Sacerdos longè sanctissimus una pro omnium mortalium peccatis oblata victimâ nunc plenè suo munere redemptoris perfunctus sedet jam tanquam rex gloriosus in amplissimo Majestatis throno ad dexteram Dei Patris, sedebítque æternùm in cœlis, quos suâ illâ oblatione sibi nobísque reseravit.
13. Exspectans id, quod adhuc reliquum est, ut inimici ipsius penitus victi ac domiti ad pedes ejus abjecti pro scabello suppedaneo ei substernantur calcandi, ne ultra nocere possint. Nec pluribus indiget oblationibûs sui corporis.
14. Unicâ enim, quam in cœlo terráque diver-

10. In quâ voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis JEsu Christi semel.

11. Et omnis quidem sacerdos præstò est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata.

12. Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dexterâ Dei,

13. De cætero exspectans, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus.

14. Unâ enim oblatione, consummavit in

sempiternum sanctificatos.

15. *Contestatur autem nos & Spiritus Sanctus: Postquàm enim dixit:*

16. *Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus: dando leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas:*

17. *Et peccatorum & iniquitatum eorum jam non recordabor ampliùs.*

18. *Ubi autem horum remissio: jam non est oblatio pro peccato.*

19. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi,*

versis modis continuat, in perpetuum omnes, qui ad extremum usque mundi diem nascituri sunt, sanctitatis capaces atque participes reddidit, quotquot gratiæ vocanti excitantique responderent. 15. Quod quidem Spiritus ipse sanctus haud obscurâ & dubiâ testificatione firmavit, posteaquam enim prædixit: 16. se post dies illos, nempe post repudiatam synagogam & legem Mosaicam novum testamentum seu pactum cum populo suo initurum, mox explicat, quale sit istud futurum, nempè quo in cordibus eorum abundantissimæ gratiæ per Christum scaturiant, 17. et peccata ita ex eis eliminentur & aboleantur, ut illorum ampliùs non recordetur Deus. 18. Porrò ubi plena est peccatorum remissio, necessaria non ampliùs est, adeóque locum non habet iterata oblatio seu victima quâ novum rursus pretium illis redimendis comparetur, sed solùm est necessaria applicatio pretii semel per mortem Christi comparati. 19. Itaque fratres cùm jam per Christi sanguinem veram consecuti simus peccatorum remissionem, atque ita fiduciam liberámque facultatem introeundi in Sanctum Sancto-

ctorum, cœlum videlicet, 20. quam viam veluti novam, nulliúsque vestigiis pressam, & ad vitam immortalem rectà ducentem Christus primus ingressus est, nobísque aperuit per velamen, nempe carnem suam in cruce immolatam (quia sicut velum in passione Christi discissum patefecit Sanctum Sanctorum, ita & caro Christi per mortem discissa patefecit nobis cœlum) 21. Cùm insuper magnum pontificem, mediatorem, atque advocatum habemus apud Deum domui suæ nempe Ecclesiæ perpetuò invigilantem atque opitulantem, 22. accedamus mente sincerâ, candidâ, & minimè fucatâ cum plenâ & certissimâ fide divinarum promissionum, consciencià non tantùm ab originali labe per salutarem baptismatis aquam, sed etiam à quibuscunque aliis sordibus perSpiritûs Sancti gratiam emundata, 23. spe quoque in Deum egregiè animati, qui promissis suis amplissimis certò stabit, 24. ardente denique charitate tum in ejus obsequio tum inter nos mutuâ accensi conjunctíque nos ad omnem vitæ honestatem ac sanctitatem exemplis optimis excitemus dissimulatis fratrum infirmitatibus nos potiùs secundùm ea con-

20. *Quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, id est, carnem suam,*

21. *Et sacerdotem magnum super domum Dei:*

22. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientiâ malâ & abluti corpus aquâ mundâ.*

23. *Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem (fidelis enim est, qui repromisit)*

24. *Et consideremus invicem in provocationem charitatis, & bonorum operum:*

considerantes, quibus ad benignitatem,& bona opera mutuò præstanda provocemur.

25. *Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, & tantò magis, quantò videritis appropinquantem diem.*

25. Non deseramus præ fastu & superbiâ cœtus pios, & conventus publicos, ut nonnulli facere consueverunt, sed cùm convenerimus, mutuis nos potiùs adhortationibûs excitemus ad ferenda fortiter adversa quæque, cùm jamjam malorum terminus, supremus nempe hujus exilii dies immineat, quo cujusque seu constantia seu inconstantia elucescet,& condignam mercedem accipiet. Quòd in morte & sacrificio Christi tam facile atque efficax remedium nobis suppetat ad obtinendam quorumcunque etiam gravissimorum scelerum veniam,non idcirco minùs eorum enormitas curanda, sed tantò magìs pertimescenda vobis & detestanda est, quòd videamus Deum illa in personâ filii sui, ùtùt aliena,tam severè punivisse.

26. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.*

26. Quòd si neglectis omnibus pietatis stimulis post perceptam veritatis cognitionem & professionem doctrinæ Evangelicæ, vitæque sanctioris quis resilire ausit, séque denuo prioribus flagitiis contaminare, sciat omnino, nisi seriò resipiscat, sibi exitium sempiternum imminere, neque Chri-

Christum pro relapsu suo denuò in cruce immolandum, aut tam facilem extremæ hujus perfidiæ fore remissionem quàm in baptismate jam suscepto, 27. sed horrendam potiùs divini judicii exspectationem, pœnámque longè atrocissimam ignis æterni contra rebelles Dei hostes, qui infinitâ ejus clementiâ abutuntur, manere. 28. Si olim enim, qui legem Moysis aliquâ ratione violâsset, duorum aut trium testium consensione convictus capite flagitium luebat, 29. quantò graviori suppliciô dignum putabitis eum, qui abominandâ impietate ipsum Filium Dei conculcaverit ac spreverit, & novi fœderis sanguinem, cujus vi fuerat expiatus, tanquam quid profanum, vile ac sordidum contempserit, abjecerit, & divinæ gratiæ spiritum in se liberalissimè effusum indignis contumeliis affecerit? Deus patiens est, sed & justus, vult ut in ejus bonitate ac clementiâ fiduciam nostram collocemus, sed neutiquam ferre potest, ut illâ abutamur per summam impietatem ad multiplicandas & aggravandas ejus offensas. 30. Novimus enim, quisnam, aut quantus sit ille, qui dixit aliquando: meum est impios

27. Terribilis autem quædam exspectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.

28. Irritam quis faciens legem Moysi, sine ullâ miseratione duobus vel tribus testibûs moritur:

29. Quantò magìs putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?

30. Scimus enim, qui dixit: mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterum:

quia judicabit Dominus populum suum.

pios ulcisci, ego paria referam, & rursum: dominus judicabit populum suum. Quando homines ulcisci volunt injurias sibi illatas, spem saltem habemus aliquam eos nostrâ submissione placandi, neque enim vires ac potestas semper commensuratur ac respondet dolori inde concepto, & tametsi responderet, vindicta tamen ultra vitæ terminum non porrigitur, at horum nihil in Deo pariter offenso locum habet: non inflectitur nostris lachrymis, si absolutè & fixum stat à nobis condignas pœnas exposcere, & quandoquidem semper vivit, æternas quoque peccantibus post mortem pœnas servat, & continuat. Quamdiu inter peccatores degebat sub habitu & specie peccatoris, commiseratione tactus peccatores ad se recurrentes ambabus ulnis excipiebat, nunc dum miseriis & infirmitatibus mortalium exemptus vitâ vivit omnino divinâ, sedetque in solio Majestatis divinæ ad judicandos & pro meritis plectendos peccatores

31. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.*

31. horrendum prorsus est incidere in manus ejus. Ne autem terrore futurorum suppliciorum vos diutiùs perculsos suspendam, quæ præterita sunt, vobis in memoriam revocabo: suppliciorum

rum

rum enim repræsentatio mancipiis potiùs in officio continendis, quàm ingenuis filiis convenit. 32. Repetite potiùs mente superiora tempora, quibûs divinâ luce perfusi, & sacro baptismo lustrati dura & ardua pro Christi nomine certamina invictâ animi fortitudine sustinuistis tum ab aliis tyrannis, tum à contribulibus vestrîs. 33. Partim quidem, dum probris & insectationibûs atrociter vexati quodammodo in theatrum producti estis, & spectaculum Deo facti dignissimum, partim verò commilitonum vestrorum calamitates dolenti & afflicto animô, quasi vobis communes pertulistis. 34. Nam & carcere inclusis pio commiserationis affectu vitæ necessaria suppeditâstis, & facultatum bonorúmque vestrorum direptionem lætis animis suscepistis, quippe qui sciretis apud vos, & in vobis ipsis potiores divitias reliquas esse, nempe cœlestes, & divinas, quæ ab invitis auferri neutiquam possunt, sed semper perseverant. Satis non est tam benè cœpisse, continuanda sunt tam præclara initia. 35. Nolite itaque degenerare ac deficere à tam præcelsis cogitationibus, spémque ac fiduciam vestram abjicere, nempe opes, meri-

32. Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum.

33. Et in altero quidem opprobriis & tribulationibûs spectaculum facti: in altero autem socii taliter conversantium effecti.

34. Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem, & manentem substantiam.

35. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.

merita, thesauros spirituales tot laboribus tot præliis partos, ex quibus ingentem fiduciam obtinendæ aliquando vitæ æternæ haurire soletis.

36. Patientia enim vobis necessaria est: ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.

36. Sic enim habetote: Deus quidem promissis suis minimè deerit, patientia tamen ad finem usque vitæ continuata vobis planè necessaria est, & à Deo exigitur, cujus voluntati si morem gesseritis, promissam bonarum actionum remunerationem cumulatissimè accipietis.

37. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, & non tardabit.

37. Adhuc enim tantillum, tantillum, inquam, vobis exspectandum erit, & veniet ad judicium, qui venturus est Christus proemia perseverantibus, pœnas apostatis repensurus. Interea temporis mutuò nos oportet consolari, operámque dare, ut de eorum numero simus, de quibus

38. Justus autem meus ex fide vivit: quòd si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Abac. 2.

38. Dominus dicit: justus ex fide vitam ducet, & in mediis persecutionibus hoc se scipione fulciet.

39. Nos autem non sumus subtractionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.

39. Quòd si quis se subduxerit tolerandis æquo animô pro tuendâ fide hujus vitæ ærumnis, illi quoque gratiam meam subtraham, neque justitiæ præteritæ rationem habebo. At verò benè habet, fratres mei, quòd ut spero, non ii simus, qui providæ ejus directioni nos subtrahere velimus in exitium

po-

noſtrum, ſed qui in fide ac fiduciâ conſtanter perſeveremus ad conſequendam æternam animæ ſalutem.

PARAPHRASIS

CAPITIS XI.

1. OBſecro vos, ut nunc attentiùs conſideretis præcellentias fidei tantopere nobis neceſſariæ, ne animô deficiamus tot inter adverſa, quibûs undique impetimur. Tametſi multa, quæ nobis credenda proponit, necdum extent, & primùm eventura ſperentur, v.g. æterna præmia, ea tamen menti noſtræ quaſi præſentia exhibet, dum videlicet adeo certos de iis nos facit, atque ſi reipsâ jam præſtita eſſent ac manibûs tenerentur, certiores verò quàm ſi vel oculis eſſent conſpecta, vel evidenti ratione demonſtrata. 2. Ab eâ ſanè plurimùm commendati ſunt majores noſtri, à quibus ortum ducimus, quòd Deo placerent, quorum auctoritate atque exemplô par eſt nos plurimùm commoveri. 3. Ac fide

1. *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.*

2. *In hac enim teſtimonium conſecuti ſunt ſenes.*

3. *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbô*

(Nnn)

Dei: ut ex invisibilibus visibilia fierent.

fide quidem intelligimus esse omnia Dei verbô condita in principio temporis, ita ut quæ cernuntur universa, non sint ex aliquâ apparenti aut reverà subsistenti materiâ, sed ex nihilo procreata, ordinatâ serie ritè disposita, & sensu nunc perceptibilia, quæ priùs illum effugerant.

4. Fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur.

4. Fides, quæ major & ardentior erat in Abel, quàm in Cain, excitavit eum, ut pinguiorem atque meliorem hostiam Deo offerret, propterea præclarum suæ justitiæ testimonium habuit Deo ipsius munera tanquam excellentiora comprobante, ejusdem etiam fidei beneficiô tametsi occisus in hominum tamen memoriâ semper vivet, & loquetur cruore suo cœlestem quodammodo ultionem reposcente contra fratrem suum.

5. Fide Enoch translatus est, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo.

5. Fide Enoch insigni, eique conformi vitæ sanctitate translatus est à Deo ex oculis & consortio hominum, ne mortem obiret, quam ob causam, quia Deus eum ad se evocaverat, inter mortales apparere desiit, etenim priusquam abriperetur, divino oraculô patuit ipsum placuisse Deo.

6. Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum,

6. Atqui sine fide fieri non potest, ut quis illi placeat, eum enim, qui se divino obsequio mancipare vult, credere ante omnia oportet, esse Deum,

um,

um, résque humanas per suam providentiam curare ac proin pro suâ æquitate illos, qui ipsi religioso cultu servire ac placere student, liberalissimè remunerari. 7. Noë quoque divino oraculô admonitus certiórque redditus de imminente mundo flagitiis corrupto eluvione, cujus tamen necdum indicia apparebant, Deo credidit, & reverentiâ quadam ac pio timore ductus aptavit arcam ad suæ unius familiæ salutem, ejúsque constructione reliquum mundum ùt incredulum & in sua perversitate obstinatum ac proin exitiô dignum damnavit. Fides eum non tantùm incolumem servavit ab universali diluvio & interitu, sed tanquam radix & fundamentum justitiæ eum justum ac hæredem reddidit benedictionum, quæ Patribus ejus promissæ fuerant. 8. Magnus ille Patriarcha Abraham fide excitatus & impulsus, quâ credebat Dei promissis, obsecutus est ei præcipienti, ut exiret de domo paternâ in eum locum, quem, sicut Deus promiserat, accepturus erat in hæreditatem & possessionem legitimam, exivit autem planè ignorans, quò sibi pergendum aut perveniendum esset. 9. Fide animante in regione illâ tanquam advena in alieno solo

quia est, & inquirentibus se remunerator sit.

7. Fide Noë responsô accepto de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domûs suæ, per quam damnavit mundum: & justitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus.

8. Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem: & exiit nesciens quò iret.

9. Fide demoratus est in terra repromissio-

nis, tanquam in alienâ; in casulis habitando cum Isaac & Jacob cohæredibus repromissionis ejusdem.

10. Exspectabat enim fundamenta habentem civitatem: cujus artifex & conditor Deus.

11. Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis; quoniam fidelem credidit esse eum, qui repromiserat.

12. Propter quod & ab uno orti sunt (& hoc emortuo) tanquam sydera cæli in multitudinem, & sicut arena, quæ est ad oram maris, innumerabilis.

13. Juxta fidem defuncti sunt omnes isti,

solo commoratus est, ut qui in tentoriis habitavit unà cum Isaac & Jacob, qui ejusdem hæreditatis promissæ participes futuri erant. Ne autem miremini, illum nec tædio correptum, nec magnopere fuisse sollicitum de comparando sibi domicilio stabili, rebúsque ad vitæ sustentationem necessariis. Altiora spirabat generosus ille animus. 10. Exspectabat enim civitatem aliam benè & solidè fundatam, firmissimam, immobilem, æternam, nempe patriam cœlestem, cujus artifex & conditor est ipse Deus. Fides mariti uxori quoque ad miraculum usque profuit. 11. Sara enim cùm sterilis naturâ esset, divinæ promissioni confisa vim accepit ad concipiendum semen, ac præter ætatis suæ rationem ac naturæ conditionem peperit. 12. Quin imò ex uno Abrahamo eóque jam effæto ac pene demortuo tam numerosa exorta est liberorum posteritas, ut æquaret syderum cœli multitudinem, & innumerabilem arenam, quæ est in littore maris. 13. Atque hi tres sanctitate non minùs, quàm antiquitate venerandi Patriarchæ, de quibus mentionem intuli, fidem, quam semel complexi sunt, ad extremum usque vitæ spiritum constantissimè retinuerunt

runt, cùm tamen nondum adepti essent promissa, sed eminus tantùm & perobscurè illa aspexissent & credidissent (quod navigantibus ferè contingere solet, si à longè prospiciant ac læto clamore salutent terram utut adhuc valde remotam) & cum debitâ gratiarum actione illa excepissent professi, se hospites esse atque advenas in terrâ, 14. quâ sanè oratione palàm testabantur, se nondum ad terram promissam pervenisse, sed tanquam exteros & peregrinos patriam adhuc inquirere, non utique illam terrestrem, sed supernam, 15. quòd si quam deseruerant, patriam mente & cogitatione voluissent, nihil illis facilius ac proclivius erat, quàm in eam denuo reverti 16. Jam verò meliorem procul dubio, hoc est, cœlestem patriam exspectabant, quâ co fidei devotione tantopere Deo placuerunt, ut oblivione quodammodo præteritis aliis Majestatis divinæ titulis ac prædicatis cùm universorum esset dominus, eos tamen honore ac favore peculiari dignatus sit, ut Deum Abraham, Isaac & Jacob seipsum nominaret, iisque sanctam illam atque supernam civitatem præpararet, ad quam tanta fide & constantiâ anhelabant,

non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram.

14. *Qui enim hæc dicunt, significant, se patriam inquirere.*

15. *Et si quidem ipsius meminissent, de quâ exierunt, habebant utique tempus revertendi:*

16. *Nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem.*

17. *Fide obtulit Abraham Isaac, cùm tentaretur, & unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones;*

18. *Ad quem dictum est: quia in Isaac vocabiter tibi semen:*

19. *Arbitrans, quia & à mortuis suscitare potens est Deus: unde eum & in parabolam accepit.*

20. *Fide & de futuris benedixit Isaac, Iacob, & Esau.*

bant, ut in eâ æternùm beatè viverent. 17. Fide pariter suadente Abraham, cùm Deus ipsum quodammodo explorare, ejúsque virtutis periculum faceret, obtulit Isaacum in sacrificium, illum, inquam, unigenitum sibi divinitùs promissum, 18. et præter omnem spem humanam concessum, ex quo uno posteritatem numerosissimam sibi nascituram intellexerat. Probatio hæc satis difficilis, & naturali genitoris affectui contraria videbatur, neque sanè tam inexspectato præcepto adeo promptè obtemperare potuisset Abrahamus, nisi fidei instinctu atque virtute. 19. quæ illi omnino persuaserat, Deum vel à mortuis illum facilè excitare posse; quemadmodum etiam illum à morte jam destinatâ ereptum, & quodammodo redivivum accepit tanquam typum morituri & resurrecturi Christi Domini; qui non solùm in sacrificium sese obtulit; sed etiam reipsâ mortem pro nobis ultrò subiit, & ab eâ quidem seipsum ad vitam revocavit, ut eam penitus destrueret. 20. Fide Jacob filiis suis Jacob & Esau benedicens futura bona dispertiit, non aliter ac si præsentia cum pleno dominio possideret.

21.

21. Fide Jacob moriturus singulis filiis Joseph Manasse nempe & Ephraim benè precatus est, & inclinato capite fastigium sceptri illius devenératus est, tanquam figuram regni Messiæ post aliquot sæcula primùm exorituri. 22. Fide Joseph egressionem filiorum Israël ex Ægypto vaticinando prædixit, suáque ossa ex illâ regione asportari præcepit, ut Patribus suis apponerentur. 23. Fide cùm Moyses natus esset, occultatus est à parentibus menses tres, quòd infantuli elegantiam adamâssent, & magna quæque ab eo pro communi populi salute præstanda promitterent, neque imperiosum regis Pharaonis edictum magnopere formidarent. 24. Ut verò is adolevit, comperítque se liberando populo destinatum à Deo, fide impulsus est, ad excutiendam adoptionem filiæ regis, & negligendum fictitium generis splendorem ac nominis dignitatem, 25. potiùs eligens unà cum populo Dei ærumnis premi, quàm temporariis commodis perfrui, quibus absque piaculo indulgere non potuisset, 26. majores & longè præferendas divitias reputans Christi probra & contumelias, quàm Ægyptiorum

21. Fide Jacob, moriens, singulos filiorum Joseph benedixit: & adoravit fastigium virgæ eius.

22. Fide Joseph, moriens, de profectione filiorum Israel memoratus est, & de ossibus suis mandavit.

23. Fide Moyses, natus, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eò quòd vidissent elegantem infantem, & non timuerunt regis edictum.

24. Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis,

25. Magis eligens affligi cùm populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem,

26. Majores divitias æstimans thesaurô Ægyptiorum, improperium Chri-

sti: aspiciebat enim in remunerationem.

tiorum thesauros, spiritu enim prophetico atque etiam majorum traditione præsciebat, Christum mundi redemptorem multa opprobria passurum, ut ergò ei similior evaderet, maluit multis probrîs affici cum Hebræis, quàm honoribûs, opibus, deliciis abundare in aula Pharaonis, primùm enim credebat, post afflictiones, quas cum populo Dei tollerabat, secuturam populi liberationem, quæ utique futura erat merces quædam patientiæ prioris. Deinde ac potissimùm fidei suæ oculos attollebat ad bona cœlestia, quæ Deus cultoribus suis pro mercede ac præmio priorum laborum se reddíturum promisit.

27. *Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis: invisibilem enim tanquam videns sustinuit.*

27. Fides ejus præterea in migratione ex Ægypto præcipuè eluxit, primo quidem, quòd tantam virorum mulierúmque multitudinem in solitudinem eduxit, divinæ sese totum providentiæ committens, nihílque dubitans, eam sibi & populo affuturam. Deinde quia iram & indignationem regis non timuit, quem sibi tamen & populo infensum esse multis argumentis perspicuè cognoverat. Et verò quid timeret hominem visibilem, infirmum, ac mortalem, qui Deum omni-

nipotentem, immortalem & invisibilem adjutorem & remuneratorem constanti fide expectavit sibi tam certò affuturum, acsi visibiliter præsentem illum haberet. 28. Fide quoque celebravit solennitatem paschalem, ut sanguinis effusione quo Hebræorum postes ædium liniendi erant, populum servaret incolumem ab eo, qui Ægyptiorum primogenita perimebat. 29. Fide parentes nostri transiêre mare rubrum non aliter, ac si aridam solúmque calcarent, quod cùm Ægyptii quoque facere aggrederentur, Oceani vorticibûs obruti miserandum in modum perierunt. 30. Fide Jerichuntina mœnia aliàs firmissima conciderunt, cùm ad dies septem non sine tubarum clangore & festo clamore populi circumdata essent. 31. Fidei debet Rahab meretrix illa insignis, quòd unà cum cæteris incredulis non perierit, exploratores enim ad se venientes benignè ac benevolè recepit, iisque asserentibus Deum Israelitis dominium tradidisse finitimæ regionis cùm diviniNuminis impulsu credidisset, exitium urbis cum familiâ suâ evasit. 32. Et quid plura exempla afferam? deficiet me profectò

28. Fide celebravit Pascha & sanguinis effusionem: ne qui vasta ... primitiva, tangeret eos.

29. Fide transierunt mare rubrum tanquam per aridam terram: quòd experti Ægyptii, devorati sunt.

30. Fide muri Jericho corruerunt, circuitu dierum septem.

31. Fide Rahab meretrix non periit cùm incredulis excipiens exploratores cum pace.

32. Et quid adhuc dicam? deficiet enim me

tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel & Prophetis:

33. *Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum.*

34. *Extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum:*

35. *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Alii autem distenti sunt non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem.*

36. *Alii verò ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres:*

ctò dies commemorantem de Gedeone, Baracho, Samsone, Jephte, nec non Davide, ac Samuele cæterísque Prophetis, 33. qui fide, quâ crediderunt Deo ipsos ad bellum excitanti, regna expugnârunt, populo sibi commisso justitiam integrè administrârunt absque acceptione & discrimine personarum, ut decebat judices & rectores populi Dei, promissa sibi cœlitùs bona, uti crediderunt, ita consecuti sunt, occluserunt ora leonum. 34. Extinxerunt vim atque ardorem ignis, evaserunt hostiles gladios, ex infirmitatibus suis præter omnem exspectationem convaluerunt, in præliis eximia prudentiæ ac fortitudinis specimina dederunt, debellatis & profligatis non rarò maximis exercitibus. 35. Fide mulieres per prophetas redivivos accepère, qui jam mortem obierant, alii verò instar pellium in tympano distenti, fustibûs, flagris, ac loris contusi sunt, qui liberationem à tormentis, quam tyranni à fide deficientibus spondebant, acceptare noluerunt, ne æternâ illa ac meliori vitâ privarentur. 36. Alii rursus ludibriis & verberibûs excepti vincula insuper & carceres experti sunt. 37. Lapidi-

Lapidibûs nonnulli obruti, in partes dissecti & innumeris prope modis vexati, gladiô denique cæsi occubuere, qui verò hostium persecutioni se subduxerant, per devios montium saltus ac solitudines oberrârunt ovillis & caprinis pellibûs operti, omni penitus humanâ ope destituti. 38. Alii, quorum virtute ac sanctitate clarissimorum convictu ac consuetudine mundus in maligno positus dignus non erat, maluerunt, in silvis desertisque locis, in montibus, ac terræ latibulis miseram vitam ducere. 39. Atque hi omnes, cùm fidei tam strenuè propugnatæ ac pietatis constanter servatæ beneficiô suæ apud Deum justitiæ testimonium omni exceptione majus accepissent, promissionum tamen fructũ non omni ex parte assecuti sunt, unde nec vobis molestum esse debet, si modicum adhuc exspectandum sit. 40. Eâ præcipuè de causâ, quòd vobis vestræque utilitati benignè prospiciens Deus noluerit eos priùs, sed unâ vobiscum perfectam ac immortalem beatitudinem consequi, cœlorum enim reseratio adeóque perfecta ac completa tum animæ tum corporis felicitas pendebat ab adventu & resurrectio-

37. Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti:

38. Quibûs dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ.

39. Et hi omnes testimoniô fidei probati, non acceperunt repromissionem.

40. Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.

tione Messiæ, adeóque & à novo Testamento, in quo, uti sperare licet, eadem vobis obveniet, ut proin illi non nisi vobiscum beatificandi ac glorificandi sint, nempe post Christi ascensionem & tempus novi testamenti. Unde plurimùm divinæ bonitati obstricti estis, quòd majores vestri ex ejus dispositione vos præstolari debeant, ex quâ ipsâ argumentum ac motivum efficacissimum vobis præbetur æquo animô tantisper perferendi & vestras ærumnas, & dilationem perfectæ beatitudinis, ad quam votis omnibus anhelatis, quæque vobis propinquior est, quàm tot antecessoribus vestris, qui eam per integra sæcula præstolati sunt. Eorum itaque exemplô vos Hebræi in Christum jam præsentem credite, in ejúsque fide, spe, & amore constanter perseverate, ita enim cum priscis illis Patribus consummationem, id est, salutem, ac beatitudinem sempiternam adipiscemini.



PARA-

PARAPHRASIS

CAP. XII.

1. TOt támque illustria testimonia satis opinor, superque ostendunt eximiam dignitatem ac vim fidei, sequamur strenuè eorum exempla, & si adversa ac sinistra nobis metum incutiunt, excutiat illum invicta tantorum heroum constantia. Abjiciamus omnes sarcinas & remoras quæ cursum virtutis atque profectus retardant, ut sunt luxus superfluus anxiæ curæ, nimiæ occupationes, & id genus alia impedimenta. Missam etiam faciamus, vel saltem refrœnemus naturæ corruptæ concupiscentiam, quæ instar retis nos undique cingit, implicat, & in lubricos casus titubantes impellit. Curramus magnâ animi contentione, atque constantiâ in stadio nobis proposito ad destinatum victoribus bravium. Si diuturnitas atque difficultas agonis patientiam nostram infringere videtur, 2. oculos conjiciamus in JEsum

1. Ideóque & nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen:

2. Aspicientes in Au-

ctorem fidei & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudiô sustinuit crucem, confusione contemptâ, atque in dexterâ sedis Dei sedet.

JEsum, qui non solùm spectator est & præses agonis, sed etiam nos animat, corroborat, & remuneratur, qui fidei scutum nobis largitur & illæsum servat, suâ gratiâ ad vitæ sanctitatem vocat, divinis inspirationibûs ad se trahit, sibíque arctissimè unit ad absolvendam & consummandam in nobis ultimam perfectionem, qui denique locô gaudii, quo frui poterat vitam degendo felicem, & omnibus bonîs affluentem, acerbissimam crucis necem elegit ac pertulit, ignominiâ contempta, & insuper habito dedecore. Cùm enim liberum esset Dei Filio in propriâ gloriâ & divinitate manere, maluit incarnari, incarnatus reddere poterat corpus suum immortale, maluit habere mortale, moriturus poterat tranquillâ morte defungi, maluit crucifigi infamiâ probrosi supplicii nullâ ex parte retardatus. Beata mors, honorata confusio, dolores exoptabiles, quibûs fortiter toleratis nunc ad dexteram throni divini considet. Medium sanè opportunius ad retinendam in adversis animi constantiam non occurrit,

3. *Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictio-*

3. quàm ut reputetis vobiscum ipsi, quis ille sit, quantáque præditus dignitate, qui ab

ab improbis & sceleratis hominibus
talem ac tantam sustinuit adversus se
insectationem & calumniam. 4. E-
sto sanè, quòd adversus peccatum
satis strenuè à vobis hactenus pugna-
tum sit, necdum tamen usque ad
sanguinis effusionem restitistis.
Quare ergò tam væcordes modò
estis ac imbecilles? 5. Quo facto men-
te vestrâ excidit suavis illa admoni-
tio, quâ divina sapientia tacitis qui-
busdam vocibûs hortari vos non de-
sinit, & tanquam filios charissimos
his propemodum verbîs vos alloqui-
tur: fili mi, ne contempseris
correptionem, quâ à Domino tan-
quam optimo parente per flagella ab
eo seu immissa, seu permissa instrue-
ris, exerceris, perficeris, neque de-
ficias animô, dum ab eo argueris.
Sic enim 6. quem diligit Dominus,
studiosè increpat, & castigat, quip-
pe qui propterea vos in filios adopta-
tos affligit & percutit, ut erudiat,
purget, & probet, rejectitios autem
quasi desperatos relinquit corruptis
suis desideriis ac moribus, vel si percu-
tit, percutit iratus, non castigat propi-
tius. 7 Quando igitur Deus vos castigat,
nolite cogitare, id eum, ut severum
judicem facere ex subortâ indignatio-
ne

nem: ut ne fatigemini animis vestris deficientes.

4. *Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversùs peccatum repugnantes:*

5. *Et obliti estis consolationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur dicens: fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris, dum ab eo argueris.*

6. *Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Prov. 3.*

7. *In disciplinâ perseverate: Tamquam filiis vobis offert se Deus:* [illegible]

quis enim filius, quem non corripit pater?	ne, sed potiùs ex amore provido ùt parentem de filiorum profectu & salute sollicitum, quis enim inter vos filius, quem non aliquando castigat pater, nisi aberret ab officio suo.
8. *Quòd si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes: ergò adulteri, & non filii estis.*	8. Quòd si exempti & immunes esse vultis ab omni disciplinâ & correptione, cui Majores vestri fuêre obnoxii, ergò adulterini estis, spurii, illegitimi, degeneres.
9. *Deinde patres quidem carnis nostræ erud tores habuimus, & reverebamur eos: non multò magis obtemperabimus Patri spirituum & vivemus?*	9. Si verò parentum nostrorum, qui nos, quod attinet ad corpus, genuerunt, severiorem disciplinam & sustinuimus aliquando, & magnâ veneratione coluimus, an non multò magis nos convenit subjici conditori animarum nostrarum, & ex hac subjectione vitam spiritualem haurire? nam eas ipse solus creavit, corporibus infudit, justificavit &c. Neque verò castigat nisi in utilitatem nostram,
10. *Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundùm voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id, quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus.*	10. ut nimirum nos aliquo modo participes redderet suæ sanctitatis & inde consecuturæ gloriæ per exactam suarum legum observantiam, cùm tamen brevis illa nostrorum parentum castigatio negotia ùt plurimùm temporalia concerneret, & sæpe magis ex irritatâ bile & cæco furore proveniret, quàm ex æquitate & ratione.
11. *Omnis autem*	11. Si naturæ tantùm dictamina consulitis,

ſuſitis, ſi præſentia tantùm conſideratis, omnis quidem hujusmodi caſtigatio nunc amara & moleſta potiùs, quàm jucunda & optabilis videbitur, modò tamen aliquantulum patientiæ habeatis, experiemini, quàm dulces juſtitiæ & ſanctimoniæ fructus ſuis clientibus probè exercitatis proferat, quantam conſcientiis tranquillitatem procuret, mentibus lucem affundat, cœleſtium rerum amorem cordibus inſerat. 12. Quapropter tanquam ſtrenui athletæ remiſſa ac torpentia brachia, genua ſoluta, & flaccida membra excuſsâ ignaviâ erigite, accendite fervorem priſtinum, alacriter rem Dei, & negotium ſalutis veſtræ agite, præparate vos ſeriò ad repellendos inimicorum veſtrorum aſſultus, ad comprimendas cupiditates noxias, mundúmque ac dæmonem ſuperandum, cúmque ab intentione operum valor dependeat, curate, ut illa recta ſit. 13. Neque ad dextram, neque ad ſiniſtram in obſequio Dei deflectentes, rectam videlicet Chriſtianiſmi viam, fidem, vitam tenete, unius ſupremi Numinis gloriam ſpectantes, greſſúque minimè titubanti principiis veræ religionis inſiſtentes. Hiſce non con-

diſciplina, in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii ſed mœroris: poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ.

12. *Propter quod remiſſas manus & ſoluta genua erigite.*

13. *Et greſſus rectos facite pedibus veſtris: ut non claudicans quis erret, magis autem ſanetur.*

contenti proximi quoque curam non negligite, datéque operam, ut si quis in via Domini claudicat, & fallente gressu incedit, ne penitus deflectat, & abducatur, sed efficite potiùs, ut quoad ejus fieri poterit, in priorem veritatis, & justitiæ semitam revocetur.

14. *Pacem sequimini cùm omnibus & sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Deum:*

14. Colite pacem cum omnibus mortalibus, cordis autem munditiam modis omnibus procurate, cui Christus Dei conspectum & contemplationem pollicetur:

15. *Contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei: ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.*

15. providentes interim, ne quis à Dei gratia benevolentiáque seu virium defectu, seu segnitie retardatus deficiat, item ne qua radix amara seu falsæ doctrinæ vel pravi exempli suppullulans mentem obturbet, lætámque messem inquinet.

16. *Ne quis fornicator aut profanus, ut Esau: qui propter unam escam vendidit primitiva sua:*

16. Talis esset scortator, aut rerum sacrarum contemptor, carni aut ventri unicè deditus, qualis olim Esau fuisse fertur, qui unico eôque levissimo edulió jus suum primogeniti vendidit.

17. *Scitote enim, quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est; non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquisisset eam.*

17. Rejectus idcirco & à Deo & à parente suo Jacobo, ne compos fieret expetitæ benedictionis paternæ: neque enim illi integrum fuit, pœnitentiâ factum infectum reddere, neque præteritam actionem quomodocunque detestari satis erat, ut eam, quam copiosis

copiosis lachrymis exquisivit, benedictionem, ac prioris sententiæ retractationem assequeretur. Fugite ergò non modò fornicationem, sed & gastrimargiæ vitium, & omnem voluptatum intemperantiam, ne cum profano Esau reprobemini, ne excidatis jure filiorum Dei, & benedictione ac hæreditate cœlesti. 18. Non enim accessistis, ut olim ad montem, qui manibûs palpari, humanóque gressu conscendi possit, ignémque accensum ac turbinem, & caliginem & procellam, 19. tubæque sonitum ac vocem humana verba fundentem: quam qui audierunt, nimio terrore perculsi deprecati sunt, ne Deus ampliùs loqueretur, sed per Mosen interpretem atque internuntium omnia ageret. 20. Quòd nimirum severam illius præcepti interminationem nequaquam ferrent, quo palàm edicebatur, si vel bestia montem attingeret, lapidibus obruendam, aut jaculô configendam. 21. Ipséque adeo Moses formidabili illâ specie propemodum exanimatus pavefactum se atque ingenti terrore correptum professus est. Quòd si transgressoribus veteris illius Legis & Ecclesiæ tam gravis pœna, infligebatur,

18. *Non enim accessistis ad tractabilem montem, & accensibilem ignem & turbinem, & caliginem, & procellam,*

19. *Et tubæ sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se, ne eis fieret verbum.*

20. *Non enim portabant, quod dicebatur: etsi bestia tetigerit montem, lapidabitur.*

21. *Et ita terribile erat, quod videbatur. Moyses dixit: exterritus sum & tremebundus.*

batur, quantæ pœnæ manebunt contemptores legis & Ecclesiæ Christi, cujus illa vetus non nisi typus erat, & figura? 22. Non accessistis, inquam, ad hunc montem Sina terrenum, & terrena bona promittentem latibulum, & speluncam ferarum, sed per fidem ac baptismum ad Ecclesiam Christi per montem Sion designatum, ad civitatem Dei viventis, in quâ innumerabilis beatarum mentium cœtus æternâ felicitate fruitur, ejúsque auctorem Deum ter Optimum Maximum assiduis laudibûs deprædicat, ad Jerusalem cœlestem civibus suis cœlestia bona subministrantem. 23. Ad gloriosum illorum regnum, qui præ cæteris mortalibus peculiariter à Deo electi, & à vulgo separati, & Deo dedicati sunt sicut primogeniti filii, ideóque nobilissimi & charissimi, qui in cœlesti Beatorum albo jam conscripti sunt tanquam candidati & hæredes æternæ beatitudinis. Christus quoque, ad quem pari modô accessistis, non est blæsus ille & infirmus Moses, quem tamen nemo impunè offendit, sed est omnipotens atque impiis inexorabilis judex omnium tam Angelorum quàm hominum immortalis

22. *Sed accessistis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam,*

23. *Et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cælis, & judicem omnium Deum, & spiritus justorum perfectorum,*

lis Deus. Ecclesiam quoque Christi, quàm ingressi estis, non constituunt increduli illi, sempérque Deo rebelles murmuratores, nil nisi ollas carnium & cepas Ægypti eructantes, sed animæ justorum perfectorum per fidem & charitatem in hac vitâ, per plenam sanctitatem & gloriam in alterâ. 24. Ibi invenitis non Mosen antiqui, sed JEsum novi testamenti mediatorem, pontificem & advocatum vestrum, & sanguinem, quo aspergendi, mundandi & sanctificandi sunt fideles meliùs loquentem, quàm loquatur sanguis Abel, hic enim clamat vindictam, ille misericordiam. 25. At videte, ne eum vos alloquentem aspernemini si enim Israelitæ non effugerunt commeritas pœnas, qui Angelum Dei nomine loquentem in terrâ audire recusârunt, multò magìs nobis timendum erit, si Christum Deum & hominem nobis de cœlo loquentem per suos Legatos, per miracula, per dona Spiritûs Sancti repellimus & aversamur. 26 Ejus vox concussit aliquando terram, nempe cùm legem veterem inter fulgura & tonitrua terrâ contremiscente per Angelum promulgavit, nunc

24. Et Testamenti novi Mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem, meliùs loquentem, quàm Abel.

25. Videte, ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum, qui super terram loquebatur : multò magìs nos, qui de cœlis loquentem nobis avertimus.

26. Cujus vox movit terram tunc: nunc autem repromittit dicens : adhuc semel, & ego movebo non solùm terram, sed & cælum.

nunc autem denuntiavit per Prophetam dicens: adhuc semel concutiam non solùm terram, sed etiam cœlum.

27. *Quod autem, adhuc semel, dicit: declarat mobilium translationem, tanquam factorum, ut maneant ea, quæ sunt immobilia.*

28. Porrò illud *adhuc semel* indicat, fore aliquando, quando nimirum mundus est innovandus, ut quidquid instabile & caducum est, cessare debeat & in aliam faciem transmutari, ut ea, quæ succedent, firma atque stabilia permaneant atque perseverent, nempe novi cœli, nova terra, quam nobis promittit, regnum illud beatorum gloriosum, quod nulli mutationi obnoxium est.

28. *Itaque regnum immobile suscipientes habemus gratiam: per quam serviamus placentes Deo, cum metu & reverentiâ.*

28. Ad hujus regni possessionem vocati sumus, hæc est illa felicitas, cujus certa per spem exspectatio nobis pro ingenti solatio esse potest ac debet in quacunque nostrâ calamitate, quâ premimur. Conservemus ergò studiosè gratiam, quam non tantùm sufficientem, sed & abundantem accepimus, ejúsque adminiculô servire & placere studeamus Deo cum metu & reverentiâ debitâ, tametsi enim sibi illibatâ & constanti fide servientibus admodum propitius sit, respectu tamen improborum minimè stipes est aut truncus, sicut idola gentium, sed instar ignis vehementissimè agentis, & celerrimè eos consumentis

29. *Etenim Deus noster ignis consumens est.*

tis

tis, non ita quidem, ut aliquando esse desinant, sed ut æternum ardeant.

PARAPHRASIS

CAP. XIII.

1. Si vindicis Dei indignationem pertimescitis, & declinare cupitis, mutua inter vos tanquam fratres charitas integra semper & salva permaneat. Insectationes, quas pertulistis, non exulcerent animos vestros. Si corpore sejuncti, mente saltem & amore conjuncti persistite, & quamvis facultatibus vestris tot inter persecutiones non leviter attenuati sitis, 2. à consueto tamen hospitalitatis officio nolite desistere. Nolo pluribus commemorare & extollere fructus eximiæ hujus virtutis: illud dixisse sufficiat, factum non semel, ut quidam ex vestris Majoribus illi præprimis dediti sub specie & habitu viatorum latentes Angelos hospitiô exceperint. 3. Memores quoque estote eorum, qui

1. Charitas fraternitatis maneat in vobis.

2. Et hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.

3. Mementote vincto-

rum, tanquam ſimul vincti: & laborantium, tanquam & ipſi in corpore morantes.

qui pro defenſione Dei, quem religiosè colitis, & odio Chriſtianæ fidei in vinculis detinentur, perinde quaſi unà cum illis ipſi etiam vincti eſſetis; neque hoc puræ commiſerationis affectu contenti, ſi quâ aliâ neceſſitate, aut moleſtiâ premantur, ſublevate eos pro viribus, & omni pietatis officio recreate, quippe qui, dum vivitis, iisdem malis & incommodis obnoxii degitis.

4. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus imaculatus. Fornicatores enim & adulteros judicabit Deus.*

4. Conjugium porrò eſto apud vos modis omnibus, & rebus eò ſpectantibus honeſtum ac verecundum, & genialis thorus prorſus integer ac impollutus: ſic enim habetote, ſcortatores & adulteros ultricem Dei indignationem atque pœnas atrociſſimas nequaquam effugere poſſe.

5. *Sint mores ſine avaritiâ, contenti præſentibûs: ipſe enim dixit: non te deſeram, neque derelinquam.*

5. Sint mores veſtri ab avaritiâ, quæ radix eſt malorum omnium, penitus alieni: contenti præſentibûs, de futuris non ultra modum ſolliciti. Si vos enim résque veſtras divinæ providentiæ ex integro permiſeritis, quæ neceſſaria ſunt, nunquam vobis deerunt, habemus enim æternæ veritatis promiſſionem dicentis: non te deſeram, neque derelinquam,

6. *Ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo.*

6. adeo ut confidenti animô verè dicere poſſimus, quod olim David affirmavit

mavit: Dominus mihi auxilator, nec timebo, quidquid in me machinentur & attentent adversarii. Spes tantæ protectionis leviora reddit quæcunque mala etiam imaginatione nostrâ gravissima. Quòd si illa nihilominus adeo infirma & exigua est, ut non sufficiat ad vos confortandos,
7. revocate in memoriam præpositorum vestrorum atque præconum Apostolicorum constantiam, qui vobis aliquando divna dogmata atque præcepta tradiderunt, eáque profuso suo sanguine consignârunt, eorum fidem ac patientiam vobis imitandam proponite spectantes potissimùm ipsorum vitæ decursum atque exitum sanctissimum. Neque ad vos excusandos dicatis: Apostolos Christum habuisse præsentem ac vivum fidei virtutúmque omnium exemplar, magistrum ac ducem, nam unus idémque 8. JEsus Christus, quem vos adorastis, ipse est, quem illi adorârunt, utì illis per suam providentiam ac divinam protectionem adstitit, ita & vobis aderit æquè potens ac munificus, ipse námque qui olim fuit, idem est in præsenti, sempérque idem erit in omnem æternitatem. Cùm ergò

7. Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.

8. JEsus Christus heri, & hodie: ipse & in sæcula.

go nulli mutationi obnoxius sit, fide quoque atque fiduciâ immutabili vos ei adhærescere convenit,

9. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratiâ stabilire cor, non escis: quæ non profuerunt ambulantibus in eis.*

9. non verò doctrinis variis ab Evangelio Christi deviantibus, atque inter se dissidentibus ac novis & à traditione domesticâ, ecclesiasticâ, Apostolicâ alienis abduci à verâ fide & doctrinâ Christi, vel à vitæ morúmque Christianorum integritate atque levium instar arundinum huc illuc agitari & flecti. Optimum siquidem est divinâ gratiâ spiritúque novi Testamenti, cujus Mediatorem habemus Christum Dominum, corda imbuere, & quodammodo fixa atque stabilia reddere, non verò in superstitioso ac Judaico à Mose tradito ciborum delectu atque discrimine, quo nihilo meliores facti sunt, qui in ejusmodi legum ac rituum supervacaneâ observatione toti positi erant, & consenuerant. Quî ergò fieri potest, ut servile Veteris Testamenti jugum cum libertate Evangelii conjungere velitis? Quòd si victimam desideratis, neque illa Christianis deest.

10. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.*

10. Habuerint sanè Patres nostri altare & sacrificium, habemus & nos, sed longè præstantius atque divinius, nempe

nempe Christi JEsu, ita tamen, ut istius fructus percipere non valeant, qui Leviticâ adhuc superstitione impliciti tabernaculo abrogato deserviunt. Neque id mirum vobis aut novum videri debet. 11. Ut hujus rei figuram aliquam ante aliquot sæcula haberemus, pontifex illius legis nunquam aliquid de carnibus vituli vel hirci delibabat, cujus sanguinem sacrario inferebat, quando pro peccatis populi habebatur expiatio generalis, & corpora publicarum victimarum extra castra comburebantur. 12. Quapropter ut typo res ipsa ex æquo responderet, ipse Dominus JEsus, ut proprio sanguine genus humanum expiaret, extra portam urbis Jerusalem mortem obire voluit, extra consortium populi Judaici, ne quid deesset ad figuræ complementum. Tanto favori ac beneficio, ut & nos respondeamus, æquissimum sanè est, ut pro viribus nostris ad ejus imitationem quidpiam præstemus. 13. Exeamus igitur ejus exemplô & nos quodammodo extra castra, videlicet non tantùm extra Synagogam, ejúsque legales ceremonias jam abolitas, sed etiam extra mundum corruptum,

11. *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra.*

12. *Propter quod & JEsus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.*

13 *Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.*

ruptum, ejúsque consortium curis ac desideriis rerum terrenarum penitus abjectis, opprobrium crucis sacrosanctæ cum omni animi demissione & patientiâ supportantes, calicem ejus amarum bibamus, quem primus ipse cum fæcibus gustavit, contemptâ ignominiâ, quæ Christiani nominis confessionem sequitur, gratulemur nobis ex animo, & gaudeamus, quòd filii & discipuli simus Magistri nostri crucifixi.

14. *Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.*

14. Persuasum enim nobis esse debet, quòd in castris & tentoriis hujus mortalis vitæ non habeamus stabile domicilium, sed quoad vivimus, perpetuò peregrinemur, & ad futuram ac cœlestem patriam properemus, unde non est, quòd multùm turbemur, si vel opprobriis impetamur à civibus terrenæ Jerusalem, vel rerum temporalium damna patiamur.

15. *Per ipsum ergò offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus.*

15. Christô igitur adhibito deprecatore ac Pontifice nostro offeramus assiduè Deo sacrificium laudis (omissis legalibus) & hunc linguæ nostræ uberrimum fructum existimemus, ut divinum ipsius nomen perpetuis præconiis celebremus.

16. *Beneficentiæ autem & communionis no-*

16. Beneficentiæ verò & liberalitatis quæ omnia propemo-

modum omnibus communia facit, nolite, quæso, ullo unquam tempore oblivisci, his enim profectò victimis non oblectatur solùm, sed & conciliatur Deus. 17. Restat aliud sacrificium ipsi offerendum, nempe obedientiæ Superioribus debitæ. Obtemperate iis, & faciles vos atque ad omnia promptos exhibete, vigilant enim ipsi magnâ sollicitudine in commodum vestrum, quippe qui pro animabus vestris sibi commissis rationem se Deo reddituros intelligant. Agite ergò, & ita vos gerite ut libenti atque hilari animô id faciant, & non ingemiscant sub onere regiminis ob socordiam, inobedientiam, vel irreverentiam vestram. Tametsi enim defectus vestros ex discreta charitate perferant, vestrámque emendationem magìs peroptent, quàm molestam correptionem, eorum tamen gemitus exaudiet Deus, & severâ ultione in eorum contemptores animadvertet, superiorum patrocinio ac defensione in se susceptâ. 18. Obsecro etiam vos fratres, ut precibûs me vestris apud communem omnium parentem Deum juveris. Hanc gratiam mihi à vobis non denegandam prope certò mihi per-

lite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.

17. *Obedite præpositis vestris & subjacate eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.*

18. *Orate pro nobis: confidimus enim, quia bonam conscientiam habemus in omnibus bene volentes conversari.*

persuadeo, quippe qui nullius offensæ aut scandali vobis præbiti mihi sim conscius, & tenerrimo vos potiùs amore studióque semper complexus sim.

19. *Ampliùs autem deprecor vos hoc facere, quò celeriùs restituar vobis.*

19. Id eo instantiùs sollicito, ut eò citiùs primo quoque tempore omnibus impedimentis sublatis vos revisere possim.

20. *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum JEsum Christum,*

20. Deum autem pacis, & omnis boni auctorem ac fautorem, qui magnum illum ovilis sui pastorem Dominum nostrum JEsum Christum jam vitâ functum meritô mortis, & profusi sanguinis, quo confirmatum est novum & æternum testamentum, nostráque reconciliatio, ad vitam immortalem revocavit, enixè deprecor,

21. *Aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem: faciens in vobis, quod placeat coram se per JEsum Christum: cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

21. ut divinâ suâ gratiâ absolutos vos atque perfectos reddat ad omne opus bonum, inter vos maximè cohærentes & connexos, idem planè sentientes, eodémque studio atque diligentia ad optima quæque contendentes, ut divinam ipsius voluntatem perficere atque explere possitis, ipsáque in vobis efficiat, quidquid sibi gratum acceptúmque fuerit per JEsum Christum, cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

22. *Rogo autem vos fratres, ut sufferatis verbum solatii. Etenim, perpaucis scripsi vobis.*


22. Precor autem vos fratres, ut licèt non tam vester, quàm Gentium sim Apostolus, æquo tamen libentíque

tique animô admittatis epiſtolam
hanc exhortatoriam & conſolatoriam,
quâ perpaucis, ne faſtidiosâ prolixi-
tate fatigemini, perſcripſi, quod mi-
hi opportunum, atque his tempori-
bus accomodatum viſum eſt. 23.
Noſtis, opinor, fratrem noſtrum Ti-
motheum liberum ac vinculis ſolu-
tum eſſe, unà cum illo, ſi celeriùs
ad me venerit, vos reviſam. 24 Sa-
lutem ex me dicite omnibus Præ-
poſitis veſtris, omnibúsque fidelibus.
Itali ad Chriſtum traducti vos om-
nes ſalvere jubent. 25. Divina por-
rò gratia ſit vobiſcum omnibus, vóſ-
que perpetuò ſervet incolumes, Deo
fideles, obſequentes, & in mo-
rum probitate con-
ſtantes.

23. *Cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum dimiſſum: cum quo, (ſi celeriùs venerit) videbo vos.*

24. *Salutate omnes præpoſitos veſtros, & omnes Sanctos. Salutant vos de Italiâ fratres.*

25. *Gratia cum omnibus vobis. Amen.*



Menda emendanda.

FOl. 4. li. 3. principem l. principum. fol. 23. li. pen. prærogativorum. l. prærogativarum. fol. 24. li. pen. gentilibus l. de gentilibus. fol. 31. li. 10. vobis l. nobis fol. 67. li. 7. conjugamur l. conjungamur. fol. 84. li. 16. exciavit l. excitavit. li. 17. ttraditum l. traditum fol. 85. li. 19. non tanto l. ne tanto. fol. 120. li. 4. pervadet l. pervadit. fol. 134. li. 7. opera fidei l. opera legis. fol. 145. li. 27. nolunt. Admiranda l. nolunt, admiranda. fol. 169. li. 1. polutum l. pollutum fol. 171. li. 8. impollutam l. impollutum. fol. 180. li. ult. Romæ l. Româ. fol. 189. li. 2. conlit l. contulit. fol. 195. li. 27. plasphemis l. blasphemis. fol. 200. li. 25. Thimotheum l. Timotheum. fol. 212. li. 7. paribúsque l. gravibúsque. fol. 218. li. 19. & 29. Appollo l. Apollo. fol. 245. li. 28. crasissimum l. crassissimum. fol. 246. li. 6. conspucat l. conspurcat. fol. 265. li. 17. infenissimo l. infensissimo. fol. 288. li. 9. dum l. cùm. fol. 289. li. pen. habetas l. habetis. fol. 298. li. ult. ut l. uti. fol. 340. li. 20. extingutur l. extinguitur. fol. 309. li. 24. prorium l. proprium. fol. 312. li. 12. deberet l. deberes. fol. 313. li. 11. redaguetur l. redarguetur. fol. 314. li. 15. memini l. nemini. fol. 316. li. 20. agnosceretur l. agnoscetur. fol. 325. li. 28. vitam l. ritum. fol. 347. li. 2. Secund. l. Secundam. fol. 358. li. 21. capiosa l. copiosa. fol. 361. l. ult. literæ vigent l. litera viget. fol. 365. li. 7. contemplemur l. contemplamur. fol. 376. li. 7. exanthlatam l. exantlatam. fol. 397. li. 25. conscientis l. conscientiis. fol. 416. li. 12. flagorum l. flagrorum. fol. 427. l. 15. nam l. num.

In Sectione Secunda.

Fol. 31. li. 25. aliquid demendo l. aliquid, vel demendo. fol. 33. li. 2. date l. data. fol. 38. li. 8. quàm gentiles l. sed etiam gentiles. fol. 40. li. 25. emisit l. misit. fol. 45. li. 27. thesseram l. tesseram. fol. 69. li. 10. quem quisque l. quam quisque. fol. 83. li. 11. donisque l. donis li. pen. nos *omittatur*. fol. 85. li. 1. agnoscerent l. agnosceremus. fol. 101. li. 22. munus l. munus mihi contulit. fol. 115. li. 16. utut l. ut. fol. 113. li. 24. tollatur l. tollatur, & fol. 121. l. 7. remunerationis l. remunerationi. fol. 125. li. 12. quoniam l. quoniam vir. fol. 129. li. 13. satagat, & l. satagat,

X ut

ut fol. 135. li. 9. acre l. acra. fol. 145. li. 3. filius l. filiis. fol. 146. li. 7. & in fincera l. in fincera. fol. 165. li. 15. inferior l. inferior fim. fol. 170. li. 6. ftudiorum l. commodorum. fol. 201. li. 12. neceffe l. neceffe eft. fol. 202. li. 11. fequantur l. fequuntur. fol. 206. li. pen. nonnullam *omittatur*. fol. 213. li. 8. obivione l. oblivione. fol. 222. li. 2. Apollinia l. Apollonia. fol. 224. li. pen. apprecatus l. apprecatur. fol. 231. li. 23. refponderetis l. refponderetis gratiæ. fol. 254. li. 11. reprobos. l. reprobis. li. 18. in eam l. in eam rem. fol. 279. li. 16. materiam l. materiam potiùs. fol. 297. li. 27. teftimonio, l. teftimonia ac. fol. 304. li. 2. tolleremus l. toleremus. fol. 321. li. 21. ut tuo l. ut fuo li. 22. cura & l. curaret. fol. 364. li. 18. obligantiffimè l. diligentiffimè. fol. 373. li. 22. pepetuo l. perpetuo. fol. 383. li. 8. permiffum. l. permiffu. fol. 418. li. 23. fuperanda l. fuperandas. fol. 439. li. 27. jusjurandum l. jusjurandum additum. fol. 449. li. 27. intercedete l. intercedere. fol. 450. li. 11. excludamus l. excludimus. fol. 459. li. 14. habemus l. habeamus. fol. 462. li. 7. vires l. vis. fol. 479. li. 9. quo facto l. quo pacto. fol. 489. li. 12. divna l. divina.

